12
26-A
14

NAZIONALE
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
12
26 A
140

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
22-c-47

22
C
66

4

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

# DESCRIPTIONES ORATORIÆ.

# DESCRIPTIONES ORATORIÆ

Ex probatiſſimis auctoribus excerptæ, & ſuas in claſſes

*OPTIMO ORDINE DISTRIBVTÆ*

Omnium artium, & facultatum ſtudioſis opportuniſſimæ.

Q V A S

*PVBLICÆ VTILITATI EXPONIT*

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANU

IO: BAPTISTA GANDVTIVS

E' SOCIETATE IESV.

*CVM INDICE*

Deſcriptionum omnium locupletiſſimo.

PARMÆ, Typis Marij Vignæ. M. DC. LXVIII.

Superiorum Conſenſu.

Digitized by Google

# BENEVOLO
## LECTORI.

VITTORIO EMANUELE

*MVndum hic uniuerſum tuis ſubiectum oculis vides. hic mundi conditorem Deum, hic cęlum, & cęleſtia contemplari per otium licet. Tum quæ in elementis ſingillatim admiranda ſuſpicimus: in Aere pluuias, ventos fulmina, Cometas, Auium ſpecies, & Inſecta volucria. In Aquis exundationes, & tempeſtates, Piſces, & piſcium portenta, fontes, & fluuios, Inſulas Naues, & commiſſa nauibus prælia. In Terra terrarum tractus omnes, Vrbes, Domos, Templa, Villas, Hortos, & flores, montes, & in mõtibus Gemmas, lapides, & metalla, Animantes feras, cicures, & inſectas.*

*At quæ in minori mundo ſpectantur eo ordine recenſentur, ut Homo primum, & humani corporis partes, habitudo, & forma exhibeãtur: Eiuſdem veſtitus, & ornatus, alimenta,*

*& conuiuia, Valetudo, & morbi. Mox Animus, & animi mores probi vel improbi, Nationum, & populorum mores, & humanę Vitę cõmoda ſiue incommoda: tum humanæ Dignitates, & ſacrę, ludi publici, & priuati, Virtutum, & vitiorũ genera, humani Affectus, Scientiæ, & Artes, & Artium inſtrumenta, eaq; omnia quæ ad Artem militarem referuntur. Demum mors ſeu naturalis, ſeu violenta, Iudiciũ diuinum, & mundi excidium. Hæc de totius Operis partitione.*

*Vnum te poſtremò monitũ velim. Si quæ interdũ voces occurrent nõ ijsdẽ ſemper Orthographię legibus deſcriptę; ideo à me factũ ſcias quia Scriptorũ authoritati tantũ ipſe tribuerim, vt de vocibus non modò nihil immutari, ſed eas ipſiſſimis planè notis, & litteris exaratas exhibere voluerim. quod ſubinde obſeruabis in vocibus Author, & Auctor: imò, & immò: ſylua, & ſilua, atque his ſimilibus. Vale.*

Franciſcus Bellhomus Societatis Ieſu in Prouincia Veneta Præpoſitus Prouincialis.

CVm librum, cui titulus eſt, *Deſcriptiones Oratoriæ ex probatiſſimis auctoribus excerptæ*, & à P. Io: Baptiſta Gandutio è Societate Ieſu collectæ, tres ex eadem Societate viri docti recognouerint, atque in lucem edi poſſe iudicauerint: Nos facultate ab admodum R. P. Noſtro Goſuuino Nickel Præpoſito Generali conceſſa, permittimus vt imprimatur, ſi ijs ad quos ſpectat, ita viſum fuerit. Parmæ die 27. Maij 1660.

FRANISCVS BELLHOMVS.

EGo infraſcriptus ex mandato Illuſtriſſimi D. D. Caroli Nembrini Epiſcopi Parmenſis, & Comitis legi librum, cuius titulus eſt: *Deſcriptiones Oratoriæ* collectæ à P. Io: Baptiſta Gandutio.

*Iacobus Maria Pallauicinus Societatis Ieſu*

Imprimatur.

C. EPISCOPVS.

*Approbatio P. Sac: Theol: Magiſtri Alberti Scacchini Ord. B. M. V. de Monte Carmeli Sancti Officij Conſultoris, & à lib. Cenſuris Primarij.*

ET muneri mihi iampridem pro examinandis quæ typis ſunt comm ttenda, Operibus in Sanctiſſimo Violatæ Religionis Tribunali iniuncto, adiunctoque nuper Reuerendiſſimi Magiſtri Petri Mart: Bonacij mandato infraſcriptus ego attente perlegi Opus cui in Autographo inſcriptio *Deſcriptiones Oratoriæ*, quas veluti de Theſauro noua, & vetera, ex antiquioribus, & neotericis ſelectionibus Auctoribus proferens non exigua certè induſtria collegit Reu. Adm. P. Io: Baptiſta Gandutius Inclytæ Societatis Ieſu alumnus, nec in eo vel quid minimum quod vti fidei catholicæ repugnans, boniſue moribus abſonũ offendat offendi. Siue quod tanquam Cenſor emendarem, quin potius quod velut Panegiriſta, ſi eloquentia ſuppeteret commendarem inueni. multò namque admiratione maiori perdignũ exiſtimo idem quam aureus Pyrri Epirotarum Regis annulus præ gemma Muſarum Chorum, natura ipſa ſculpente, repræſentans, cum, & multò plura, & verius, doctioraque Muſis verba offerantur in ipſo, quæ Margaritis, è quibus *Sat vel vna labori* foret pretioſiora, vt ipſo à Cornucopia veluti altera innumera munera vberrimè effundãtur; vel in quo ceu Thea-

uo

tro FARNESIANI ad inſtar in Patrio hoc ſolo Regia munificentia conſtructi Interlocutores eloquentiſſimi comparent; Vel deñique quia in eodem ( vt Sapientiſſimi Operis Auctoris termino vtar ) Mundus ipſe ordine miro repræſentatur, ideoq; verè KOSMOS nuncupandus, præ munditie quidē ſuperius quoque adnotata, ab omni .n. macula erroris eſt liber hic liber, ſed præ ornatu etiam, quo non minus, ac Vniuerſa natura, quæ à ſola varietate à rudioribus ipſis venuſta dictitatur communi proloquio, redditur pulchrior noſter hic Mundus, per quem iterum inoffenſo pede ſpatiari quemlibet poſſe liberè affirmo.

Ex Carmeliticis Ædibus, quibus modò infimus præſum decimi Idibus Menſis 1660.

*Fr. Albertus Stacchinus.*

Stante ſupradicta atteſtatione,

Imprimatur.

F. IO: MICHAEL A FERRARIA

Inquiſitor Generalis Parmæ.

# Auctores ex quibus Deſcriptiones collectæ.

S. Ambroſius.
P. Albertus de Albertis Societatis Ieſu.
Ammianus Marcellinus.
Andreas Laurentius.
Angelus Politianus.
Aulus Gellius,
P. Bernardinus Stephonius Societatis Ieſu.
P. Carolus Scribanius Societatis Ieſu.
C. Iulius Cæſar.
C. Iulius Solinus.
C. Saluſtius.
C. Suetonius.
C. Sidonius Apollinaris.
Cornelius Tacitus.
P. Famianus Strada Societatis Ieſu.
P. Felix Felicius Societatis Ieſu.
Franciſcus Petrarcha.
P. Franciſcus Beneius Societatis Ieſu.
P. Franciſcus Remondus Societatis Ieſu.
P. Horatius Turſellinus Societatis Ieſu.
P. Iacobus Bidermanus Societatis Ieſu.
P. Ioannes Bapt. Ferrarius Societatis Ieſu.
P. Ioannes Bapt. Maſculus Societatis Ieſu.
Ioannes Barclaius.
P. Ioannes Biſellius Societatis Ieſu.
P. Ioannes Petrus Maffeius Societatis Ieſu.
P. Iulius Cæſar Recupitus Societatis Ieſu.
P. Iulius Nigronus Societatis Ieſu.
Iuſtinus Hiſtoricus.
Iuſtus Lipſius.
Lactantius Firmianus.

L.

L. Annæus Seneca.
Lucius Apuleius.
P. Leo Sanctius Societatis Ieſu.
Lucius Florus.
L. Iunius Columella.
Manlius Seuerinus Boetius.
M. Antonius Muretus.
M. Aurelius Caſſiodorus.
M. Fabius Quintilianus.
M. Terentius Varro.
M. Tullius Cicero.
P. Melchior de la Cerda Societatis Ieſu.
P. Nicolaus Cauſinus Societatis Ieſu.
Orationes de Chriſti Domini morte habitæ à Patr. Soc. Ieſu.
Orationes de S. Spiritus aduentu habitæ à Semin. Romani Conuictoribus.
Palatium Reginæ Eloquentiæ.
Panegyrici Latini Pacati, & aliorum.
P. Paulus Bombinus Societatis Ieſu.
Paulus Iouius.
P. Petrus Ioan. Perpinianus Societatis Ieſu.
Plinius hiſt. natur. auctor.
Plinius iunior in Epiſtolis.
Pomponius Mela.
Q. Curtius.
P. Sebaſtianus Berettarius Societatis Ieſu.
P. Stephanus Petiot Societatis Ieſu.
P. Tarquinius Gallutius Societatis Ieſu.
Titus Liuius.
Valerius Maximus.
P. Vincentius Guiniſius Societatis Ieſu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM. ...



# DEVS.

## *Quamuis Dei deſcriptio ab Ethnicis ſcriptoribus petenda non ſit, aliqua tamen appoſitè Seneca.*

QVid eſt Deus? mens vniuerſi: quod vides totum, & quod non vides totum. Sic demum magnitudo ſua illi redditur, quia nihil maius excogitari poteſt. Si ſolus eſt omnia, opus ſuum & extra & intra tenet. Noſtri melior pars animus eſt, in illo nulla pars extra animum. totus ratio eſt *Seneca in praf. nat. quæſt.*

Cuſtos rectorq; vniuerſi, animus ac ſpiritus, mundani huius operis dominus & artifex, cui nomen omne conuenit. Hic eſt ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, cauſa cauſarum, cuius conſilio huic mundo prouidetur, vt inconcuſſus eat, & actus ſuos explicet; ex quo nata ſunt omnia, cuius ſpiritu viuimus. *Idem lib. 2. nat. quæſt. cap. 45.*

## *Quæ Apuleius Iſidi tribuit, ad Dei deſcriptionem faciunt.*

TV quidem ſancte & humani generis ſoſpitator perpetue, ſemper fouendis mortalibus miri fice, dulcem Patris affectionem miſerorum caſibus tribuis: nec dies, nec quies vlla, ac ne momentum quidem tuis tranſcurrit beneficijs otioſum, qui mari terraque protegis homines, & propulſis vitæ procellis, ſalutarem porrigis dexteram: qui fatorum etiam inextricabiliter contorta retractas licia, & fortunæ mitigas tempeſtates, & ſtellarum varios meatus cohibes: te ſuperi colunt, obſeruant inferi, tu rotas orbem, illuminas Solem, regis mundum, calcas Tartarum, tibi reſpondent ſydera, redeunt tempora, gaudent lumina, ſeruiunt elementa: tuo nutu nutriuntur nubila, germinant ſemina, creſcunt germina: tuam maieſtatem perhorreſcunt aues cælo mean-

tes, feræ montibus errantes, ſerpentes ſolo latentes, ponto natantes belluæ. *Apul. l.11. metam.*

Eſt Deus clariſſima & immenſa lux, eſt veluti Sol vt Græci loquebantur, vndiq; collucens, & omnia illuſtrans. eſt illi pro domicilio ſplendor inacceſſus, pro amictu circumfuſum lumen. Eſt Deus quaſi tenebræ quædam cæcæ, abditus ille atque retruſus, & ex omni parte denſa caligine circumſeptus, in obſcuro delitescit: vt etiam ſi eius beneficio ſingulari prænotionem ipſius quamdam, & inſitam atque innatam cognitionem habeamus, nihil tamen de Deo aſſequi cogitando valeamus, niſi quantum aut hic cæli terræq; pulcherrimus ornatus ab ipſo deſcriptus oſtenderit, aut ipſe nobis pro naturæ ſuæ bonitate, & in omnes homines beneficientia voluerit indicare. *P. Perpinianus or. 8. de Deo trino, & vno.*

Profecto illi Philoſophi natura tantum duce, Deum dixerunt mentem eſſe ſolutam & liberam, ſegunctam ab omni concretione mortali, omnia ſentientem & mouentem, ipſamq; præditam motu ſempiterno. Eius prouidentia mundum temperari, eam conſulere rebus humanis etiam ſingulis. Commoda quibus vtimur, lucemq; qua fruimur, ſpiritumq; quem ducimus ab ipſa nobis dari atque impertiri. nec cogitatione complecti quemquam, nec verbis effari poſſe quanta ſint gaudia, quanta beatitudo illius ſe ipſa fruentis, ſuumq; numen in omni æternitate contemplantis. *Et infra.* Continet Deus omnia, & non ambit; portat omnia, & onus non ſentit; ſemper agit, & non quieſcit; ſemper quieſcit, & continenter agit, nec in eius quiete vlla deſidia, nec in labore vlla laſſitudo. Pœnitet & non dolet, iraſcitur & non commouetur, amat & non eſt ſollicitus, reddit & non debet, donat plurima & nihil perdit, colligit & non eget, recipit quod non amittit, venit vbi erat, abit vnde non recedit, nuſquam deeſt & ſe abſcondit, meminit & admonetur. Primus ingenitus nunquam deſiturus, partium expers, ſibi ſimillimus, cui nihil præteritum, aut futurum, omnia præſentia, qui non ſingula cogitando intuetur, verum vna æterna ac inexplicabili vi ac poteſtate ſua, quæ nouit, cuncta complectitur. *P. Pontanus Vol. 3 par. 1. progymn. 1.*

Deum audies mentem ab omni mortali concretione

tione ſecretam, optimam, ſapientiſſimam, ſanctiſſimam, ſpiritum per omnia commeantem, & ſingulis vniuerſi partibus, quaſi accuratiſſimæ lyræ fidibus intentum: qui fluentium rerum canticum iucundiſſima varietate temperat, ingenitus, immortalis, perpetuus, ſolus, ipſe ſibi locus, & mundus. *Et infra.*

Quid dices de tantæ maieſtatis inexhauſta bonitate, quæ cumulatiſſimum totius perfectionis florem complexa, nullius rei indigens, omnium opulentiſſima, ſe toti naturæ, atque adeo huic noſtræ mortalitati profundiſſima quadam liberalitate profundit? Quid de inexplicabili prouidentia, qua clauum vniuerſi regit vigil & inſomnis, ſuo ſemper operi aſſiduus, atque intentus? num tot oculis ſibi ſpectare videtur res mortales, quot ſunt in illo pulcherrimo ætheris domicilio collucentium formæ ſtellarum? num tot manibus regere, quot eius poteſtatis inſignia; num tot pedibus luſtrare, quot præſentiæ ſunt indicia? Quid de ſingulari miſericordia, qua huiuſce vitæ ſubleuat miſerias, imbecillitatem erigit, ſolatur viduitatem, inſtruit inopiam, lenit acerbitates, & quaſi totus ſit ex maternis vberibus conflatus, ita ſe miſellorum infantium ſolitudini atque orbitati, præſentem vbique & clementem Deum impertitur? Quid ſi eius ſcientiam conſideres, qua ſe, qua omnia à ſe orta intelligit, qua tot cælata in æthere partim errantium, partim inerrantium ſtellarum ſimulacra nominat, qua perpetuas dierum conuerſiones conſignat, qua imbrium ſtillas percenſet, qua arenas numerat, qua profundiſſimas ſcrutatur voragines, qua ſubit & explicat omnia? &c. *P. Cauſinus de Eloquen. l. 14. c. 1.*

Hic adeò caſtiſſimis cogitationibus explorabit immenſum illud, & infinitum nullo temporum ſpatio, nulla locorum regione circumſcriptum, quod eſſe verè dicitur: quod rebus omnibus interuenit, ac moderatur: quod intereſt, quod ſupereſt, quod ſubeſt, non oppreſſum, non obſeſſum, non ſecluſum, ſine materiæ concretione ſimplex, ſine labis adſperſione pulchrum, æternum ſine detrimenti metu, ſine viciſſitudine varium, ſine varietate vnum: Sanctè verum, verè ſummum bonum, nunquam natum, nunquam interiturum, à ſe nunquam fugitiuum, ſemper

i ntegrum, ſemper totum, ſemper aptum ex ſe ſe, ſemper idem, ſemper ipſum: Sine acceſſione cumulatum, ſine deceſſione diffuſum, ſine lege nunquam effluens, ſine neceſſitate ſemper exundans, demum e rebus omnibus facilem tractum bonorum ſuorum in ſe reciprocans, ac reducens, beneuolum, intelligens, præpotens, ingenua naturæ ſuæ virtute diuinum. *P. Stephonius proſa 3.*

## *Deus trinus, & vnus.*

EST igitur vnus & trinus Deus, cum illa præſtans ſupremaq; natura. vna & eadem in tribus perſonis, Patre, Filio, & Spiritu Sancto conſiſtat. Pater aliunde non eſt, non factus, non creatus, non genitus; non ab alio exiſtit & manat; principium principio carens, ex omni æternitate. non alterius beneficio, ſed ſua vi cohærens; fons non ſolum omnium rerum quæ facta ſunt, ſed etiam Filij, & Spiritus Sancti. Filius eſt principium ex principio, non ab vllo certo tempore factus, non creatus, ſed ex ęternitate, ratione quadam hominibus incognita genitus à ſolo Patre, eiuſq; naturali dono, ac munere per ſe cohærens, cum generatore ſuo ſine vlla perturbatione, confuſione, permixtione, vna penitus natura coniunctus, & ab eodem ſine vlla diſtractione, alienatione, auulſione, hypoſtaſi diſtinctus. Spiritus ſanctus ex Patre & Filio, vno ipſius principio æternus ex æternis, non creatus, non generatus mirabiliter procedit, & ita procedit, vt cum vtroque eiuſdem prorſus naturæ communione copulatus, alius ſit ab vtroque. *Et infra.* Eſt quidem aliquis perſonarum inter ipſas ordo, non naturæ gradibus, non temporum conſequentia, non diſſimilitudine dignitatis, ſed originis tantum ſerie conſtitutus. Primus eſt Pater, Filius ſecundus, tertius Spiritus ſanctus. nam à Patre naſcitur Filius, & Spiritus ſanctus procedit ab vtroque. verum in hoc ordine nihil diſpar, nihil prius tempore, nihil maius, nihil minus, nihil ſuperius, nihil inferius intelligendum eſt. Non enim ſi Pater Filio dat hoc ipſum, quod eſt, & vterque Spiritui ſancto, continuo minores exiſtimandi ſunt qui eandem diuinitatem acceperunt.

*Et infra.* Non alia eſt natura Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti nobilitate pari & præſtantia,ſed trium Perſonarum vna & eadem eſt penitus natura, ideoq; in Patre Filius, in Filio Pater eſſe dicitur.tolle ortum & proceſſum, & alia quæ comparationem ſignificant Perſonarum inter ipſas, cætera omnia licet aliud alij certis de cauſis tribuatur, penitus eadem reperientur. vna mens,vna voluntas,vna ſapientia,vna bonitas,vna æternitas, vna immenſitas, vna vis & poteſtas, denique vnus & idem Deus. *P. Perpinian. or.* 8. *de Deo trino & vno.*

Triplicem perſonarum hypoſtaſin in ſimplicis Numinis vna diuinitate diſtinctam: generationem Filij verè geniti, non facti; ſpirationem Amoris non geniti, nec facti; ſed procedentis; Patris ex ſeſe, non aliunde venientis, neque geniti, neque facti, neque procedentis vim, notionemq; quis enarrabit? Nemo profectò nemo: præterquam aut ipſe qui generat Pater intelligentia ſui fœtum æqualem ſibi: aut ipſe Filius qui generatur; & non ſolum ſimilem, ſed ipſam ac totam in ſe ſuſceptam exprimit diuinitatem Patris, quique datus eſt nobis Sapientiæ magiſter,& paternæ mentis interpres: aut ipſe Spiritus à Patre, Filioque procedens: qui vitali calore mentes hominum colluſtrat: qui ſui celebratione ſic compleuit orbem terrarum,vt commonſtrator grauiſſimus eſſet & Patris,& Filij,veriſſimus ſempiternæ Trinitatis aſſertor ac vindex. *P. Stephon. or.* 3. *de Adu. S. Spir.*

Peculiaris eſt & propria Chriſtianorum diſciplina Vnitati in Deo ita Trinitatem adnectere, vt nec numerus Perſonarum Deos afferat multiformes, nec Diuinitatis ratio ſimpliciſſima Perſonas excludat. *Et inf.* Nihil eſt in Patre quia generat aut melius, aut maius: nihil in Filio, ac Spiritu Sancto, quia vnus gignitur,alter vtrinque ſpiratur,aut minus,aut deterius inueniri. Eſto, primo hic loco, ille ſecundo,alius tertio numeretur: at quos triplex illa hypoſtaſis ſuo quemque inter numerandum loco diſcluſit, hos & naturæ vnius communio, & par laudum abſolutio copulauit. Sit in hominum genere Pater filio grandior, ſit robuſtior, ſit ſapientior, ſit perfectior: ſit contra filius vel ætate inferior quam pater,vel viribus imbecillior, vel cognitione rudior, vel decorum cla-

ritate; minor. At inæqualitas hæc inhumanis conſentanea & vſitata, diſſentanea omninò eſt, atq; alieniſſima in diuinis: Nam licet in ſpeciem tripartita videatur auctoritas Trinitatis, re tamen ac factis vna eſt: tres enim habent quod eſt vnius: quod vni ſuppetit, tres non requirunt. Sed ſit, qui ſecum ipſe diuidat, quod ſeiungi natura non poteſt; & quaſi res agatur in humanis; hinc Spiritum Sanctum ſeparatim locet, illinc coniunctim Filium vna cum Patre conſtituat. non ideo maieſtatis nitor, aut tenacior in vno eſt, aut plenior in duobus, quia duo ſint coniunctis opibus potentiores; minus ille valeat, quia nulli coniunctus, infirmior. Eadem in ſingulis viget potentia maieſtatis, quod eadem viget in ſingulis naturæ diuinitas, eadem apud ſingulos eſt celebritas gloriæ, quod eadem eſt apud ſingulos præſtantiæ claritudo, &c. *Ex orat. P. Fel. Felicij de Sanctiſs. Trinit. hab. à Rob. fidel.*

## *Deus Pater, & filius.*

CVm dicimus Deum Patrem & Deum filium, non diuerſum dicimus, nec vtrumque ſecernimus, quia nec Pater eſſe ſine filio poteſt, nec filius à Patre ſecerni, ſiquidem nec Pater nuncupari ſine filio, nec filius poteſt ſine Patre generari. Cum igitur & Pater filium faciat, & filius Patrem, vna vtrique mens, vnus ſpiritus, vna ſubſtantia eſt; ſed ille quaſi exuberans fons eſt, hic tamquam defluens ex eo riuus; ille tamquam Sol, hic tamquam radius à Sole porrectus, qui quoniam Summo Patri & fidelis & charus eſt, non ſeparatur, ſicut nec riuus à fonte, nec radius à Sole porrectus. Quapropter cum mens, & voluntas alterius in altero ſit, vel potius in vtroque vna, merito vnus Deus vterque appellatur, quia quidquid eſt in Patre ad filium transfluit, & quidquid in filio à Patre deſcendit. *Lactant. Firmianus l. 4. de vera ſap. c. 29.*

## *Dei filius.*

CONſtitutor & repertor omnium Deus antequam huius vniuerſi præclariſſimum & magnificentiſſimum templum moliretur, filium ſibi eadem, & vna ſecum voluntate, omnipotentia, virtute, ſapientia præditum, & vt verbo complectar, penitus penituſque parem generauit. ante flumina, & terrarum ſola, ante moles montium, & ſublimia collium fæcundiſſimo Patris conceptu genitus erat, candor lucis æternæ, & ſpeculum puriſſimum, imagoque abſolutiſſima bonitatis Dei. O Sacroſanctum & adorandum partum, in quo nihil mortale, nihil ex terreſtrium conſuetudine, nihil inæquale aut diſſimile, nihil prius aut poſterius, diuiniſſima & auguſtiſſima omnia. Deus enim ſe ipſum intelligens, æternum ab omni æternitate Verbum progenerat, vnam habens cum progenerante eſſentiam, vt alius quidem ſit Pater, alius filius, at non aliud. etenim vt perſonæ confundendæ non ſunt, ſic non eſt ſubſtantia ſeparanda. *P. Pontanus Vol. 3. par. 1. progymn. 9.*

Atque vt Pater vim omnem patriam, gignendique facultatem repetit quaſi ſuam, ſic ortum è Patre quaſi ſuum vindicat filius: ne forte quod perſonarum proprietas in vtroque diſcreuit, id in vtroque confundat peruerſitas ebriorum. fuit quidem Pater ab omni æternitate, ſed nunquam natus: ab omni æternitate fuit & filius ſed natus è Patre, & verò naſcendi ratione non vſitata, non vulgari, non peruagata, ſed rara omnino ac ſingulari, ſed inſolita, ſed admirabili, ſed diuina; quæ nobilitatis ſuæ miraculo quàm cognitu digna eſt, tam etiam difficilis eſt explicatu. non tamen omnino tacitam prætéribo. Simul vt Pater ab æternitate contemplatur quidquid in Deo ſitum, de ipſomet Deo cum ſimpliciter, tum comparatè dicitur: ſimul vt idem ſimplici quadam notione ea omnia pernoſcit, quæ præpotens ac robuſta diuinitas moliri poteſt illico filium gignit, non se rudiorem vt alij, non minorem, ſed ſibi parem omnino, ac numeris omnibus, quos diuinitas exigit, abſolutum; vt pote viuus viuentem, ſapientem ſagax, validum robuſtus, vegetum illibatus, integer incorruptum,

 diues

diues opule ntum, æternus immortalem, beatus felicem progenerat. perquàm ſanè recondita, non inficior. & inſueta generatio eſt,non tamen incredibilis, non abſurda, quandoquidem veluti riuus è fonte, ſic Dei Verbum paterna ex mente procedit. *Ex Orat. P. Fel. Feliçij de Sanctiſs. Trin. habita à Rob. fidelis.*

## *Sapientia diuina.*

QVibus eſt,non quibus ornatur,æſtimari ſe cupit. humani pectoris imperatrix,diuini filia; hæres paternæ mentis, theſaurus ſuæ; celſa, ſublimis, apta ex ſeſe, non alicuius ſeruitio mancipata: ſeueritate mitis humanitate grauis, fæcunditate felix: ſine ortu veterrima, ſine occaſu nouiſſima; ſine incremento maxima: propriæ virtutis cultrix, aſſertrix alienæ, honeſtatis parens, ſanctitatis comes, caſtigatrix morum, moderatrix affectuum, publicum immortale, diuinum bonum. *P. Vinc. Guiniſ. alloc.* 5.

## *Spiritus Sanctus.*

BOnus auræ bonæ vapor expiratus è corde Patris, expiratus è corde filij, medius inter vtrumque; Perſonæ dumtaxat ſingulari notione ſecretus à ſingulari notione Patris, & filij; cæterum vniuerſam vtriuſque vim continens, & naturam totam eandem, ipſam ſempiternumque fœdus Amoris, ſempiterno fœdere conciliatus vtrique; voluntarius vtriuſque ſplendor è communi Deitate collucens; virtutis & honoris ſempiternitate par: atque vt vnus è tribus, ſic non alius,aut diſſimilis, ſed prorſus idem naturæ ſimplicitate conſubſtantialis, & æquali s vtrique. *Et inf.* Spiritus à Patre filioque procedens, qui vitali calore mentes hominum colluſtrat: qui ſui celebratione ſic compleuit orbem terrarum,vt commõſtrator clariſſimus eſſet & Patris & Filij, veriſſimus ſempiternę Trinitatis aſſertor, ac vindex, inſpirator veritatis omnis,opifex pulchritudinis ipſe pulcherrimus, ſapientiæ ſacer ac ſanctus Antiſtes, honoris vigor, educator animorum, demum Spiritus Veritatis *P. Stephon. or. 3. de S. Spir. adu.* Cum

Cum ab æterno tempore nihil omnino eſſet in arcano diuinitatis quod per ſe optimum, idemque præſtantiſſimum mirabiles amores non excitaret ſui; neceſſario debuit ſummæ huic bonitati par Amor inueniri. Sed nimirum Deum diligere perinde, vt æquum fuit nemo poterat, niſi Deus, qui in omni æternitate comprehenſum habuit, quo, aut quanto amore diligenda eſſet Natura omnium præſtantiſſima nullum agnoſcens fabricatorem ſui, nullius indiga, nulli obſtricta, non aliena vigens felicitate, non alienis opibus potentiſſima. non aduentitio nitore conſpicua, non precario maxima, ſed ſua ſponte præſtabilis, & auguſta, ſeſe opulenta, ſeſe admirabilis, ſeſe verenda, & quod in ſe ſua ponit omnia, ſeſe perbeata. Vt ergo tota diuinitas amaretur pro dignitate, vitale quoddam inter Patrem & Filium exarſit incendium charitatis, quo alteri vita eſt impertita, non fluxa, qualem vulgo nouimus, non fragilis, non caduca, non mortalis, ſed cum à Deo manaret, diuina omnino ac ſempiterna. Huiuſmodi nos Amorem, quem velut exardeſcentem quendam impetum voluntatis impulſumq; nobiſmet cogitando ſubijcimus, Spiritum Sanctum & veriſſimè dicimus, & caſtiſſimè veneramur: cuius quidem nominis ea eſt origo, quòd Spiritus Sanctus è Patre ſimul ac Filio, & ſi duobus, vnico tamen ſpirandi principio par vtrique Deus exiſtit. Interim apertum eſt, cur idem Spiritus Amor nominetur: nam cum ex voluntate in amorem ardentius effuſa promanet, aptiore nec debuit, nec potuit vocabulo nominari, quàm quod infinitè exæſtuans diuini Amoris ardor imponeret. *Ex orat. P. Fel. Feliciȷ ſupra cit.*

## *Amoris diuini in hominis animum illabentis effecta.*

ETenim Deus hic amor, vbi quemadmodum ipſe nouit, & ſolet, humana pectora ſui præſentia numinis opacauit; vbi nunc vaporata vitali ſuo calore corda, nunc tamquam imbribus irrigata voluptatis, ſicut tantum decebat hoſpitem, præparauit ſibi; quid dicam quàm facilè, quàm expeditè, quàm liberè,

quàm iucundè, quàm ſtrenuè, quàm magnificè, quàm amplè vires omnes virtutum omnium immittat, & incitet ad omnem honeſtatem, & laudem? Quemadmodum, & cogitationes, & deliberationes, & voluntates, & appetitiones, & iracundias, & cupiditares & omnes corporis, animiq; ſenſus quamlibet in partem impellat, ac verſet? Quemadmodum illam euocet, atq; ad omnis officij cuſtodiam explicet virtutum ſeriem honeſtiſſimam, ac beatam? Integram primò fidem ad agnitionem ſupramodum beneuoli numinis, & iuſti: Caſtum exinde timorem, certiſſimamque ſpei fiduciam alacrem, & certam è diuinæ bonitatis, & iuſtitiæ veneratione generatam: Ex hoc autem veluti fonte perpetuum odium prauitatis omnis; E prauitatis odio continentiæ ſalubre conſilium: Ex hoc ipſo cæterum ſubinde recenſe ordinem honeſtatis omnem: Ad punitionem quidem delicti ſeueriſſimam diſciplinam; E diſciplinæ ſeueritate tolerantiam voluntarij laboris, & abſtinentiam, omnem titillationem ſenſus, omnes leuiculæ voluptatis illecebras ex animo reſpuentem; omnem iactantiam & oſtentationem; omnem contumaciam, ſuperbiam, arrogantiam; omnem deniq; malam animi cupidinem, & nugatorium aucupium falſæ voluptatis, & gloriæ. Hoc porò conſtituto non dubiæ, ſed certæ, non obſcuræ, ſed expreſſæ iam in intimis animi ſenſibus probitatis ſtatu; continuò benè moratus animus in educatu boni Spiritus, in ingenium ſuum, emollitum iam atq; ſubactum, & ad expreſſiorem diuinæ ſimilitudinis indolem probè præcultum, & comparatum, omnem reliquum virtutum excipit comitatum, ac neceſſitudinem, tanquam reſti per manus data, pulcherrimæ clientelæ; bonitatem, innocentiam, integritatem, conſtantiam, æquitatem, animi celſitudinem, & excellentiam; tum aciem mentis, ceu per perſpicuum vitrum, traiectam, ad intellectum ac ſenſum ſummi boni; tum intelligentiam, & experientiam recti, ac veri; tum perſpicientiam, & vſuram multò fructuoſiſſimam iuſti ac pulchri: tum optimæ rationi conſentaneam conſuetudinem morum, & vitæ quam emendatiſſimæ conſtantem tenorem, eundemque vultum in mæſtis rebus, non ſecus ac lætis, ad grauitatem compoſitum, & quandam veluti decori

cori lucem efflorescentem è temperatiſſimis animi motibus ad ſpecimen virtutis, ad officij dignitatem: tranquillitatis deinde perpetuas quaſi ferias, & ſtatum honeſtiſſimæ quietis, & alcedonia placidiſſimæ pacis. Ad hæc animum compotem mentis, & verè ſui iuris, & imperantem ſibi ſemper optimarum partium, & primarum: ſapientiæ beatiſſimum lumen, tanquam in liquidiſſimo cælo, ſemper obuium, & ſerenum. arbitrium exinde ratum, exſcriptumque ex veritate decretum optimæ mentis apprime tenax, & certum in omni deliberatione conſilium: omniumq; rerum humanarum diuinarumq; prudentiam: & firmiter iam impreſſam atque inhærentem in animo ſimilitudinem Diuinitatis. *P. Stephon. or. 3. de Adu. S. Spir.*

## *Gratia diuina.*

OFfert ſe primum nobis gratia illa ſufficiens, Virgo nobilis, cæleſti planè genere, ſpecie, conſilio, moribus Deum ſpirans, quæ dotata ſatis patrimonio pulchritudinis, & beatitatis, è cælo delabitur humano arbitrio nubilis, porrectaque veluti dextera, vti de ſuis Deabus fabulatur antiquitas, rapere hominem tentat ad ſe ſe. Verum repugnat hic Auroræ vocanti Cephalus, nec trahentem Cynthiam ſequitur Endymion. Adoleſcens ille diues audito Chriſti hortamento minimè obaudiens recedit triſtis: ad cænam magni Patris familias plurimi inuitantur, accedunt pauci; nihilque frequentius noſtro generi exprobratur, quàm illud. Vocaui & renuiſtis: Extendi manum meam, & non erat qui aſpiceret: Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti? Hunc in modum reginæ pulcherrimæ regijs plane conditionibus ambienti, ac petenti conſortium, diuortium facimus; imò inter pacta ſponſalia conditione illius optima non vtentes, illud tandem efficimus, vt quæ recepta fundaſſet nobis familiam meritorum, repudiata domum nulla producta ſobole caſſam relinquat, quin etiam virtutum omnium morte funeſtam. *P. Leo Sanctius florid. ſer. 1. pref. 10.*

*Appoſitè etiam hunc in locum conferentur, quæ de diuino Spiritu ſparſim habentur in libello Orationum de S. Spiritus aduentu, quæ habita ipſo Pentecoſtes die à Sem. Rom. Conuictoribus opera P. Hieronymi Nappij collecta ſunt. Ea quatuor in claſſes diſtribuentur, ita vt Prima repentinum de cælo ſonum in eius aduentu factum deſcribat. Secunda aduenientem flatu vehementi Spiritum. Tertia eundem multiplices diſpertitum in linguas. Quarta illapſum terris è cælo diuinum ignem.*

## *Repentinus de cælo ſonus.*

OBſtrepit extemporaneus è cælo ſonitus, qui populorum ac gentium ſurditatem effringit, & hominem cęlo procul exulantem recenti ſono, quaſi voce ad conſecutionem priſtinæ felicitatis acceſſit.

At ecce factus eſt repente de cælo ſonus. Ne metue veteris eluuionis procellas tonanti fragore tremefacta tellus. Bene ominari iam licet. feliciſſimo profuſa nimbo ſuis opibus diuinitas implųet. nimirum Amor tonat. non hic vltricia fulmina diſploſurus ſonitus, cælitum iras, terrarum clades immurmurat, ſed ignes ſine vulnere prænuntiat innocentes.

Niſi fallor diuinus ille ſonus præcentoris Amoris ſonus eſt, qui prius auribus adblanditur, vt per aures imperium inuadat animorum. Siquidem & Moyſes legem daturus prius vſus eſt cantico, vt ſacræ ſuauitate dulcedinis æternam legis obſeruantiam mentibus inſinuaret humanis. At Moyſe maior hic ſpiritus nationes mundi diſſociabiles atque diſcordes, ita concentu morum, & cæleſtium harmonia linguarum diuinos attemperauit ad modos, vt orbis terrarum aliquando miraretur ex omnibus mundi nationibus factum eſſe vnum cor, vnum chorum. Enimuero cæleſtis amor muſicam docet: quia quod continet omnia, ſcientiam habet vocis, & qui nouit corda omnium ſpiritus, omnium corda conſonare facit.

Non ſine fragore ac ſonitu fulmina cadunt: nec poterat ſonoro ſine tonitru fulmen illud inauditæ eloquentiæ Apoſtolis dari, quo & altiora deprimerent, & dura contererent, & frangerent obſtinata.

Enimuero modulatus hic ſonus exauditus è cælo,

plauſus

plauſus mihi magis videtur eſſe triumphanti iam Deo ſuoque ſanguine purpurato, triumphalem nuper arcem ingreſſo à beatarum mentium choris, quàm noui certaminis hoſtilis & in'nax prouocatio.

Ergo ſplendidè illapſura per flammas felicitas ſonoro ſpiritu non minaciter, ſed amabiliter tonat; vt ex amabili tonitru vitalis ignis fulmina amare & cupere condiſcamus. Silete cæleſtes orbes ( ſi qua tamen fides ſuperſtitioſæ veterum philoſophiæ haberi poteſt ) incitatiſſima conuerſione ſuauiter ſonori. Repentinus hic cæli ſonus verè iucundèque implet aures noſtras, dum terrarum amantiſſimum cælum non auarè in ſeſe conuolui, ſed amoris ignea ſignificatione liberaliter in terras effundi prænuntiat.

Repentinum è cælo ſonum, quaſi belli ſignum ad arma cæli legionarios euocare, ignemque cælo tonante pluuium in fulmina & ſequaces iras ad excidium ruinamque Hieroſolymæ perituræ deſcendere credebamus. Verum ſonus ille pacis aura fuit, ignisque verè pacalis, amoris æterni ſacrificio fœderata mortalium corda combuſſit.

Cui quidem triumpho ſpeciem addit longè pulcherrimam factus repente de cælo ſonus tanquam aduenientis Spiritus vehementis; ſiue triumphanti in flammis amori plauſus ille fuerit è cælo datus; ſiue eiuſdem amoris vox fuerit, Apoſtolici nauigij gubernatores inuitantis, vt à Iudeę quàm primum littore ſoluerent.

At vbi noua lex amoris eſt promulganda, non tonat cælum, ſed ſonat. factus ergo repente de cælo ſonus nonne muſicen refert, quam docet Amor? Hic ſonus Pythagoręa cæleſtium orbium modulatione quò verior, eò ſuauior è cælo datus eſt ad eam in terris regendam harmoniam, quę non è concentu chordarum, ſed è conſenſu cordium reſonabat; cum hæc quamuis numero plurima prę concordia pluſquàm muſica erant cor vnum. Quod ſi leges aliæ profanę carminibus illigatę decantari ſolebant, quò iucundius in aures atque animos illaberentur: ſacræ leges Amoris, quæ ſuauiſſimæ ſunt, ac penitus appetunt in corda deſcendere, qui poterant ab amabili cantus ſocietate diſiungi?

Naſcente quidem mundo, in eo ſpiritus agitantis motu,

motu, edita eſt multitudo ſonitus aquarum, qualis nempe informem decebat abyſſum. At Eccleſia ad concordiam nata linguarum, & ad digiti Dei ſonitum, cordium animorumque chordas vnanimes pulſantis extructa, concentum ſtatim edidit ſuauiſſimum, quo vel ſemel audito, poſita feritate, melius quàm ad fabuloſam Orphei lyram, criminibus flagitijſque viuentes, hoc eſt belluæ terrarum manſuetudinem ita didicere, vt collum antea contumax & refractarium, deinde verò promptum & alacre iugo ſubiecerint triumphantis in hac Vaticana regia Veritatis.

Enimuero ſomniet nunc ſibi animo delirante Pythagoras ſonum neſcio quem ex orbium cæleſtium vertigine, quanto libitum fuerit artificio editum ac ſuauitate: hodiernus certè ſonus quò verius, eo ſuauius auribus accidit, quo nempe afflante totius reſonat aura diuinitatis.

## *Adueniens flatu vehementi Spiritus.*

NVlla erat aura tam felix in hoc rerum humanarum fluctuoſo mari, quæ ab infamibus tot vitiorum ſcopulis hominum mentes miſerè periclitantes auerteret, nulla quæ à ſyrtibus attrahentium cupiditatum auocaret, nulla quæ à Syrenum voluptuoſo littore reduceret, nulla quæ non etiam impotenter impelleret in charybdim voraciſſimam auernalis oræ. Tua tandem aura Sanctiſſime Spiritus debuit adſpirare, quæ vela nauigantium in cælum ageret, noſtramque cymbam à congredientibus huius vitæ cupiditatibus tanquam Cyaneis ereptam inter ſidera collocaret.

Spirat opportunus, impetuque maximo concitatus ventus, qui exæſtuantem arentemq; terræ faciem, collectis è beatorum regno gratiarum nubibus recreat irrigatque, pretioſo virtutum odore perfundit, ac ſaluberimi aeris aſportatione lætificat. Quin etiam è portu periculoſo rerum humanarum ſoluturis in ſinum beatitatis, nauigationis curſum ſecundum pollicetur.

Iam verò flammas præit vehemens vna cum ſono Spiritus,

Spiritus. O temporum noſtrorum felicitatẽm. Hoc ſanè hoc in ſpiritu Dominus. Veni qui fertiles aſflas calores cæleſtis Auſter, perfla hortum tuum. Augur, Deo colente mollita, aſpirante Deo tepefacta terræ duritie, læto veris prodigio cæleſtia fluent aromata.

Iam verò ſeſe per flammeas linguas inſinuans in animos iucundiſſimus hic æſtus vehementi commodum ſpiritu ventilatur, vt efficacibus vitam flammis par ventus inſpiret; quandoquidem vnus poteſt ſuum diuinus Amor ardorem euentilare. Quanquam eam quoque cauſam argutus hic cæli ſtrepitus mihi ſonat, quare ſimul in ignem atque auram mutetur Amor: vt nimirum in amoris æſtu amorem pro aura reſpiremus. Etenim ſuauiter æſtuant, quibus amor aſpirat. O aſpiratum ex amoris pectore vitalem perfrigidæ mortalitati calorem. O benefici Spiritus aureis flammis aureum ſæculum afflantis impetum ſalutarem. Surrexiſti nunc tandem Aquilo, qui diſflatis errorum nubibus diuinæ ſerenitatem veritatis aperires, qui penetrabili frigore penetrales vitiorum æſtus adureres. Veniſti auſter, qui hominum animos, hoc eſt frigidum ac ſterilem ſine te hortum tuum fœcundo calore perflares, quique felix Amoris incendium vni hodie Hieroſolymæ pluuium toto terrarum orbe diffunderes.

Repentinus cæli fragor, & vehemens auræ tonantis afflatus, reuocat in memoriam efficaces naturæ fremitus moriente nuper Domino laborantis. Nempe hic quoque ſupremus rerum opifex emittit ſpiritum, ſui ne dicam oris, an noſtri? & illum quidem ad inferos non pœnarum certè ſed criminum: in haſce nimirum terras, in hæc ſcelerum conceptacula atque ergaſtula mortalitatis. Sed vnde hæc tanta vis, quò tantus inuergit impetus inquietæ præter ſolitum charitatis? Amor ſuauiſſimus tranquillitatis artifex ſine ſtrepitu ſemper efficax, ſine tumultu vehemens, ſine pompa conſpicuus, qui quondam ſibilo auræ tenuis, medioque ſilentio tanquam præconio delectari conſueuit: ille nunc in ſpiritu vehementi, in fragore ac flammis, ille nunc vndique perſonat, ac propè dixerim tumultuatur in turbine? nimirum tacere, dum doceas alios diceτe importunum eſt: quieſcere, dum

cuncta

cuncta permiſceas, inuſitatum. Quod bene mortalium generi vertat vniuerſo, nunc primum vtimur operoſo dic[illegible] di magiſtro

Quin etiam id eſſe cauſæ interpretor, cur vehemens ignem ſpiritus comitetur, quod amoris calor non ſine ſuſpirio ſit. O cæli ſuſpirantis ab amore ſpiritum vitalem O animam ſuauiſſimam mortalitati recreandæ afflatam. O auram odoratiſſimam ex immortalis horto voluptatis, floſcentiſſimæ odores virtutis expirantem O feruidum diuina charitate torridæ regionis Auſtrum beatis caloribus noſtra frigora diſſoluentem,

Etenim ignearum auriga linguarum vehemens Spiritus ideo terris incubuit, vt venti vehementioris impetu longè latèque ſpargeret flammam, omniſque mundus experiretur longè maius incendium amantis Dei, quàm indignantis olim diluuium expertus eſſet.

O expectatum diem, cuius exortu ventum de theſauris ſuis æternus Sol coronatus igne produxit. O auram ſalutarem, quæ ſpirantium facundia linguarum, mortalium ſalutem diſertè perſonuit. Tunc enimuero Patres fidei noſtræ, felicitati reſtituendæ initos curſus celerrimè tenuerunt; ad omnium gentium fines, vbi erat impetus Spiritus gradiebantur.

Rumor is venti cælitus terras afflantis, qui priuatos intra cænaculi parietes contineri nequibat, potuit nouam legem ad remotiſſimas quaſque perferre nationes. Neque venti murmur violentum abhorrens à placido Amoris iure quis cenſeat. Nam & ortum ab amanti corde ſuſpirium ventus eſt intimos æſtus aut alleuans, aut refrigerans: & venti quid aliud ſunt quàm terræ ſuſpiria ab incluſis caloribus anhelantis? Spiritus ergo vehemens præmiſſum ab Amore ſuſpirium fuit, cuius amabili ſed efficaci ſono à ſomno corporis ac timoris expergiſcerentur homines ad vigiles aures Amoris legi præbendas.

Diuina

## *Diuinus Spiritus multiplices diſpertitus in linguas.*

NAm ſicut olim ſupremus rerum molitor & architectus plurium confuſione linguarum inſanos Gigantum labores, & ſuperba conſilia in Babelicæ turris ædificatione diſſipauit: ita ſideribus æquandam Eccleſiæ Romanæ Catholicæque turrim moliturus, linguarum quoque diuerſitate fabrefacit, & Sacroſancto nomine fortiſſimo tanquam præſidio munit.

Monet hic me rei nouitas vt exquiram, cur hodiernus non cadat è cælo ignis de more aculeatus in fulmina, ſed illabatur inſolitas obtuſus in linguas? An quia odit amor fulminare ac lædere, amat verò lambere & blandiri? vt quot ille igneis in linguis apparuit, totidem amantiſſima pacis oſcula libaſſe videatur. An quia ipſe ſibi fama eſt amor, qui tot linguis abundat? Vt mirandum non ſit, ſi hodierni beneficij ſonus amabilis ad vltimos vſque terrarum fines breui pertinuit.

Victimarum olim lingua præconibus tribuebatur, qui lingua fauere populum iuberent in ſacris; an non par erat, vt linguæ diuinitus Apoſtolis tribuerentur, qui veræ religionis futuri præcones, obſtrepenti erant ſuperſtitioni ſilentium impoſituri. Tandem ſi in extruenda ſuperba illa Babylonis mole, linguarum ex vna in plures factum diuortium viam ad impietatem omnem, & corruptelam aperuit; eadem planè debebant homines via, hoc eſt linguarum multiplicitate ad integritatem redire morum, & ſanctimoniæ, vt fieret è multis cor vnum & anima vna, quæ vna in poſterum lingua loqueretur.

Linguis nimirum hodiernis ampla de orbe vniuerſo victoria & gloria debebatur. neque enim alia facilius arte, quàm imperioſo linguarum cantu nefariæ ſuperſtitionis ſaxa vbique per ſummam impietatem mendacibus numinibus excitata moueri, remouerique ex aris templiſque potuerunt. Bene ergo pugnaturus linguis hodie impluit Deus. Ite auſpicatiſſima,

tiſſima, hoc eſt veſtra luce ſublapſæ pugnatrices linguæ: ite noui belli eloquentia fulmina: ite nobilis victoriæ auctores illuſtres & nunciæ.

O verè flexanimas linguas, immò animas, quæ abiectum illud ſuperſtitionum cadauer nouo veræ vitæ ſpiritu animarunt. Et profectò Vrbs illa, quæ futura erat in imperio diuini amoris magiſtra gentium vniuerſarum, non aliam debuit animam habere, quàm linguam.

O ſagax & ſuaue amoris conſilium, qui imperium animorum inuaſurus vigili prius aurium cuſtodiæ, doloſa linguarum adblandientium præcentione ſomnum conciliare mollebatur: & conciliarunt quidem ex ſententia ingenioſæ linguæ. Veſtrum hic ego appello ſilentium clamoſæ quondam, nunc autem validiori cæleſtium linguarum cantu conſopitæ porticus Philoſophorum.

Sed quare tempeſtas hæc ignea miſſilium linguarum innocenti prodigio placidè fulminat? An quia fulmen amoris lingua amabiles facilè flammas proximum iaculatur ad cor? An quia ſuum erga nos profuſum calorem prodigus amor non poterat niſi ardentibus linguis explicare? An tandem quia diuini Verbi munus aptiſſimum cæleſtes linguæ ſunt? Vt nemini mirandum ſit, ſi factus eſt repentè de cælo ſonus, linguis enim pluit.

Nec par eſt vnam afferri linguam ab Oratore, qui velit emere corda multorum. Deſcendit in campum Amor & diſertus ac multiplex, omniumque linguarum: nempe vt cor, vnus ipſe ſit omnium. Iam effuſos ad concionem Apoſtolos fauere iubet animis, quando cælum fauet & linguis.

Sed quid ille nuper ignis vitæ diſpertitus ac multiplex in linguas abijt? an vt propius ad animos penetraret? enimuero ſi quando fuit certè nunc eſt vita mortalium in manu linguæ, vel potius in cordis manu, quandoquidem video non aliam cordis manum eſſe quàm linguam.

Et quæ lingua Diuinitatem vnquam ſatis explicare potuiſſet, niſi ad amores ſuos enarrandos Deus ipſe verſus eſſet in linguas? Deus igitur, qui amantis Eccleſiæ cordi vitalis illapſus eſt Spiritus, idem Deus **Eccleſiæ loquentis in ore factus eſt lingua**, vt inflammati

miati cordis holocauſto par hymnus & lingua reſponderent. Decorè ac ſapienter lingua donum eſt Verbi, & Verbi ardenter amantis ignea lingua donum eſt.

Vix omnipotentiæ dextera cælum condiderat, & ecce pulcherrimorum artifex ignium Dei digitus lunam & ſtellas elaborauit. nimirum vt Dei gloriam cælum enararret ardenter, ſpiritus Domini ſtellas, hoc eſt igneas cælo linguas adiecit Et hodie renouaturus orbem terrarum, idem Spiritus vniuerſam Eccleſiæ faciem irrigauit imbribus gratiarum, & Apoſtolorum vnicuique quaſi cælo ad enarandam Dei gloriam, & ſtellas, & linguas indidit ardentiſſimas; vt fulgurantium ſplendore linguarum præceptum amantis Domini lucidum, & eloquium charitatis diuinæ conciperetur ignitum. Per Angelos olim Deus legem daturus loquebatur ad homines; ſed quid opus fuit amplius linguis Angelorum, vbi Dei linguam mundus audiuit?

Quid cauſæ dixerim eſſe, cur deliteſcentem in antro noſtri generis reparatorem, vna tantum ſtella, cæli ſcilicet lingua prædicarit; eundem cælo receptum innumera pene ſidera linguas imitatą dilaudent? An ideo vnius ſplendore ſideris ſignificari debuit Dei vagientis infantia, quòd puderet quodammodo cælum pauperiem lacrymaſq; traducere imperatoris ſui, cuius nunc triumphos vt iactet & laureas totum prorſus abire geſtit in linguas? An iuſtitiæ Sole hominum ſe ſe aſpectui inferente, prodigij loco fuit, quod vel vna cælo ſtella præfulſerit; ſed eodem mortalium ab oculis ſubducto, par erat vt ſtellarum fulgor erumperet, & vnius iacturam Solis infinita propè aſtra redimerent? An Sabæis Regibus Bethlemicum in antrum perducendis vnici ſatis fuit ſideris nitor; Chriſtianæ verò religionis principibus in varias orbis terarrum partes profectionem meditantibus multiplices prænitere debebant faces, vt diuerſa planè ad littora curſum intendentes ſuam ſinguli haberent itineris Cynoſuram.

Nec immerito in linguas hodierna ſidera conformantur; ſiue vt deſtinatum iter non modo luce ſignificent, ſed etiam blanda oratione perſuadeant; ſiue vt Dei Verbum, quod huius nauigij merces eſt, defe-

ratur in lingua; ſiue vt laborioſæ nauigationis moleſtias ſuaui concẽtu releuent ſidereæ linguæ, hoc eſt cæli Syrenes prorſus innocentes; ſiue denique vt diuinus amor linguis inſtructus erumpere poſſit in voces, quibus mare ac venti obedientes fluctus inſanos comprimant ac tempeſtates. Niſi forte quis arbitretur aduentantem in igne Dominum acuiſſe vt gladium linguas ſuas, vt eædem flammæ fingerentur in aſtra ad curſum dirigendum, & formarentur in arma ad orbem terrarum ſubigendum.

Diuinus nempe Spiritus halitus eſt æterni conſilij non à Patris potentia ſolum afflatus, ſed ab Vnigeniti quoque ſapientia deriuatus, à quo etiam hodie mittitur inter ardentes eloquentiæ teſſeras, linguas igniras, quibus Verbum ipſum Patris ediſſerat humanis auribus, neque doceat ſolum ingenia Veritatem, ſed perſuadeat etiam moribus honeſtatem.

Iam verò in Sinai præter audita tonitrua micant, & fulgura; vt ſcilicet horrida fulguris lux, & prænuntia fulminis non niſi metuendam legem, ac pene fulminantem præmonſtraret. Non ita ſe res habet in Sion. fulgurum loco igneæ linguæ præfulgent. quantum hæc ab illa luce diſſentit. Oculos illa ferit, & fugit, hæc ſummos vertices inſidet & coronat: illa nubibus exſilit laceratis, hæc nulla ducta rimula totam implet domum: index illa eſt cæli contra mortales excandeſcentis, hæc eiuſdem hominibus placati certiſſimum pignus. Denique ſi lingua cæleſtis vtraque dicenda eſt illa cælum balbutit, hac loquitur: illa lædit, hac lambit: altera minatur, blanditur altera: illa condemnat, hac abſoluit: illa timoris legem pronunciat. hac Amoris.

Quid autem cauſæ fuit, cur lapſæ de cælo linguæ ſuper lectiſſimi cœtus capita non ſtetiſſe, ſed ſediſſe dicantur? An ipſe etiam cæleſtis opifex volens Eccleſiæ turrim ædificare, quodammodo prius ſedens ſumptus computauit operi perficiendo neceſſarios?

Quamquam linguæ ſpeciem præferunt Amoris fulmina, quia ſagittarius animorum per aures certius deſtinat, nullumque fulmen tractat feriendis cordibus aptius quàm linguam. Niſi potius dixerim in linguæ ſpeciem conformari fulmina amoris, quia ſunt adeo certa victoriæ, vt dum vulnus inferunt, ſibi ipſa

canant

canant epinicium: aut quia cum mitia ſint amoris prælia, fulmina adhibentur, quæ forment potius lambendo, quàm deforment diruendo: aut certè quia linguis fulminandi fuerunt, qui fundendis precibus intenti cælum linguis laceſſebant.

Quodſi vt Cyrillo placuit, hæ linguæ gladiorum etiam ſpeciem præbuere, appoſitè ſignificarunt omnes latè terras noui Principatus armis, hoc eſt diuini Verbi gladijs ex vtraq; parte acutis Chriſtiano imperio ſubiugandas.

Ex inacceſſo Verbi Patrem redamantis pectore, ex æterna illa flammarum immortalium officina procedit Spiritus iſte diuiniſſimus: quid verò ex amanti flagrantis Verbi pectore promanare poterat opportunius, quam cuſpidatus ignis in linguas, futuras olim ſplendidas ignaræ mortalitatis eruditrices?

Inauditam verò demirari par eſt inſtituendi rationem amantiſſimi Præceptoris, qui peramabili charitatis inſtinctu in igneas ſe ſe linguas effinxit, vt erudita de palæſtra flammarum ignei prodirent Oratores in Solem.

Taciti, ex quo ſine Verbo diſcipuli, dum non iam Verbum à lingua, ſed à Verbo linguas expectant, aſſiduis vdi lacrymis agnouerunt ferri adhuc Spiritum Domini ſuper aquas.

## *Pluuius è cælo diuinus ignis.*

Adeſt in primis ad tecta Sion euocatus è præcordijs diuinitatis ignis, qui ad occaſum præcipitantem ſe ſe intermortuum rationis humanæ diem, in Orientis iubar veritatis auguſtiſſimum reuocat: tenebricoſamque ignorantiæ caliginem inuſitatæ fulgore lucis illuſtrat. Adeſt natiua è ſede miſſus non quidem ad iniurias irati numinis vlciſcendas, vel ad infames ſcelerum colluuione ciuitates abſumendas, ſed numeroſum vt impietatis longè latèque debacchantis malum, ac rediuiua pullulantis hæreſeos, veluti lernæi monſtri capita extinguat, & cadaueroſum ægrotantis naturæ vultum viuido calore perfundat.

Patrios inter cæli ardores ardentiſſimus Amor ignem

ignem hodierna die perpluit: Amoris enim pluuia ignis eſt. Enimuero non erat, cur priſca poetarum ſuperſtitio parco, modeſtoque Promethei furto cæleſtis ignis particulam hominum luto animando immiſtam fabularetur; cum ſe ſe totum in lutea pectora vitalis incendij ſplendido aureoque diluuio infinitum liberaliter Numen effundat.

Adſum incendij nuncius, quo incendio cum vniuerſus terrarum orbis, tum præcipuè Regina hæc vrbium, Vrbs ampliſſima conflagrauit. Neque tamen opem imploraturus adſum, ſed ardorem gratulaturus. Non enim Nero aliquis, trabeatus vltor, feralem ſubdidit facem: at ipſe ſuos iniecit ignes amor hominum Deus.

Communi Sole non eget hæc dies, omnium ideo illuſtriſſima, quod Sol ipſe infinitus lucido profuſus imbre delabitur. Et quiſquam in tam prodiga ſui luce non videat feliciſſimè terras illius Solis ardore torreri, qui cæli felicitas eſt. Quanquam ego non facile à cælo terras diſtinxerim: ſiquidem vtrobique Sol habitat.

Vos ô flammæ ſalutares, vel ipſos frigidæ mortalitatis animos facile inflammaſtis, quia vos Amor immiſit. Vrbem Romam deformi ædificiorum ſqualore ſeneſcentem incendit Nero, vt nitidiorem in ſpeciem recoqueret ac reformaret. Sed funeſtiſſima illa patriæ fax nil aliud potuit quam incendere ac demoliri. Vobis ea gloria reſeruabatur amantiſſimi Numinis optatiſſimæ faces, vt efficaci veſtro incendio non vna tantum Vrbs, verum etiam orbis terrarum vniuerſus poſito vitiorum ſenio ad primigeniæ virtutis decus iuueneſceret.

Cur autem ſuper Iordanis aquas pridem candidus ales volitabat, hodie ſuper Sionem montem ignis exardet? Dicamne diuino amori velociſſimè ad nos deſcendere cupienti volantis auis pernicitatem nimis tardam viſam eſſe, ac proinde vento vehemente inuectum rapidiſſimis in flammis tanquam ſuper fulminum alas deuolaſſe?

Mirer Spiritum veritatis candidiſſimæ præter morem pluuijs in ignibus rubuiſſe? Sed fortaſſe idcirco Iam meis rubeſcit in linguis, quia purpurato nuper ui effuſione ſanguinis diuino Verbo, Deus item

Amor concolor illi apparere voluit in purpura flammarum. Aût hæ flammæ rogi ſunt viuaciſſimi, è quibus idem Amor humanis iampridem extinctus in cordibus feliciter reuiniſcet. At noſtros quàm ſuauiter recreant caligantes haſtenus oculos fulgura iſta cælo vt nunquam ſereno cadentia. O certè fauſtiſſimum omen non niueum, ſed quia amoris eſt, rubicundum.

Ignem humanæ ſocietatis auctorem fuiſſe putauit antiquitas; propterea quòd ad ignem recens inuentum accedentes cœperint homines ſimul congregari, colloqui, ciuitates condere, Reſpublicas conſtituere, mutua rerum commercia exercere, vno verbo, informi adhuc orbi terrarum faciem hanc elegantem inducere. Vos vos immortales amantiſſimi Spiritus ignes decet fama nobilior, veriorque coactæ in vnum, ac prope ſibi redditæ humanitatis. Viuebat ante mortale genus, ſed ſine calore ac ſpiritu charitatis: aſperum, intractabile, moribus aduerſum, ingenijs diſſimile, ſtudijs varium, tam ſui auarum amoris, quam prodigum ſanguinis alieni. Hanc verò tam incompoſitam, & pugnantem populorum congeriem, hanc vt ita dicam, rudem & indigeſtam generis humani molem, quis concordi pace coniungere ac ſociare potuiſſet, niſi hodiernus liberali pluuiſ profuſus ignis, quem ſuauiter excuſſit velut è corde Diuinitatis ſoler tiſſimus Amor, vt eo calorem extinctæ propemodum humanitatis accenderet.

O capita immortalitati deſtinata, quæ hodie immortalis inſedit ignis, vt diuini beneficio Spiritus laborioſæ nauigationis duces haberetis aſtra nunquam occidentia: neque enim timere poſſunt occaſum ea ſidera, quibus pro luce ignis eſt, pro igne Deus.

Hoc planè demonſtrant ignes de cælo demiſſi, qui mihi ſanè videntur, aut ſacroſanctæ veluti faces puriſſimo connubio ritè ac fauſtè prælucere; aut beatum Sponſæ caput ſuper expanſis innocentibus flammis cæleſti quaſi flammeo ſplendidè conuelare.

Quid enim aliud eſſe credam hunc ignem, quam aurum illud ignitum, quo locupletari mortales vehementer optat opum omnium domina, & diues ab omni parte diuinitas? niſi forte ignis iſte non tam

aureus

aureus quàm gemmeus pretioſos pyropos, flammatum imitatores egregios Sponſæ detulit; aut in eiuſdem Sponſæ mente virtutum gemmas produxit ijs longè clariores, quas in locis igne cæleſti tactis progenerari eximia venuſtate conſpicuas litteris proditum eſt. O ignem pretioſum, cuius flammæ ſceptra ſunt, rubor purpuram præfert, radij diadema contexunt, ardor ſpirat imperium.

Opportunè diuini fluuius amoris, qui fontem habet in corde Patris & filij, altiſſimas cæli ripas egreſſus terram inundauit: vt agrum quem ſator Deus paulo ante arauerat cruce, opimauerat ſanguine, fœcundauerat morte, corriuato etiam vberi fluuio largè rigaret.

Iure etiam ſuper Apoſtolos illapſus eorum capita præcipuè lambit, atque ora reſpergit fluuius iſte vitalis: ſiue vt capillos, hoc eſt radices humanæ arboris irriget, ex antiquo eorum Sapientum effato, qui hominem arborem eſſe inuerſam aſſeruerunt; ſiue potius vt oſtendat ſe ab ore diuino emiſſum in ore Apoſtolorum libenter conquieſcere; imò ne hic quidem conquieſcere, ſed tantiſper recondi, vt eorum deinde per ora, plura veluti per oſtia refuſus ſalubri diluuio in omnem terram exundet.

Ignei huius fluminis vtilitates quis enarret, quando non modo pretioſas quaſque cæli merces, ſed cælum ipſum liquefactum, imò Deum ipſum fluentem ac fuſilem cõportat in terras? Hoc flumen vere ſuperis ima continuat, geminoque facit mundo beata commercia.

Promiſſam dotem amantiſſimum Verbum Sponſæ daturum, igneam eloquentiæ copiam elargitur in linguis, quibus & Verbi ſymbolum præſeferat, & ardentiſſimi Verbi Sponſa pariter ardere poſſit ac loqui.

Gaudet prodigioſa ignearum eluuione linguarum terra, miraturque nouo planè magiſterio debere ſe flammis præceptricibus erudiri. Et ſanè cui res miraculo proxima non videatur, ad humani generis eruditionem aſſumi documenta flammarum? Qui docturus ignorantiam noſtram miſſus à Patre venerat filius ſempiternus, ita doctrinam ſuam voluit attemperatam, vt illam votis opportuniſſimis in

pluuiam

pluuiam concreſcere cum Moyſe deſiderauerit, & inſtar antelucani roris fluere iuſſerit eloquium ſuum. Iam verò cum nouus è cælo delabitur Inſtitutor, pro gelida pluuia flammæ deſcendunt, igneæ pro roris guttulis linguæ ſcintillant. An importunè? at halitus hic eſt è feruentibus æternorum amantium cordibus expiratus; id autem ſolemne habet halitus à natura; vt in flammas & fulmina ſuccendatur. Ex inacceſſo Verbi Patrem redamantis pectore, ex æterna illa flammarum immortalium officina procedit Spiritus iſte diuiniſſimus: quid verò ex amanti flagrantis Verbi pectore promanare poterat opportunius, quàm cuſpidatus ignis in linguas, futuras olim ſplendidas ignaræ mortalitatis eruditrices?

Hoc ſpiritu Veritatis artifice conformatus ignis hodiernus in linguas, illam innexit è cælo ſapientiæ lucem, cuius beneficio quàm feliciter emicuit illa, quam percipere potuimus, expoſitæ iam in medium notitia diuinitatis.

Etenim dum ſingulorum capitibus diuinus inſedit ignis, & auguſtas Apoſtolorum frontes innoxio coronauit incendio, ardoribus interim altius ingeſtis ſecretiora cæli myſteria immiſit in animos; vt erudita de palæſtra flammarum ignei prodirent Oratores in ſolem.

At bene eſt, expreſſum eſt è nubibus non fulmen aliquod metuendum, ſed amabilis repente fulgor apparuit: arſere cometę non in regnorum pernicieм, ſed ad captiuitatem animorum erigendam in regnum: aperto cælo non imbrium, ſed ignium copia petimur, vt labes eluat flamma, quas vnda non potuit.

En iterum Spiritus Domini mundum peragrat, non vt olim ad fouenda rerum ſemina ſuper aquas incedens, ſed ad moliendam Eccleſiam ſuper ignem illabens. Amorem ſibi ſuum veluti diſſimulans commercio delectabatur vndarum: hic quia totus amor eſt, vt videri vult amans, flammarum ſe præbet in eluuione ſpectandum.

An non hoc igne fabricata fuit Eccleſia, quæ ipſo ſtatim in ortu ardore ſuo terram omnem accendit, tanta celeritate ſimul ac vi, vt traiectis miſſilium more flammarum immenſis marium ſpatijs, aquæ

multæ quas inter ferebatur, ardentem non poſſent extinguere charitatem?

Iam verò quid cauſæ eſt, quod in hoc igne Spiritus Domini cunctanter nunc ſedeat, qui ferebatur impiger ſuper aquas? An quia non permanſurus tunc in homine Spiritus Domini, fugam receſſumque ſuum præſago illo portendebat in motu; nunc verò cum ſedet, ad conſumationem vſque ſæculi domum nobiſcum ſuſcipit ad inhabitandum? Et ne quid miraculo deſit amantis, diuinus hic Spiritus in flammis effuſus ignem, qui pro ſede ſolum habet cælum, ſedere tanquam in centro iubet in terris. Sed vbi Amor eſt, ibi rerum omnium centrum eſt; & qui ſibi ex hominum cordibus theſaurum, quem amaret, fecerat in terris Deus ignem ſui Spiritus, cor nempe ſuum ſemper etiam eſſe voluit in theſauro.

## *Chriſtus.*

Fingite animo ex omnibus rerum omnium formis, quæ diuina mente continentur infinitæ excellentiſſimam ſpeciem, atque ideam: hoc quidquid eſt Chriſtum eſſe dico. Cogitate abſolutiſſimum opus, in quo efficiendo diuinæ virtutes ſingulæ toto conatu, atque impetu elaborauerint, quo nihil ſapientia mirabilius, nihil melius bonitas, nihil potentia maius, nihil auguſtius maieſtas, nihil ipſa Dei charitas ad amorem rapacius poſſit attingere; Chriſtus eſt. Fingite hominem dignitate, potentia, nomine, felicitate, imperio, ac ſede Deo parem, cui non homines reliqui modo, ſed beatæ mentes, atque adeò quidquid in orbe conſtat naſcendi conditione ſeruiat. Chriſtus eſt. Diſtinguite verò ſi placet hæc omnia, & partita ſigillatim, ac diuiſa totius animi viribus occupate, vt ſingularum rerum admirabilitas cùm propiùs ad cogitationem acceſſerit, mentemq; proprio, ac præcipuo ſplendore percuſſerit, iterum ſub animi contuitum collecta, ex infinita rerum præſtantiſſimarum varietate exaggeratam aliquam lucem pulchritudinis efficiat. Chriſtus quid eſt? quæris in hoc opere potentiam authoris? ſtupendum prodigium eſt, in quo ſe totam diuini numinis po-

teſtas

teſtas exporrigit, totam ad ſpeciem, & pompam oſtentat. Chriſtus quid eſt? quæris delicias amatoris hominum Dei, ſuauiſſimaſque blandicias? Oſculum diuinitatis eſt, quo ſe Deus homini applicuit, totumque circumplexus impreſſis quàm molliter, quàm amanter oris ſui veſtigijs viuæ quodam ardore charitatis animauit. *Ex Palatio Reginę Eloq; Exercit. 2. lect. 1. punct. 5.*

## *Chriſtus puellus ſpecioſiſſimus.*

VIdet infantem, qui vnus omnium hominum formas aboleret; qui radijs ſuis aſtrorum extingueret ignes; qui intuentiuum ſenſus raperet & amores. Ingreditur ambroſia luce radiatus, & nectare cæleſti perfuſus, & gratijs omnibus comitatus: Quis ille tandem? quid animum hiantem lingua ſuſpendis? Ingreditur (ò felicitatis non explicandę prodigium) ingreditur.

*Phœbea face purior Puellus,*
*Aſtris clarior omnibus Puellus,*
*Formis omnibus elegantijſque*
*Rebuſque omnibus, omnibuſque quotquot*
*Sunt vſquam, fueruntque, eruntque, pulchris*
*Vnus pulchrior omnibus puellus.*

*P. Iac. Bidermanus l. 1. del. narr. 4.*

## *Chriſtus patiens.*

*PLacuit ex orationibus de Chriſti Domini morte habitis à Patribus Soc. Ieſu in Pontificio ſacello, vel Chriſti patientis deſcriptiones in hunc locum congerere, vel ea ſaltem afferre, quæ de eodem patiente argutè ſunt dicta. Hac vt aliquo ordine legentium oculis ſubijciantur, in aliquot claſſes diſtributa ſunt.*

## *Chriſtus à Iuda venditus & oſculo proditus.*

CEdit venalem in mercem Auditoris Magiſter, ac Redemptoris caput fit pretium proditoris.

Iudas magiſtro venalem in mercem expoſito negotium proditione inſtituit, oſculo perficit, amoris armis abuſus.

Fictis ſubdolæ ſalutationis officijs, & oſculo in vitæ authoris perniciem temperato, proditor infamis omnia perturbaſti, & ex æquo ambigua reddidiſti, cum venenum in oſculo concinnaſti.

Ergo fidei ſymbolo in perfidiæ teſſeram conuerſo, ad proditoris oſculum veluti ad ferale claſſicum tota ſe veſana cohors effundit in furias.

Sed proditor etiam hoſtium odio amicitiæ famulabatur obſequijs, oſculo amoris internuncio, & blandimentis abuſus amantium.

Principio actione ſublata, auctione conſtituta venale caput innocentis ſubijcitur acerbiſſimæ voci præconis & haſtæ proditoris. Proditor oſculum fœneratur in Curia laqueo redimendum.

Fecialis omnium fœderum fœdator ac ruptor, inter amicos oſculorum anhelitus, odij venena deſpumans, principium pugnæ per crudeliſſimam vrbanitatem indixit. Neque iactu lapidis aut haſtæ, ſed vnius oſculi affixione, communi illo amoris iaculo, ipſum amicitiæ iugulum petijt, paciſque nomen, atque omen gentibus omnibus commune transfixit.

O facinus ab ipſa humanitate barbarum, ò crudeliſſimo dignam proditore clementiam: Vt altiſſimè vulneratum facilè tradas in manus hoſtium Deum, diuinum ad cor perfido penetras oſculo. Nimis enim noſti ex Amoris caſtris barbare transfuga; nullis Amorem armis grauius vulnerari, quam ſuis. Exclamare libet: vbi mors non eſt, ſi in oſculis eſt?

Accedit ore ſacrilego, Dominum oſculo petit; hoc eſt inſpirat in faciem vitæ ſpiraculum mortis. Nimirum à ſigno pacis exoritur bellum.

Ergo

Ergo impium facinus ab auaritia inter innocentiæ caſtra concipitur, atque vnus è duodecim, hoc eſt modo ſanctitatis cultor, nunc charitatis transfuga, Sacerdotes adit, exacturus pecuniam daturus Deum.

Principio nos æternitati pœnarum ante damnati quàm nati, antequàm moriente Deo renaſceremur, mancipatæ Diuinitatis auro liberati ſumus. Iudas enim mercator peſſimus Diuinitatem haſtæ ſubiecit. Quanti? Præconis impuriſſimi voce publicatur ſeſtertio venalis Deus. quaſi non Dominus maieſtatis, ſed Syrus neſcio quis de grege ſeruorum, &c. A terræ complexu Deus in Iudæ proditoris amplexum oſculumque feſtinat: hoc eſt vita mundi mortis in amplexum ruit. Et cui voluptas erat pro omnibus mori, mortem oſculatur ex ore licet Auerni prodeuntem, ſpirituq; tartarei prædonis inhalatam.

Adeſt ante alios magiſter officij, qui neci s eſt deſignator, Iudas inquam è diſcipulo deſertor, & magiſtri ſui vitæ ſector è ſectatore doctrinæ, mercatorum nequiſſimus, venditor Diuinitatis, emptor ſuſpendij, qui merito ſalutem perdidit, dum prodidit Saluatorem. Et tamen ſalutare non erubeſcit, quem ſaluum eſſe non vult: Aue Rabbi. O vocem, quam ipſe recuſaſſet aer excipere, niſi fuiſſet antea tæterrimi proditoris contagio vitiatus. Nec ſatis ei fuit in a ûres impurum ſpiritum inhalaſſe: in illud etiam os, quò Diuinitas loquitur, quò reſpirat Humanitas, animam inſpirat oſculo planè cadaueroſam, quia iam nunc & Magiſtri mortem olet, & ſuam.

Mox in ore Iudæ prægustat mortem, quæ niſi perſonata ſub oſculo immortalem reuerita abſtitiſſet.

Sed ſuo iam ſanguine quaſi onere leuatus ſponſus expeditior aduolat; neſcio an dixerim in occurſum proditorum, an in complexum Crucis. Certè recta itur ad Crucem, cum in itinere offenditur Iudas. Amice, inquit, ad quid veniſti? in amicitiæ teſſera non tam perfidiam accuſo, quàm prudentem approbo calliditatem. hæc Sponſis retia ſunt opportuna. non poteras melius capturam deſignare Sponſi, quàm oſculo.

Adeſt interea mercator perditiſſimus cum ſacrilego emptorum grege, & amoris ſyngrapha nempe

oſculo proditionis impiæ mercaturam inſtituit; ſed impuriſſimi oſculi veſtigia impreſſa ſanguini peroranti, nouum os addidere, quo ſe ipſum nequitiæ hominum in ſe transfuſæ reum proclamauit ad Patrem.

Semel prodiga extitit auaritia; in exhauſtum vnica effuſione liguriuit aerarium. Mercator non melior quàm Apoſtolus, depeculator ſalutis ſuæ, vbi lucrari etiam alienam debuerat, quo vilius venderet Deum, ignorantes pretium eius adiuit.

Vitæ auctor Eliſæum æmulatus os ad os applicat: at Satana cordis arcem tenente, nihil in te proficiens, opportunitate oſculi vſus repetit à te Spiritum ſuum, quem ſui prodigus non vna tantum inſufflauerat die. Profanatum contactu tam fœdo eſt diuiniſſimum guttur: venire mox ad Patris oſcula horruit, niſi ſe prius quà felle, quà aceto lauaret. detergere ſpongia voluit, ſi quid in labijs de oſculo illo ſupererat. Dedicatum è contra tam ſancti communione halitus proditoris eſt; vel impudentiſſimo ſpiritui facta religio, ne per illud egredi iam auderet; ſuprema neceſſitate pellente illum in locum ſuum, aliam ſibi per fracta viſcera viam fecit.

## *Chriſti in horto timor, & ſudor ſanguineus.*

QVod enim, vt exordiar in hortis Getſemani, erit illud opus, cuius ſanguinea eſt vel idea? quale tam inauditum tormenti genus, quod eliciat ſola cogitatione ſanguinem: quod noua quadam ratione non animum per corpus, ſed corpus vulneret per animum?

Sanguis ad cordis arcem, veluti præſidiarius miles in periculis accurrere aſſuetus, ex eodem corde tanquam ex arce direpta factis toto corpore hiatibus erumpere cogitur ac membra cruentare.

Interim nubes illæ, timoris ac triſtitiæ, quæ diuinæ ſerenitatem frontis, animique turbauerant, hucuſque ſolutæ in lacrymas, impendentis mortis gelu amplius concretæ, imbrem ſanguinis perrupto corpore, nouo

miraculo

miraculo profuderunt. Scilicet è peccatorum noſtrorum cœno, tormentorum vndis excitatæ nubes, non niſi prodigiosè pluiſſe poterant.

Inſolito repente metu corripitur, ſolutis primùm ſudore membris, mox etiam ſanguinem prodigiosè lacrymantibus.

Hoc terra cæleſti rore perfuſa, hoc imbre ſponte deciduo irrigata, pro ſentibus & dumis roſas nobis & lilia germinabit; cælo inſerendos flores emittet cæleſte ſemen, & ſanguis filij Dei non poterit niſi in gemmas concreſcere dignas Deo.

Patri ſupplicans in ipſa periculoſiſſimi meditatione certaminis toto corpore ſanguinem mittit. O certum diuinæ charitatis Regem. omnino ſic decuit, Regem eiuſmodi non alia oportuit purpura conueſtiri. Regia enim, regia purpura illa eſt, non ferro, ac manu, ſed occulto machinamento ingenioſæ charitatis intexta.

Interim diuinus amor impatiens moræ nouam carnificinam ſine armis aggreſſus, ſanguineum toto corpore eliciebat imbrem; imbrem inquam illum, quo paradiſi aditum intercludentis verſatilis flamma rõpheæ reſtingueretur.

Iam facinus cui ſe accingit, cum Patre communicat, & tanquam in operis veſtibulo ſecuturæ ſeriem necis animo præcipit. Iam flagra, iam ſpinæ, claui, crux, coniurata mortis agmina ſub aſpectum veniunt: nec ſub aſpectum modo, ſed cordi mordicus comprehenſo certatim cohærent vniuerſa, ſingula cruorem delibant, eoque hauſto coniurationem firmant: quin etiam noui ſitim ſanguinis concipiunt, vrgent adhuc vehementius, & tanquam rudimentum futuræ conſtantiæ capiant, obnoxium iam ſibi Dominum per omnia imminentium genera pœnarum proludendo traducunt. O ferales hortos, ò delicias inamœnas.

Hunc hortum, hunc ille campum delicijs opportunum, hanc arenam primo ſanguine reſperget, quæ noſtro ſceleri fuit prima palæſtra voluptatis. hic vſurpatam à nobis libertatem vinculis, hic timore noſtræ cupiditatis audaciam, hic prægustata morte luet affectatam à nobis immortalitatem. Mortem videlicet in illo viridario ad ſe quaſi blandimentis inuitat; & quia eam complecti non poteſt animo ſal-

tem & cogitatione delibat. Nam quid aliud in illo erat, tædere, pauere, in terram proſterni, cum ſpiritu exitum quærente luctari, niſi velle miſerum eſſe ante miſeriam, niſi futuras ærumnas cogitatione anteuertere, niſi mortem ipſam cunctantem, ac prope verecundantem incitare? cuius denique lentitudinem, & quaſi tractum indignatus, occupat hoſtis officium, timoris vſus ferro carnifice voluntate.

Cruciatuum ſuorum funeſtiſſima obiecta ſibi imagine is in animo dolor exarſit, vt factus exanimis, cum pares oculi flendo non eſſent, portentoſo cruoris imbre membris omnibus collacrymauerit.

Quod ſacrificium vt ſolemni ritu adminiſtraretur, tempore iuſto, locoque ſeruatis, victima primum quamquam Sole mundior, in colle Gethſemani viuis vndis abluta eſt, in piſcinam demerſa non aquæ, ſed ſanguinis ſui. Cum enim aquam neque tellus, neque cælum haberet, quæ purgaturam omnia, & conſecraturam victimam purificare poſſet, ſuus illa perluere debuit latex, non quo munditiæ quidquam aut nitoris accederet ( neque enim poterat ) ſed vt ſacrificium, quo apparatius fieret, eo redundantius foret.

Quid enim in Caluariȩ monte paſſus tunc eſt, quod hic in Oliueti colle ſibi non accerſiuerit patiendum? Ibi ſatellitum manibus corpus transfigitur: hic ſe carnifice anima transfoditur. ibi Pater filium deſerit: hic deſerit filius ſe, vt non ſua ſed deſerturi Patris voluntas fiat. propinatur ibi fel à milite, hic calix ab Angelo, illud tamen delibat, hunc exhaurit. ibi inclinato demum capite moritur: proſtrato hic ad terram corpore mortis agoniam patitur omnia vtrobique ſimilia: niſi quod ibi è calcato torculari ſanguis exiuit, hic ſponte fluxit è cordis lacu, fuitque illa crudelitatis vindemia, hæc amoris.

Sanguinem ille quidem ex formidine mortis exſudat, ſed ſementem in horto facit gloriæ ſuæ, ac fortitudinis noſtræ.

A curia properatur ad hortum, vbi iampridem exciſo germine voluptatis proſeminatus eſt Domino dolor, & nata mors; quid aliud primigenia labe pollutus hortus, ac maledicto ſubiectus procreet Viro dolorum, niſi doloris ſpinas, & tribulos, vultuſque

ſudo-

ſudorem? quid imbre ſanguinis irrigatis areolis, inſcriptis ſanguine plantis & floribus, niſi cruenta mortis arbor ſponſo ſanguinis efflorescat?

Quid autem hæc ſubita ſine hoſte cædes, ſine vulnere cruentatio? quid hic ante corporis funus publicus luctus membrorum? Nimirum prouocatio prima certaminis non atramento, ſed ſanguine per vniuerſa membra deſcribitur ſtylo doloris. quodnam erit externum bellandi negotium, ſi domeſticum otium cogitandi tam ferox? qualis erit aperta vis facinorum, ſi ciuilis diſcordia cogitationum tanto cruore deſæuit?

Ecce autem hodierna rerum confuſio nocturno prodigio prænuntiatur. ecce verno ſub ſidere florido anni tempore, in horto Getſemani ſanguine pluit. O pluuium in dolorum vbertatem Ver quantum ab amænitate tua degeneras! Hanc ergo infelicem laudem refers, vt mœſtiſſimo prodigio triſtiſſimas hiemes, atque omnium vincas portenta ſæculorum. Tu verò cæli terrarumque præpotens Imperator, qui portas omnia verbo virtutis tuæ, quid vnius recens hortuli cultor ad ſudorem vſque ſanguineum præpoſtera nouitate defatigaris. Si ſubigendo molliendoq; in horto breuis labor ſanguinem exprimit, laborioſiſſima duriſſimi montis Caluariæ cultura quantum diuini cruoris exhauriet?

Primus in horto labor inter illecebras amœnitatis. Nimirum aut ſupplicia voluptatum luit, aut aggreditur oblectamenta pœnarum, aut dolori facultatem præbet vſque in delicias ſæuiendi. Iam mentem illam beatiſſimam pauor, tædiumque conturbant; hoc eſt tenebræ ſunt ſuper faciem abyſſi Diuinitatis, an luctus? Iam tranquilliſſimum pectoris diem ſæua nox animi premit; ſed ex illa nocte mœroris prima lux oritur, & verè purpuraſcit aurora, non Solis quidem certè, ſed ſanguinis. Quamquam liquor ille, qui prodit, aut ipſe Sol eſt, aut certè ſi ſanguis, non niſi ſanguis eſt Solis.

Ingreditur hortum vitæ ſator, mortemque meſſurus arborem vitæ ſerit. Vbi procidens in faciem ſuam (crederes Damaſcenam) exſudat ſanguinem Deus. Et Paradiſus humanæ voluptatis imbre diuini ſanguinis irrigatur. O limum ſideribus parem, ò pre-

tioſius auro lutum ex Dei ſanguine, terraque commiſtum. Hoc ſanguine irrigata non tribulos, & ſpinas,ſed lilia Virginum, & Martyrum roſas terra germinabit.

*Surge* iam ſponſe ſanguinum de lectulo iſto florido. veniſti in hortum tuum, vt lilia colligeres & roſas: vtroſque flores tuum effundendo ſanguinem collegiſti; lilia palloris in vultu,roſas cruoris in veſtibus. Surge luctator fortis,ſurge tolerantior Iacob; dimitte pauorem, quicum factus in agonia luctatus es vſque mane. Dimitte Angelum,qui te reddidit infirmando firmiorem: iam enim aſcendit aurora. eam ſi non intueris in cęlo,quod ad tui mœroris aſpectum celat gaudia ſua, in terris agnoſce coram te. Vbi enim aurora ſit niſi ante Solem? Tuus iſte ſanguis decurrens in terram, vel roſeus auroræ color,vel ros eſt matutinus.

Satiatis æterno pane diſcipulis ipſe nondum ſatur, quia nondum felleis lautitijs meridiatus ad menſam crucis, diuertit in Villam Gethſemani, imperaturus terræ, quæ noui Adami innocentiam reuerita ſpinas illi germinare recuſaſſet,imperaturus inquam terræ, vt ſibi dolorum Domino ſpinas præparet. Quis ignorat aſtum Romani Principis. qui in horto excelſiorum capita florum decutiens hoſtilis vrbis dominatum occupauit? En alio in horto mundi Princeps, idemque flos campi celſiſſimus vltro demiſſo capite in faciem ſuam procidens pœnarum imperium feliciùs inuadit. Sed parum eſt dolorum Principi ſeruire terram dolorum patriam: ſeruiet etiam cælum licet dolorum infœcundum. Adeſt enim Angelus conſolator ſimul ac tortor illuſtris; qui dum remedium adhibet, amara malorum commemoratione vulnus exacerbat. Angelo terreſtris Paradiſi,atque horti primæui cuſtodi ſimilem dicerem hunc Angelum alterius horti hoſpitem: niſi huc acceſſiſſet non vt ab hoc portentoſo paradiſo pœnarum Chriſtum arceat, ſed vt eum inibi dolorum ſuorum cogitatione defixum diutius retineat. Quid vero ſudor corporis ſubalbidus ſanguineas rubeſcit in guttas? Nouus certè Moyſes fluuium non ex Aegypti terra, ſed ſuomet erumpentem è corpore prodigioſum vertit in ſanguinem.

Ibi

Ibi ferociſſimis animi tortoribus aduocatis pauore, tædio, mœrore, vſque ad mortem triſtitia, cor illis vltro diſcerpendum tradit, vt ex interna pectoris carnificina ſanguis ad perorandum erumpat Sanguis igitur diffluit toto corpore, ſed ſine vulnere, quia ſanguis vulnerum loquaciſſimus eſt ad vltionem vulnerantis, hic verò nihil exclamare nouerat, niſi pacem,

Exegit auarus dolor ab omni membro tributum; nulli ſudorem aut lacrymas condonauit: aliter Deum flere non decuit, qui totus oculus eſt.

Effuſionis auidus ſanguis vulnera præuenit, & impatiens intra venas teneri vrget libertatem noſtram in ſua. Oblatus de cælo calix venenum habet, eo propius admoto ſudat nobilis gemma. Oriens noſter quando ita in veſpere rubuit, polliceri ſibi mundus audeat cras ſerenum. Dare tellus incipiet fructum ſuum, quæ tam bono irrigata ſit rore.

## *Chriſtus alapa percuſſus.*

VBi dum accuſator pro crimine affert mendacium, reus pro pœna ſubit iniuriam. Ex quo ad primam emiſſam vocem, diuinum vultum ſedem gloriæ furiali colapho impudentiſſima dextera miniſtri percuſſit. neque aruit? aruit fortaſſe, ſed ad contactum vitæ reuixit: in præmium quod veſtigia oſculi à proditore impreſſa deterſerit.

Fuit qui ſedem illam pudoris, regiam illam diuinitatis inflicto colapho violaret.

Et cæteri quidem carnifices ſanguinem perfoſſo corpore hauſerint, impurus ille faciem, quæ ſedes eſt animi, cum excidit, animum vulnerauit.

Percuſſus alapa ab homine ſacrilego (quamquam ea non tam hominis, quàm improbitatis manus fuit) ab eo inquam cuius aurem paulo ante tetigerat ac perſanauerat, palmaris contumeliæ notam amica reſponſione tranſmittit: quid aut hoc amabilius, aut illo ingratius.

Struitur apud Annam accuſatio capitalis hac lege, vt manu ſacrilega fons ille veritatis obſtruatur.

Sed vix ſumebat exordium veritas, cum impacta

per ſummum dedecus alapa miles gregarius pro mendacio perorauit. Os enim illud aureum eloquentiæ cæleſtis obtunditur à Thraſone dicam ne, an Paraſito? quippe qui gladiatoriam percutiendi licentiam fœda etiam adulandi Sacerdotibus arte turpauit. cui gemino & ignominiæ, & doloris ictui Chriſtus occurrens ita patientiam iniuriæ præbuit, vt falſitatis calumniam reſpondendo repulerit; quia enim miles ignarus errauerat, docendus: & quia barbarus inſultauerat, patienter ferendus fuit.

Ac ne ſummum ſcelus non ritè fiat, è lictorum fæce audaciſſimus neſcio quis, tanquam ſcurra triumphalis Deo captiuo inſultans ad riſum Pontifici, ad plauſum ſibi captandum, probroſam alapam infringit. Alapis (miſerum me) in terris plauditur, ad ſalutem lapſo terrarum, Deo.

In Annæ domo ſceleſtiſſimi prædonis manu Rex gloriæ, theatralis veluti ſcurra percutitur alapa in præmium æquitatis. Quid verò quid agis impie verbero? ſic Aram tangis vt violes? nec audis innocentiam vel tacentem? Vt tamen audires aurem tibi Ieſus aptauit, quam Petrus abſciderat. O planè ſiniſtrum dexteræ ſic plaudentis obſequium; Adeone attactu modeſtiæ, ſub oculis verecundiæ, in ipſa pudoris ſede ſit impudens manus; vt quæ ſymbolum fidelitatis eſt, in ore, vel potius in ara fidei, repente fiat nota perfidiæ.

Apud Malchum ſeruorum ingratiſſimum aure reſtituta, poſuit memoriæ beneficium, à quo deinde coram Pontifice depalmatus meſſuit contumeliam.

Eluſo tenebrarum examine, inſanam excipite militis temeritatem. extento brachio, exertiſque viribus alapam ori imprimit, ei ori, quod eſt ſplendor gloriæ: & manu inſaniſſimus lucem tentat. nec ad ferueutiſſimæ lucis contactum exarſit illico in cineres manus? Deſiſtite mirari: voce manſuetiſſima quaſi afflatu auræ tenuis illam Chriſtus refrigerauit.

## *Chriſtus flagellis cæſus.*

ITur ad virgas, expediuntur faſces, nudantur Cyclopum lacerti, vincitur reus ad columnam, verberum vulnera, ac vibices in omne corpus inruuntur. Nulla flagellorum intermiſſio, viciſſitudines nullæ, ſed ictus plurimi velut grandines vno feruntur impetu. Inflictæ tument atque madeſcunt plagæ, neque fouentur oleo, ſed alijs atque alijs conſciſſa cute priores recrudeſcunt. Tunſum crudeliter dorſum impendente ſcutica contremiſcit, non pauet contremiſcenti tortor, ſed acrius inualeſcit in plagas, nec earum numerus ad legis reuocatur præſcriptum, ſed furor ac rabies ius ſibi faciunt ex arbitratu. Tantum ne licuit proiectæ hoſtium audaciæ? Hoccine ratum erat oraculis, vt loris etiam ac fuſtuario ſubigeretur Deus? & præpoſteris conſilijs doctor à pueris, à filijs pater, herus à mancipijs ſcutica cæderetur?

Natabant diuino pauimenta ſanguine, cum ab illo, cuius animi magnitudo ſemper emergeret, in medijs ictibus crepituque plagarum ne minimus quidem aut præ dolore gemitus erumperet, aut vox ad miſericordiam implorandam audiretur, donec tantum eſt hauſtum cruoris, quantum ſatis eſſet ad eorum immanitatem explendam, qui miſereri maximum crimen putabant.

Quare Præſes vt ſanet liuorem Iudæorum, vt mittatur ab ijs ſanguis inuidiæ, Chriſto iubet aperiri venas: iuſtique quia iuſtus eſt, mandat hauriri cruorem, vt non hauriatur animus, vt vita ſeruetur, loco igitur criminis eluenda ſanguine eſt innocentia. ô ſcelus execrabile! nudatur Deus, nuda conſpiciuntur membra illa virginea. rubet ſola pudore facies. tunc ſol in ſui conditoris obſequium ſubducta luce velaſſet illum opinor tenebris, niſi ad nouum ſpectaculum defixus in admirationem tam venerandi atq; diuini corporis conſtitiſſet. Quæ vox, quæ lacrymæ, qui ſenſus æquare poterit lictorum læuitiam, furorem, rabiem: calamitoſi rei tolerantiam, æquanimitatem, manſuetudinem: plagarum dolorem, numerum, cruciatum? iam nuſquam apparet liuor, nuſquam

quam flagelli veſtigium: vbique ſanguis, vbique vulnera. nec iam vulnera ipſa dinumeres: quantus quantus eſt vulnus vnum eſt. deficit plagis locus, plagæ non deficiunt. iam & vires deficiunt, non deficit rabies. vtque fecit initium tundendi crudelitas, ſic facit finem crudelitas. perſuadet enim vt aliquid ſanguinis atque ſpiritus relinquatur ad mortem atrociorem. itaque crudeles in verberando, in parcendo crudeliores, non parcunt vt ceſſent, ſed ceſſant vt ad crucem immanem reſeruent.

Deripiuntur humeris veſtes, deligatur medio in atrio, expediuntur virgæ, accedunt gladiatoria firmitate lictores. conſciſſi verberibus humeri cæleſtium orbium æneri pares: impreſſis altius virgarum ſulcis, vibicibus inuſtis dehoneſtatum corpus. Ne multa: in omnium ore & conſpectu exſibilantibus inimicis, tanquam turpe mancipium, aut vile caput, gloriæ Dominus vapulauit.

Sed inſanis Iudæorum clamoribus meticuloſus plus nimio Preſes, dum ſubtrahere reum ſtudet, inſigni animaduerſionis genere vitam redempturus, virgis addicit innocentiam: vt ſaltem parcere eius vitæ poſſet, cuius ſanguinem hoſtibus pro arbitratu donaret. Ergo ſatellites traditum ſibi reum arripiunt illico in atrium, veſtibus exuunt, nudum laxo alligant: tum virgas expediunt, carnificinam adornant, lacertos atque ictus vibrant. Ah ſiſtite, ſi quis pietatis ſenſus, ſi quid humani homines habetis, nec manus veſtras tam innocenti ſanguine violate. Truces illi ac barbari virgatores, quaſi ciuicam coronam relaturus, qui primus aut valentius feriret, certatim plagas infligere, teneros artus relictis altè vibicibus aperire, humeros, latera, pectus perfodere, lacerare, proſcindere. O facinus, ò ſpectaculum Cædebatur illud virginale corpus, ſoluebatur templum illud non manu factum, diripiebatur illa diuinitatis regia, defluebat ad terram multis quaſi è fontibus ſanguis deficiebant cum ſanguine etiam vires. Et tamen ipſe quaſi meritus ſuſtuarium fugitiuus, non ſe virgis vel modica declinatione ſubducere, non tortores ad miſericordiam oculis flectere, non fidem cuiuſque implorare, imo verò quam potiſſimum corporis partē expeterent, eam ſubijcere vulneri, dare libenter ſanguinem, dare & vitam.

Ergo

Ergo tanquam victores capta præda illuc aduolant in arenam Prætorij rapiunt non repugnantem, candida exuunt veſte innocentiæ candidatum, nudum agri lilia veſtientem in medio ſtatuunt, iubent columnam complecti, conſtringunt. Mox armatæ flagris furiæ auidè circumſiſtunt, lora ferociter intentant, ceu retracto à fuga mancipio, aut plagiario: tum verò parricidali odio certatim inſiliunt, (quid ego addam, quod libet potius flere quam dicere) viles animæ, atquè hominum additamenta in Regem gloriæ, manus procaciter inijciunt, cedunt, concidunt, excarnificato è corpore ſanguinem vbertim hauriunt, hauſturi ſi liceat etiam vitam. Cum tu interea mitiſſime Domine, nihil ea immanitate cuiquam offenſus, gemitum propterea nullum edebas, nullius opem implorabas, ſed columnam complexus retinebas fortitudinem tuam, ibique laceri corporis exuuias, hoc eſt trophæum patientiæ ſuſpendebas.

Ergo in Prætorium illico deducitur, ad ſaxum nudus alligatur, à valentiſſimis virgatoribus circumuenitur: quid addam quæ ſecuta ſunt poſtea? optauit aliquando pro rei dignitate amplificanda fontem eloquentiæ naſci ſibi in ore Chriſoſtomus. Ego citius hic mihi velim in oculis lacrymarum fontem erumpere, eloquentiæ, ſi qua eſt in me, venam penitus exareſcere: ne eodem ore, quo cætera vtcunque pertracto, tantum facinus videar communicare voluiſſe. Dicam tamen vt potero: & vt minimum peccem, dicam breuiſſimè. Dum vos armatæ cæli legiones, vos præpotentes animæ Dominum gloriæ ad terram pronæ circumſiſtitis: dum ei ex ara diuinitatis odores indeſinenter inceditis: dum feſto illum exultantique carmine ter Sanctum perpetuò concinitis; tunc vobis inſpectantibus, lutei, ſpurciſſimique homunciones, ſordes atque eiectamenta terræ truci vultu, minacibus oculis in Regem veſtrum, in Dominum maieſtatis inſiliunt, inijciunt impuras ac turpificatas in eum manus cædunt, lacerant, fluentemque toto pauimento ſanguinem, atque immiſtas ſanguini corporis excarnificati lacinias, ſacrilegis obſcenisque pedibus proculcant. Cum tu mitiſſime Domine inter ſuperum carmina, atque inter hominum verbera, illic beatus, hic miſer, beabas interim hominem miſerijs

ſerijs tuis: & columnam complexus, dum cruorē totam aſpergebas, ac purpureis illam notis vbique variabas; Amorem in ea tuum, quem omnis poſteritas exinde legeret incidebas.

O immitiſſimā parcendi miſericordiā. Corpus innocētiſſimi iuuenis, quia nullo ſcelere indubebatur, ideo cōdonationis & mercedis loco nudationi publicę, rapinę, vulnerationi, cędi nefariè traditur ſatellitum barbarorum. Qualem excogitare poterit atrocitatē pœnarum crudelitas tyrannorum Thracum, ſi condonationem & veniam huiuſmodi comminiſcitur clementia Iudicum Romanorum. Sed miſericordiæ Iudicis etiam Sacerdotes ſupparaſitantur, dum in laniſtas degenerantes, lotarios etiam conductos pretio emittunt in atrium ad gladiaturam in tenerrimo Chriſti corpore exercendam. Hic ego quam libentius ad marmoream columnam hoc ſanguinolento flumine circumfuſam, tanquam ad ſcopulum frangerem orationem meam? ſed ò miſeros delicatiſſimi Principis cruciatus! quid ego perfugium & fulcrum illud Domini mei collabentis ſcopulum ferum apello, cum ille tam atroci verberum tempeſtate iactaretur, vt vnam ad columnam tanquam ad portum aliquem requietis ægris, & fatiſcentibus membris omnibus niteretur.

Verùm hæc per ludibria luſit furor: ſeriò tandem ſcelus aggreditur. Ne ſæuiſſimi virgatores, ne Regum Regi auguſtiſſimo veſtem detrahite, quam illi vnam in rerum omnium inopia, ad nuditatis integumentum profuſa in alios charitas reliquit. Ne ſpecioſum forma præ filijs hominum frequentiſſimo in theatro denudate: cuius formoſiſſimus pudor oculorum coniectu grauius, quàm verberum ictu vapulabit. Vates infelix ego ſum. ecce delicatiſſimi ſenſus verecundia ſubito rubore ſuffuſa cruentatur. Heu ſatis ſuperque publico dedecore modeſtiā in vulneraſtis. Quid expeditis prætereà virgis robuſtiſſimi tenerrimum in corpus carnifices innocentiam excarnificatis? Vtinam liceret & tibi Domine Ieſu, ad ſeruilis lanienæ declinationem, vocem illam ingenuā, & compluribus ſalutarem vſurpare: Ciuis Romanus ſum. Sed ſuperſtitionum id temporis omnium commune aſylum Roma, falſis addicta numinibus, verum

rum

rum oblita Deum erat ciuitate donare. Extabeſcite iam in lacrymas oculi, quando diuini corporis niues prodigioſi furoris æſtu ſoluuntur in ſanguinem Ne quæſo vos vltra lictores. ad terminales dolorum columnas per Oceanum ſanguinis ventum eſt.

Obligari iubet ad columnam columen mundi, nudum, & ſua tantum modeſtia coopertum, mox etiam ſuo ſanguine veſtiendum. Illum laceitoſi virgatores ſubito circumſiſtunt, diripiunt, lacerant, metunt quam ipſi non ſeuere vindemiam; & verè ſupra dorſum Domini peccatores arant. Ah ſiſtite nequiſſimi criminum coloni. Campus ille syderei corporis non veſtra ſulcandus eſt manu, ſed ſolis: nec alio tentatur cælum aratro quàm ſyderum.

Impius hæc tam culta noualia miles habebit? hic ſi neſcitis, ager eſt Virginis non virgarum. Intuemini columnam terminale ſaxum, quæ velut in titulum erecta vos inter ac Deum ſurgit ac diuidit. Legite iam illos indices Domini characteres ductos in lapide: in quo non atramento, ſed ſanguine: & quamquam ſtylo hominis, inciſus tamen atque inſcriptus eſt Deus.

Exuitur illico indumentis ſuis tegendus nuditate noſtra: circumligatur ad ſaxum, reparationis beneficium columnæ firmitate ſignaturus. Inſtruunt carnificinam ſatellites, virgas expediunt, atque ictus ingeminant. Tanti ergo ſceleris hortatore metu, liuore miniſtro, faces odio ventilante, effuſo ad ſpectaculum cælo, ridente ſoto, ante Patrem obſequentiſſimus filius vapulabat, cædebatur acerbiſſimè ab hominibus Deus. Toto corpore diuinus effluebat ſanguis, Gehennæ reſtincturus incendia; & iam luxatâ ſocietate membrorum non tam diſcindebantur membra, quam vulnera. Plagarum modus, qui Deo iubente par eſſe debebat patrato crimini, eodem obſequente ſine modo fuit quia, à nobis peccatum fuerat præter modum.

At quàm funeſtos Domino faſces, quàm ſanguinarios optimo humani generis Conſuli lictores. medio in atrio frequentiſſima multitudine impudentiſſimè nudatur virginalis pudor, infami alligatur ſaxo terrarum firmamentum, gyrans cælum in circuitu, à ſeruis peccati Parens libertatis, ſeruilibus modis,

ſed

ſed omnem ſupra modum cæditur, cruentatur, diſcerpitur, laceratur: ad laſſitudinem plurium ſuccedentium ſibi in barbarica laniena virgatorum, extremam ad libidinem militaris leuitatis, ad inexaturabilem inimicorum rabiem, ſeuitiamque teterrimam. Et hoc non ad nocentis pœnam, ſed ad commiſerationem innocentis.

Me miſerum, collecta fœdè in morem tempeſtatis tota cohorte, incuſſis per robuſtiſſimos lorarios acerrimè flagellis, quaſi contortis è nube fulminibus inſolens procella deſæuit. Exterminat turbo feralis florentem illam virginei corporis ideo dixerim terram, quia centrum eſt & cor mundi. Molliſſima membrorum teneritudo repetitis ad plurium carnificum ſatietatem ictibus validiſſimis atteritur, laceratur, & præfinitum lege ſupplitium ſatellitum fit rabie infinitum.

Tempeſtas ergo verberum crudeliſſima totum ſpecioſi corporis decorem & formam depopulatur immaniter. Hinc in altum prouehitur ſanguinis eloquentia, quia plaga vndique, & vndique ſanguis. Voces ſanguinis, plagarumque clamores potentiſſimi delectant maximè Verbum Patris pro mortalibus dum perorat. Gaudet dilacerari diuinus reus, vt homini venis omnibus patrocinetur: Deus atrociſſimè diuerberatur, vt homo facundiſſimè defendatur; quot enim ſunt verberum ictus totidem nouæ ſanguinis voces diuerberant pectus iudicis ad miſericordiam.

Offendit in latrones vel in ipſo Prætoris atrio viator Deus; nudatur veſtibus ſuis, ſemiuiuus & ipſe plagis impoſitis relinquendus.

Sitiens iam non aquam, ſed ſanguinem Populus Moyſis, virgis iterum conſequentem ſe petram ſollicitat. vlciſcitur illa vulnus beneficio, & plagis petita dat ſcatebras, quales amauit.

Monſtrum fuerat lapſum mundum ſine columnis erigi, & à Pharaone duriori meliorem Dei populum eripi, quin ei index itineris ſua etiam columna præiret. Timeat templo ſuo Dagon; Sampſon alter columnam amplexus hoſtium ſuorum ruina ſepelire ſe præparat. Qui te tamen mi Ieſu ex ore iudicet tuo,

credat

credat te ſaxo alligatum Promethei pœnas luere; quòd & ipſe ignem veniſti mittere in terram.

## *Chriſtus ſpineo ſerto coronatus.*

A Virgis venitur ad ſpinas, inauditum tormenti genus, illo planè dignum ſuaſore ac magiſtro, qui nobis fuerat dux & auctor ad culpam, vt ab inferis emergeret ſupplicium, quo noſtra ſcelera, hoc eſt inferorum ſordes luerentur. O inuentum furiale, ò barbariem execrandam. Deſęuire vepribus & arundine in caput, cui vel leuiſſimi doloris ſenſus acerbiſſimus eſt? non vereri diuinæ ſapientiæ ſacrarium? non frontem, non verticem extimeſcere omnium gloriam regnorum, & omnium decus infularum? ſed ſtultum eſt optare vt genus humanum Deo, cui nunquam pepercit in culpis, parcere nunc diſcat in pœnis.

Regium caput non auro præcingitur, aut illuminatur gemmis, ſed dumetis horrentibus obruitur, & vſquequaque transfigitur, vt nouum inuentum carnificum crudelitati gloriam afferret, & rei tormento ludibrium.

Sed fuerit hoc illi ſi non cum liberis, certè quidem cum ſeruis, fugitiuiſque commune ſupplicium: quod ſequitur primus ſua patientia dedicauit. E dumis denſato ſpinarum agmine horrentibus, nouo feritatis inuento diadema contextum: apex hic regius innexus capiti delicato, adiecta humeris purpura, inſerta dexteræ arundo. ita rex magnus ſuper omnem terram, fictis regni Imaginibus, tanquã in ſcena traductus.

Verum adhuc Domino ſupererat quod donaret; nobis, quod acciperemus. Noſtra illi opprobria auferenda, ſed nempe contumelijs ſuis. Hoc verò à barbaris ſatellitibus eo tormenti genere perfectum eſt, cuius exemplum nec ipſi ex antiquitate imitati ſunt, nec habuerunt in poſteritate imitatores. Etenim ferales laniſtæ verberando iam defeſſi, quaſi requietem aliquam interiecturi, ſeminecem Dominum carnificinæ ſubductum in eodem Prætorio per otium circa mſiſtunt. Audierant affectati regni reum eſſe: placuit

placuit ornari regijs illum inſignibus, Regem ſalutari. Ergo tanquam actores in fabula, conquiſita ad hanc rem hiſtrionica purpura Regem induunt: pro ſceptro arundinem in manu ſtatuunt: pro corona ſertum è ſpinis horridum capiti circumponunt: mox adornato lictorum ſatellitio Regem ſuum ambiunt ſupplices in genua procumbunt, timidi venerantur. tum verò quaſi in ſcenæ cataſtrophe, mutata perſonarum facie, ingenti omnium plauſu riſuque personante conuicijs atrio, ambitioſum ſcurram conclamant, exſibilant, explodunt. Sic dignum illud ſideribus caput, illud ſapientiæ ſacrarium: manus illę Diuinitatis ſceptro pares: ille Rex gloriæ ante quem curuantur, qui portant orbem; factus infimæ plebis, ac militaris licentiæ ludibrium planè ac pila, dum iocularis in fabula Rex luditur, ſuis acs contumelijs glorioſè coronat.

Itaque vt intelligeretur eſſe aliquod pœnæ genus, in quo cum ſummo cruciatu ſumma iungeretur irriſio, ioculari purpura Regis gloriæ humeros contegunt, arundineum ſceptrum inſerunt dextrę, ſpinarum aculeis horrentem coronam vertici infigunt, ſic vt extantibus vndique dumorum cuſpidibus, ſacroſanctum illud caput miſerandum in modum perfoſſum ac cruentatum teſtetur, non vnius Sponſæ laudem eſſe, vt ſit lilium inter ſpinas: ſimul etiam appareat in Chriſti Domini tolerantia fuiſſe omnes mortis aculeos hebetatos.

Spineo diademate cruentatur, eoque è ſpineto flos veſtri imperij Chriſtiani Proceres colorem duxit.

Sed illuſeriat te Regem ſæculorum iſta ferali vt libet pompa ſacrilegi ludiones: manus iſtæ etiam fragili cum calamo fabricare queunt auroram & Solem; nec iſtud pretioſius eſt ſideribus compactum, quàm ſentibus cōpunctum caput. Quin etiam agnoſcimus in nouo iſto ſpinarum ſerto peregrinum quoddam armorum genus. Nam & populos legimus in acie pugnaturos, ſagittas in morem radiorum circumponere capiti, indeque prompta in hoſtem iacula contorquere. Nimirum ſentiet humani generis hoſtis hunc telorum belliq; apparatum; cum tu bellator fortis, iſto radiato aculeis capite, in Cal-

uariæ

nariæ colle occurres tenebrarum Principi, eumque in luce ſagittarum tuarum, in ſplendore fulgurantis haſtæ perterritum transfixumque mactabis.

Nec decuit hoſtiarum reginæ ſolemnem deeſſe coronæ gloriam exacutiſſimis ſpinis implicitum ſertum per vim, vt penitus in ſacroſanctum caput ſpinæ deſcendant, & infigantur adigitur: nempe vt ex eodem ſucco, quo tincta purpura erat, purpuraſcerent flores, ac natiuæ diuinam ſtirpem roſæ veſtirent.

Age immenſa pœnarum ſpatia fortiter emenſe ductor fortiſſime, perge iam ad coronæ premia, quæ militaris tibi plauſus adornauit. Sed quid coronamenti hoc eſt? Hoc deerat hodiernæ portentis immanitatis, vt diuina non ſtellis, ſed ſpinis tempora radiarent. Quamquam mirandum non eſt; quoniam roſas antequam marceſcerent in ſuam coronam luxus præcerpſit, ſolas coronandæ ſpinas innocentiæ ſuperfuiſſe.

Et miremur ſi florum loco flos campi male cultus atque habitus progerminarit in rubos? Rubos inquam acuminatis acerbè cuſpidibus formidabiles tenerrimo capiti duriſſimæ carnificum manus imponunt. Huccine demum illę reciderunt roſæ, quas olim creaſti tu quidem, ò veris ſator, ſed hominum, qui ſe ijs coronarunt, planè luxus abſumpſit: & quota pars viret ac ſupereſt Creatori ſuo? Sed debebatur omnino dolorum Regi rex fruticum, vt omnes in vno recrearet. Sane cum primum in Domini vertice confiti ſunt aridiſſimi iam dudum ſentes, ſentire vitam vſque adeo cœpere; vt quod aliqui ſanctorum aſſerunt, viriditatem, quàm induerant, poſt illud quoq; tempus conſtanter ac perdiu conſeruarint. Et verò quidni reuireſcerent rubi, qui roſas etiam diuiniſſimi ſanguinis protulerunt? Nunc verè ſi vnquam alias Verbum Dei cecidit inter ſpinas.

Indumento corporis regio congruit tegmen capitis, quod ſpina plantarum imperatrix in coronam imperatoris dolorum acutè contexuit. O diuinum caput candor lucis æternæ verè nunc lilium inter ſpinas. Quamquam en vt ſpinæ ſanguinem elicientes diuinum lilium in roſam commutant. quin imò inuerſa vice non ſpinæ roſam præcingunt, ſed roſæ

deſluentis

defluentis ſanguinis ſpinas coronant. Antea tantummodo terra ſpinas ferebat; nunc cælum quoque, caput nempe hoc ſanctiſſimum ſpinas ferre cœpit. O veſtram nobilitatem eximiam ſpinæ fortunatæ. hactenus ad inſidias humanorum pedum humi reptaſtis; nunc ad coronam diuini capitis ò quantum aſſurgitis. Dignæ eſtis quæ cælo infixæ aculeatos ſiderum radios augeatis: & par eſt vt cæleſtibus è ſignis corona illa ſtellarum expulſa, eluceſcat in poſterum in cælo corona ſpinarum.

Nazareni cæſariem aſperant aduncis vepribus: verendam ſupercilij maieſtatem rubo frequenti obnubilant: frontemque ſidereis dignam thiaris ſerto hiſpido premunt. Vt in hoc etiam terrarum orbe regnet, vel ipſis galeata inimicorum manibus Dei ſapientia.

In regno patientiæ nihil aliud coronat, quàm quod cruciat. Spinarum Deum finxerint Ethnici, fecere Iudæi. Colligamus de ſpinis vuas, ex quo vepres inoculantur in vite. Initiandus in dolorum arte Magiſter, poſt examen ſeuerius laureatur, arundinea tamen rude donatur, ne grauis cuipiam diſciplina eius accideret. Sepire vineam ſuam venit bonus agricola, collegit vndequaq; materiam ſepium, id vnum ſtupens ac dolens, quòd terra etiam quæ maledicta non fuerat, ſpinas ferret.

## *Chriſtus ſub Crucis pondere laborans.*

Cernes vnigenitum filium, imperij tui conſortem, partum intelligentiæ tuæ ſub crucis pondere laborantem: Cernes dum trahit & trahitur, dum propellit & propellitur, identidem ſub onere procumbentem: cernes luxato iam dorſo, fractis humeris, dehiſcentibus plagis cliuoſum iter ſtillicidio ſanguinis irrigantem. Nos nos etiam videbis incumbentes in filij dorſum, & culparum ponderibus pondera cumulantes, vt qui cæli terræque molem ſua vi ſuſtinet indefeſſus, modicæ nunc ſarcina trabis opprimatur.

Portandam Crucem imponunt defeſſo, immane pondus ſemiuiuo: vt ſupplicij ſui prius opprimatur ſarcina, quàm cruciatu. Cogi-

Cogitur ſuis labantibus ac pene intermortuis artubus ferre lignum, non minus ignominia exitiale quàm pondere: vt quantum oneris magnitudine premeretur in corpore, tantum dedecoris acerbitate cruciaretur in animo: & cuius humeris totus mundus incumbit, ſuis ipſe viribus deſtitutus Cruci ſuccumberet. Compellitur Deus conſcendere illum extremum miſeriæ collem, vt qui ſceleratorum fuit ſupplicium, eiuſdem Dei nunc ſit carnificina.

O ſalutis æternæ vexilliferum. Hoc vexillum ſequi nos oportet, quicumque ſequimur ſalutem. Certè quæ ex eo pendet, vnica noſtra ſalus eſt.

Impoſita humeris Cruce, iubetur innocentiſſima victima iugo collum ante ſubmittere, quàm ſecuri: ingenioſum turpiſſimæ morti crudelitatis additamentum.

Proh quàm graue etiam Deo regnum Crux eſt! Ille qui tribus terræ molem digitis appendit, humero non ſuſtinet Crucem: ac trabali ſuo ſceptro caducus miſerabiliter laborat.

Itur ad ferale iugum; prodit extra vrbem criminibus ipſam ſuis obſeſſam diuini Patris ſapientia; & quidem omnia bona ſua ſecum portat, hoc eſt Crucem. Tardius incederet, niſi patibulum quaſi penna pœnarum, & ala charitatis aptata ſanctiſſimis humeris, molem excruciati corporis veheret potius quàm veheretur.

Ergo damnatione ſua & abſolutione noſtra lætiſſimus, nobis debitam fugitiuis noſtram acceſſit ad Crucem, eamque laceris humeris impoſitam aſcenſu arduo geſtaturus ad Caluariæ montem, vrgente noſtrorum onere criminum, exhauſto venis ſanguine, exanimato vulneribus corpore, viribuſque deficientibus in via patibuli oppreſſus pondere, dum nos erigit cadit Ieſus. Cadentem noſtrarum ſub faſce culparum & Charitatis ſuę pondus, & ſuperincidentis ruina Crucis oppreſſerat, ſed immanior parcendo crudelitas leuatum onere grauiori ſupplicio reſeruauit.

Iam verò pronus in veſperam dies monet, vt ambulando fames colligatur: fames inquam non epularum ad cœnam, ſed pœnarum ad cædem. Properat ergo ad Caluarium, ad montem ſcilicet myrrhæ & thurris,

thuris, qui ſolam in delicijs habet amaritiem. atque vt in ſudore vultus ſui veſcatur pane ſuo, hoc eſt pane doloris, laborat ſub faſce ſpinarum, quas illi maledicta terra germinauit, qui non laborat ſub axe ſtellarum.

## *Chriſtus cruci affixus & in ea moriens.*

EXcelſam tollitur in trabem, vt tam illuſtri ſuæ ignominiæ ſpectaculo vileſcat in probris, qui ſplendeſcit in ſtellis.

Ventum tandem eſt in Caluariæ verticem, reorum olim, nunc Iudicis carnificinam, extremum amoris documentum, prærupto quaquauerſus corpore, perinde ac fornace flammantis animi, ex quo ſcintillæ quondam, totum nunc erumpet incendium: trabi ſuffiguntur & pedes, obrigent nerui, venæ diſſecantur, fatiſcunt oſſa, dolores doloribus exarcebantur. Tibi verò ò ſalutis noſtræ ſponſor atque obſes, qui ſenſus, quæ cogitatio ſuberat, cum ſublata trabe in ſublime ferebaris, in publicum tuæ nuditatis ſpectaculum, & in probroſum latrocinij teſtimonium? quàm vehemens omnium ſuccuſſus membrorum? quæ dilaceratio cutis ex aſperæ trabis illiſu? quis hiatus plagarum dum militum lacertis quaquauerſus agitata crux conſtabilitur? qui dolores, qui cruciatus, dum tanquam perurgente prælo ita comprimeris, vt cruor omnis è venis diuturna tabe diſtillet, atque effluat: & innixus manuumque pedumque vulneribus, vbi conquieſcas non habes; niſi vel recumbas in vepres, vel incumbas in vulnera?

Tres ferme horas cruciatus hic tenuit. Diducta brachia, luxati artus, perfoſſæ manus, traiecti pedes: pendulus ipſe inſiſtere vulneribus, beatis è ſcatebris vndare ſanguis. Effuſa ad ſpectandum ciuitate, hi inſultare miſero, hi exprobrare regnum, hi figere maledictis. Iam corpus deſtitui ſanguine, lethali frigore tentari membra, occupare ora pallor, defluere ceruix, natare in morte occuli. Itaque informi ligno, infami colle, inter ſicarios medius, amicorum dolos, vim hoſtium expertus, cruciatibus, probris, angoribus ſatur, cum generoſa ſe voce metæ proximus incitaſſet, migrat è vita. Dum

Dum hic triſte parricidium vrgetur, illic informi regno illuditur, vbique infami leto inſultatur; homo pacis noſtræ, tanquam in die lętitiæ ſuæ diſpenſare militibus veſtes impetrare interfectoribus cælum; donec deficiente anima, pronis in mortem oculis, labente in pectus capite, quaſi inſpiraturus in hominem ſpitaculum vitæ, effuſo ad ſpectaculum cælo, motis ſede ſua elementis. natura laborante, dum tot inter mundi dolores parimur, Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus expirauit.

Vicit ſcilicet, ſpoliumque mortalitatis ſuæ victrici ex arbore, trophæum iuſtiſſimum ſtatuens, ſuſpendit.

Et iam complexus infame lignum Caluariæ montem, votorum ſuorum culmen aſcenderat regnaturus à ligno Deus. Hic feſtinante Principum crudelitate, nudatus iterum in omnium conſpectu, guſtato felle, repudiata myrrhati vini potione ſoporifera, atque ab ſenſu doloris animum abalienante, affixus & ſublatus in Crucem. è celſo illo pegmate mundum complexus, poſt exoratam parricidis veniam, poſt traditum matri pro filio abeunte diſcipulum, poſt latroni promiſſum gloriæ regnum, cum quo iam communicauerat regnum Crucis; conſumatis omnibus, inter ſummos dolores, ſed dolorum adhuc ſitientiſſimus, deficere inſtante iam morte Dei filius cœpit.

Tollitur in Crucem execratum vulgo lignum, & ominoſum: ſed ex ea ſpecula ſibi deſignat oculis gentium poſſeſſionem vniuerſarum, & inſcriptione glorioſiſſimi tituli, velut è tribunali pronunciata ſententia, iniquiſſimum orbis terrarum dominatorem exterminat. Incipit animam agere, ac tanquam teneretur communi conditione mortalium laborat in vitæ ſupremis: ſed in Parentis æterni gremium inclinato capite, mortem tergiuerſantem adhuc & reſtitantem nutu verticis accedere iubet ad ſe: nec ante ſpiritum tradit, quàm victoriam perfectam iam, & conſumatam eſſe proclamet. Occidit demum, atque ex arena mortalis vitæ victus ac profligatus aliquando diſcedit: ſed ei tanquam ſuperſtiti atque victori triumphale carmen & Pæana omnium perturbatione rerum, velut incondito militum clamore natura decantat.

Trabem funeſtam conſcendit, eaque velut egregius gubernator inuectus vt ita dicam, per ſanguinis fluctus immenſos vitæ ſuæ miſerandum naufragium fecit, vt nos porrecta tanquam tabula incolumes ad portum felicitatis appelleret. Hic enimuerò quales opes ex effracto diuinitatis totius ærario fuſæ ſunt? veſtimentorum manubiæ militibus, interfectoribus venia, latronibus triumphus in cælo, diſcipulo mater in terris, Sacramentorum theſaurus Eccleſię, Summo Pontifici innumerabilium ditio populorum, nobis deniq; vniuerſalis hæreditas ſupremæ ſalutis obuenit.

Aprico iam in colle ſublimis regnas: iam diſpergis cum Sole manus. Hoc tamen à Sole diſcrepas, quod vtrinque occidis. Vtrinque enim occidentis vitæ fines duriſſimis clauis acutus pręfigit dolor. Neque verò ſupremis laboribus confectus Rex noſter otioſus eſt. Quid ergo rerum agit Caluariæ in regno ſuburbano? Arborem ſerit alteri ſæculo profuturam: regalemque Cyri laudem iure vſurpat, Hæc mea manu eſt ſata. At ò tragicas rerum vices: in ipſa quam ſerit arbore vitæ, moritur.

Et iam ventum eſt ad ſummum, non tam montis verticem, quàm votorum. Hic enimuerò mundum compendio recreat, quem diu creauerat. Nudatur, affigitur cruci, ſuſtollitur, & ad mundi proſpectum in Caluariæ colle, hoc eſt in medio mundi totius ac puncto, committitur linea felicitatis humanæ: inſeriturque in ipſo terrarum corde Cor cæli.

Ille verò actus in Crucem quid aliud agit, niſi diſperſis cum Sole manibus immenſæ caritatis orbem amplecti? niſi vitæ hieroglyphico quadrilatera Cruce quadrare ſibi mundum, & decuſſare iterum rerum vniuerſitatem? niſi tractum ad ſe orbem terrarum beato pauore ſupplicantē adorantemq; de Cruce ſuſpendere? niſi quadripartiti mundi finibus trophæum ſalutis, & victoriale ſignum Crucis imprimere?

Ad montis tandem ac diei faſtigium ventum eſt: & noctem incubare ſatis indicant tenebræ factæ ſuper vniuerſam terram. cumque lauandi tempus illud ſit, quando ſalubrius in terris balneum non reperitur, quatuor aperiuntur in Chriſti corpore ſcaturigines; e quibus viuus humor in lauacrum ſalutare deriuetur. nam vnde certior hauriatur ſalus quàm

de

de fontibus Saluatoris. A balneo ad menſam itur; & quidem tempeſtiuè, cum hora ſit nona. Recumbe igitur in iſto triclinio mortis, in medio loco, nempe latronum in medio Prædator ſuauiſſime cordium. Ecce dapes apponuntur, ſed quæ deceant menſam crucis: pro melle fel, pro vino acetum. Hoc videlicet nectar eſt, hæc ambroſia, quam homines propinant ſitienti Deo. Sed non alio reſtingui liquore debuit illa pœnarum ſitis. Et iam ſera nox eſt, quando redijt Heſperus, qui lucifer mane receſſerat; & cum eo cernitur luna perfecta & teſtis iuxta crucem fidelis. Requieſce igitur à laboribus tuis pacifice Rex, in reclinatorio iſto præ tua charitate aureo, ad quod aſcensum feciſti purpureum. Dormi iam ſomnum tuum, vigiliam noſtram; ſiquidem ſomnus iſte nos excitabit ad vitam. cum enim tu cæleſtis Adam obdormieris, ex latere tuo ædificabitur vera viuentium mater Eccleſia. Iam verò conſummatum pronuncians pœnarum diem, in ſtrato ſanguinis, in puluino ſpinarum, in ſinu mortis duram quietem capit & ferreum ſomnum, qui cum in vita non habuerit vbi caput ſuum reclinaret, in ſola morte reclinauit caput.

Iam libani cedrus immortalis in patibulum diræ mortis conuertitur. Botrus Cypri dulciſſimus in poculu m aceto ac felle permixtum amareſcit. Manus olim tornatiles aureæ, nunc cruce complanatæ plenæ ſunt non ferrugineis ſed ferreis hyacinthis. Sol in gratiam aliorum curſum continere aſſuetus, huic vni ne fulgeat, occidit ante occaſum. Veſtem qua ſudore, qua cruore, qua luto reſperſam & planè polymitam non alieno, ſed ipſius Domini ſanguine tinctam militaris ludus oſtendit Patri & fidem facit, filium à Iudæa fera peſſima deuoratum. Tandem miſerrimo dominatu feliciter perfunctus moritur in lectulo crucis, in culcitra plagarum, ſub conopeo meridianæ caliginis, atrato tenebris cælo, terra ſanguine purpurata.

Defixus cruci ſuſtollitur, ſolis pedum palmarumque vulneribus inſiſtens, vt noſtra, quam ſuſceperat cauſa, tota ſecum penderet à vulneribus. Gaudet ſuomet pondere ſua ſibi vulnera recrudeſcere, quia ſic fortius in momenta proclamant. Meritò quidem

non plantis, ſed plagis ſuſtentatur orator, qui facundiæ pondus collocauit in ſanguine: feliciter ſuper vulnera moritur, qui ſibi vitam fabricauit ad vulnera. Trabales illi claui, ferreæ ſunt vulnerum linguæ, & facundiſſimæ ſanguinis oratrices; repulſam ferre non poſſunt, quia nimium habent ponderis, dum ſuſtinent Deum.

Ibi pendens ex arbore manus & pedes ferro traiectus, haſta diſciſſus latus, totus lacer vulneribus, quadrigam gloriæ ſibi ſternit quadrifido in patibulo graſſatorum.

## *Prodigia Chriſto moriente obſeruata.*

OBſtupeſcite cæli, & ſolem veſtrum collucere pudeat, quo die ſempiternus Sol contenebrauit. Contremiſcite campi, nam & is de patibulo contremiſcit, cuius ponderibus ſtabilitas veſtra libratur. Conſcindere Templi velamen auguſtiſſimum conſciſſo iam eius corpore, qui myſteria tuis operta penetralibus focis, ſua nuditate nudauit. Emolleſcite lapides in ſenſum doloris, nam & potuerunt mortalium pectora lapideſcere. Dehiſcite tumuli, vt veſtris è ſedibus prodeant iudices, qui de tanta viuorum crudelitate cognoſcant.

O Solem ſolum propemodum tanti animaduerſorem patricidij, qui in tam acerbo, miſeroque ſpectaculo, ne tantam rei indignitatem videres, eripiens funeſto facinori diem, diei lucem, luci ſplendorem, ſplendori te ipſum, obuolutum tenebris caput abdidiſti,

Vicit ipſe profecto hoſtem, fudit, profligauit, occidit, ſed vt Samſon cum hoſte concidit, atque ita in prælio laceratus, ac deformatus eſt, vt à miſerabili ſpecie Sol oculos auerteret, offuſiſque tenebris acerbum ſpectaculum mortalibus auferret. Et Chriſti corpore, quo tanquam inuolucro quodam auguſtiſſimum diuinitatis ſanctuarium obtegebatur, ſumma vi in contrarias partes diducto, ac penè diuulſo, ipſum ſanctiſſimi templi velum teneri non potuit, quin in partes duas diſcinderetur. Eos autem, qui communem parentem ſuis ipſorum commodis conſulentem

tem

tem inexpiabili parricidio ſuſtulerunt, hominum parens terra non ferens immoderata ſuæ molis iactatione ab ſe ſe conatur abijcere. Præter omnem conſuetudinem franguntur ſaxa, molleſcunt lapides, dum homines nati ad miſericordiã lapideſcunt.

Lugent ipſa propemodum cæli lumina, quæ tenebris, & ſqualore obſita, aut indignum Iudæorum facinus cæcæ noctis caligine inuoluunt: aut immaniſſimum conditoris ſupplicium funebri veluti pompa atque apparatu proſequuntur. Mœrent elementa, dum ſuis penè ſedibus conuulſa, auctoris ſui obitum proprio ipſorum interitu præcurrere quodam modo nituntur. Plangit terra, quæ crebris, ac profundis concuſſionibus labefactata tanti criminis immanitatem adeò non ſuſtinet, vt ipſa ſaxorum firmitas confracta ſoliditate rumpatur. Omnis antiquitatis memoria confecta ſenio contabeſcit, dum velum templi, quo priſca illa myſteria quaſi ſacroſancta occulebantur, miſerandum in modum diſcinditur. Affligantur denique ipſis etiam ſepulchris incluſi ſanctorum cineres, qui ne ſine doloris, & commiſerationis ſenſu eſſent, ſenſum, ac motum atque adeò vitam auide repetunt, vt vitæ auctori mortem oppetenti, penè dicam illachrimari queant.

Vt non ſine cauſa ſol ipſe atratus oſtenderet turpe ſibi eſſe verò extincto ſole lucere; ac tantum indignata facinus, ſuis concuſſa ponderibus terra nutaret; quæ ſine dubio impios, & ſacrilegos repentino hiatu abſorbuiſſet, niſi ab eo, quem ſuſtentabat, parcere didiciſſet; quin etiam ſepulchra, ac monumenta patuerunt; vt teſtarentur plus ineſſe ſenſus in putidis cadaueribus, quàm in hominum animo pietatis.

Expalluit, contremuit, ac prope defecit natura ad huius carnificinæ conſpectum. Lacerauit iam ſuperuacaneum velum templi, quando turpiter velatam faciem templi viderat, quando templi corpus nudatum, atque diſciſſum conſpiciebat: maius obſequium in cadaueribus inuentura, quàm in viuentibus, mortuos exciuit è tumulis, vt obuiam Deo morienti procederent. obduxit ſoli tenebras, vt parricidis ipſo cælo, ipſo conſpectu lucis interdiceret. oppreſſiſſet coniectione ſaxorum, iam ſe ſponte frangentium, & agitantium in vindictam, vel obtuiſſet

terræ ſe commouentis, neque hos homicidias ferentis hiatu, niſi vocem illam extremam audiuiſſet, qua Chriſtus malis hominum grauius affectus, quàm ſuis propè teſtamento cauit, vt ignoſceretur.

Quid indignius hic Sol vidit vnquam, quàm id facinus, quod nefariè perpetratum ab impijs parricidis, quia propemodum ſine lacrymis intueri non poterant Angeli pacis, ipſe diurni luminis moderator intercepto ſolis officio de medio curriculo diei repentina nocte contexit? quid grauius quàm quod infima mundi ſedes, & hæc terræ firmitas tolerare nequaquam potuit, quæ ſemper omnium ſcelerum gymnaſium, ac receptaculum fuiſſet? Ergo tanti ſceleris ita non potuit ſuſtinere grauitatem, vt quaſi reformidaret inexpiabilem contagionem labis: & intolerabilem parricidij ſocietatem à ſe longiſſimè recuſaret, ingēti tremore labefactata nutauerit: montes mutua colliſione commiſerit: ingentia ſaxa nunquam aliàs audito fragore diſcluſerit: gentes omnes inuſitati pauoris conſternatione compleuerit. Quid lamentabilius quàm cuius atrocitatem hæc letiſſima rerum vniuerſitas dolore maiore, quàm publico, luctuoſiore, quàm funeſto, clariore, quàm humano, vehementiore, quàm materno mæſtiſſimè lamentata eſt? quod aſpicere ſydera noluerunt, quod hæc elementa conqueſta ſunt. quo maria ſic tumuiſſe non dubitamus, vt littora verberata fluctibus, ceu plangoris alterna reſponſione reſonarent.

Damnarunt itaque funeſtiſſimum hoc ſcelus, nec minus noſtrum, quàm Iudæorum cæleſtes orbes, atque aſtra: & diem mortalibus, qui omnium Ducem, ac moderatorem hominum reſtinxerant, abſtulere. Damnarunt elementa, & hiatu terrarum, montium ruina, ſciſſione lapidum, oſtentis templorum tanquā mutarum rerum linguis feralem aduerſum nos protulere ſententiam. Damnarunt infernæ ſpecus, rupiſque ſepulchris ad filiorum incuſationem patrum oſſa, ac cineres reddidere.

Expalluerunt ſydera, ipſoque meridie dies degenerauit in noctem. Chriſto morienti non melius quam mundi tumultu, & totius comploratione naturæ parentatur.

Huic tam barbaro ſceleri ſpectando, ne ſolus intereſſet

receſſet è cælo Sol, prærnatura nox ſyderum agmina euocauit: ne ſoli è terris viuentes homines, concuſſo mundo mortuos etiam refracta ſepulchra reddiderunt.

Clamauit terra inſolitis motibus tanto ferendo ſceleri imparem ſe profeſſa. Damnarunt execrabilem vocem viuentes homines, filium Dei, te audiente, eum, quem tu hominem non putaſti, ſalutantes. Damnarunt vita functi, eius morte, quem necaſti, vitam ſibi reſtitutam teſtantes.

Atratus hoc in funere Sol, velum quod veſtis eſt templi ſciſſum lugentis in morem, cædentes ſe ſe colliſique montes, excuſſa hiantibus ſepulchris defunctorum corpora, hauſtæ, obrutæque vrbes, auditæ abeuntium è templis Angelorum voces, terræ moles motu quatefacta, omnia lamentari viſa Parentis occaſum, armari in vltionem parricidarum, interminari humano generi extremum diem.

En tanquam ad intercedendum ſubito accurrunt mota ſedibus ſuis elementa, fugit è Cælo Sol, tangit etiam mortuos hic dolor, atque è ſepulchris excuſcitat, omnia inſolito naturæ tumultu hic laborant, vt aut necem Domini oppoſitu quodammodo ſuo remorentur, aut atrata, & ſciſſa cum veſte, miſerabilique mundi gemitu à Patre vitam filij deprecentur.

Principio Cælum pompæ funebri facturum initium, veſtem mutat. Sol funeris deſignator poſitis propè radijs ex lugentium habitu crinem detondet, atratoſque lictores præmittit, & tanquam apparitores ſuos minorum ſyderum duces. Orbis ipſe terrarum vniuerſus quantus quantus eſt, induitur tenebris, quà tremore concutitur, qua motu fluctuat alterno: quà montibus in ſolidum fatiſcentibus hiat, quà ſaxis aſſultantibus aperitur. Et quoniam tota lugente familia Parentem ſuum, Salomonis templum quæ ſedes illi fuerat peculiaris, & propria, in omnium mærore lætari non decet, ſingularia deponit ornamenta; nudatiſque penetralibus oſtendit, omnia violato rerum Domino, facta iam eſſe profana. Nam quemadmodum religione, ſacriſque pollutis ad ſummam doloris ſignificationem ſibi veſtem à pectore diſcindebant Hebræi, ſic templum Hieroſolymæ celeberrimum velum illud, quo tanquam veſte ſanctiore

quadam, antiqua ſacrorum adyta contegebantur, abrumpit, & diloricat à ſe: mortuoque iam eo cui rerum arcanarum illa deſeruiebat adumbratio, & ſcena, fruſtra putat obiectum ſpectatorum oculis retineri ſiparium. Nulla denique Cæli, terrarumq; pars eſt, quæ portento careat, & miraculo ſuo. ſed vt intelligamus tamen hunc totius naturæ ſenſum, ac motum funebrem in laudem Auctoris pro noſtra ipſorum extincti ſalute panegyricum eſſe, illud etiam factum diuinitus intuemur vt prodigia hæc innocenter, & nulli pernitioſa mortalium exhibeantur. Obducitur enim tenebris Sol. Cælum armari videtur ad vltionem, ſed nullo percellit fulmine flagitioſos. Nutat vndique terra, montes diſſiliunt, & ſaxa; ſed neminem prorſus ea tanta conquaſſatione corripiunt. Sciuditur in templo velum, detegiturque profanis ſacrarium, ſed nulla conſequitur parietum ruina, quæ ſacrilegos ſecum inuoluat, & parricidas. Quin ipſa ſitu, atque illuuie ſquallentia monumenta maiorum aperta ſunt: non quidem vt exorberent impios, & tanto ſcelere contaminatos poſteros, ſed vt redderent hominum ſocietati viuos, quos multo iam ante mortuos accepiſſent. Neque enim terra poterat amplius mortem intra latibula continere, quæ ſalutifera cruce Chriſti pertracta humeris, inarata, quæ diuino illo perfuſa, & opimata ſanguine ſuſceperat vitam.

O diem rerum vniuerſitati luctuoſum, atque ex dierum albo delendum, quem Sol ipſe dierum ſupputator meridiana atratus nocte deleuit.

Etenim Sol in opificis ſui funere funeſtiſſimarum opifex tenebrarum, & colliſa horribili fragore ſaxa, & nutantium ruinæ motuſque regionum, & refracta fatiſcentium lapidum compage monumenta, & è ſepulcris iam regiæ vitæ ſubeuntis magno ſtrepitu excuſſa repente mors, & ſacrorum penetralium diſciſſo velo patefactæ religiones, & cæli caligine, tremore terrarum, lamentatione naturæ, mundi pene totius occaſu confuſa vniuerſitas mortales impulit vt Deum in cruce ſublatum, morientemque ſuſpicerent.

Audiuit rerum vniuerſitas Regis ſui moribundi conqueſtionem: atque vt mortuo Deo pro viribus

iuſta

iuſta perſolueret, rerum ordine conuulſo funditus tremefacta, & meridianis tenebris flebiliter atratá parentali nænia vlulauit.

Solem tot ſcelerum aſpectu decoloratum an non iterum accendiſſes, niſi oculos hoc eſt Soles tuos luce priuaſſes?

Verum quoniam moriente Dominó mutata veſte rerum vniuerſitas atrata flebiliter vlulauit, & collibus æternitatis incuruatis ad luctum, fremente terra, contritiſque dolore montibus ad complorationem ingeminandam dedit abyſſus vocem ſuam, oratione noſtra non eſt opus.

Expirauit Deus renatus eſt homo. ſtatim enim atque ille Spiritum emiſit, ecce monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt. Aperta ſunt monumenta mortuorum ad excipiendam vitam, quam profuſione liberali moriens Deus ore ſuo transfundebat in mortuos. Surrexerunt corpora Sanctorum animata ſpiritu, quem moriens Deus in hominem inſpirauit.

Cælum terramque teſtes aduocauit, quæ teſtamento inſolitis ſubſcripſere prodigijs: aut potius quia teſtes legitimos deſiderabat (qui eſſe debent famæ integræ viri, & non ex numero hæredum, qui autem aderant, vel hæredes erant, vel ſceleſti) vocauit ex inferis, veteris teſtamenti, antiquæ videlicet probitatis viros, omni exceptione maiores.

Illico autem diloricato templi velo, recluſus carcer eſt cæremoniarum, ac legis, quo veluti captiua tenebatur religio, vt in libertatem tranſiret Euangelij. Mox diffractis montium clauſtris, quaſi conuulſis ſcelerum repagulis, totum genus humanum antiqua tyrannide ita ſolutum eſt, vt ipſa etiam monumenta ſponte reſerata captiuorum ſuorum corpora non dimitterent modo, ſed quemadmodum Hebræos olim Aegyptij propemodum exire compellerent.

Tanti nouitatem certaminis attonita cum primis natura corporibus admiratur. Sol ſacra nocte pullatus hæret: tellus iners diuino madefacta ſanguine natiuam exoſa quietem ſuis dimouetur ſedibus; defunctorum animantur cadauera, dum animam exhalat vita, vt mortem interimat: Templi cortina ſcinditur, vt fortitudo abſcondita reueletur.

Agnoſce,

Agnoſce clementiam Deo parem: excitato in hoſtium ſuorum perniciem cælo tegere illos ſuperinducta ſtuduit nocte Excuſaturus apud Patrem popularium ſuorum nequitiam, quò facilius ſuaderet neſciſſe illos, quid facerent, amotis luminibus cæcos facit.

# MARIA VIRGO DEIPARA.

## *Maria concepta.*

SAlue Solis mater ac filia, è cuius etiam tanquam Sponſæ thalamo procedit ille exultaturus vt Gygas; ſaluam te aduenire gaudeo ex noſtræ originis nocturna caligine ſine nube candidam, nulla contracta labe ſerenam. Et meritò ſane: cum enim Aurora ſolis pictura ſit, vmbram non habet; immò cum ex communi matrice rerum Oceano, qui amaritie cuncta conſpergit, oriatur, dulci tamen gratiæ rore tota perfunditur Atque vt olim Luna cæli ſiderumq; regina falsò credita, à primo Solis authore Deo producta dicitur non mutilo, ac decurtato lumine, ſed orbe toto plena, ac fulgenti vndique ſplendore illuſtrata, vt nocti iam tum præeſſet & vmbris: ita vera cæli ac cęlitum Domina dum concipitur, tota vndiq; ita lucet ex Deo in tenebris, vt tenebræ eam non comprehendant; ita authori luminis relucescit, vt illam cum Angelo etiam nunc gratia plenam, hoc eſt omnis expertem maculæ iure optimò appellemus.

Non dubitauit antiquitas inſulam Cretam à venenatis animantibus liberam credere, quòd in illa Iuppiter inanis Deorum rex veniſſet in lucem: verebimur nos immunem ab omni veneno ac tabe criminis Puellam hanc celebrare, cum non in ea ſolum, ſed ex ea iuuans omnia Deus emerſerit; quàm non inſulam dicas, ſed iſtmum potius committentem Maria, dum

ſinus

ſinus eius, & Oceanum diuinitatis immenſum, & noſtræ humanitatis anguſtiſſimum tractum attingit.

Accepimus in reconditis fabulis Lapitharum Virginem non minus genere, quàm forma regiam, cum Neptuno maris Deo dicanda eſſet cum flammeo, impetraſſe ab Nereo ſuo, vt in regione illa barbarorum excurſionibus infeſta ſanctam ac tutam ſe ab omni vulnere, (vt olim Achilles exceptis pedibus fuit) fatali præſidio Numinis conſeruaret: ea re obtenta clientes & aulici reliqui Reginã deducentes ac reducentes;vt Dñę blandirentur,non tam proprio,ſed adſcito nomine Diuam inuulnerabilem ſalutabant. A mendacio conficta hæc quantum conficiant pro veritate videtis: decuit enim,vt Puella noſtra, quæ non falſo humoris, ſed Amoris dulciſſimo Deo myſterijs etiam nuptialibus deſtinatur, in hac communi vitiorum, ceu mortalium vulnerum plaga, ſarcta tecta redderetur ab hoſtibus, vt eam merito inuulnerabilem Dominam, intactam à culpa,& vt paſſim dicitur, immaculatam conſalutare poſſimus. Sacra nempe res eſt: in nullius ergo priuati bonis numeranda; tanto minus habenda in Satanæ, hoc eſt prædonis nefarij poteſtate.

In ſeruitutem abducta poſteritate Adami, noſtra Puella euaſit tyrannidem cupiditatis & iræ; & ex Adæ vitiata ſtirpe potuit vitium non ducere germinando.

Speculum hæc Virgo eſt illud puriſſimum diuinitatis, quod non recipit, ſed in authorem regerit labem illã; iam verò neq; innatã deprehendes maculam, quamuis cernas acutius lynce, tota enim pulchra eſt, & macula non eſt in ea.

Quod ſi hæc oritur vt mundum ſoluat è ſeruitute, quomodo in ipſo exortu catenis Satanæ deuinctum erit mancipium? *P. Leo Sanctius lib. 1. & l. 2. flor. Cant. 7. Caput tuum ſicut Carmelus.* Vt enim ſublimi faſtigio ille cælo, quàm terris propior indigenis montibus ſuperemineт; ſic tu fœminarum formoſiſſima humanæ maieſtatis modum decora proceritate excellis, ac toto vertice ſupra es. Vt mirandum nemini ſit, ſi communem hominum ſtaturam auguſta magnitudine excedat, quæ ſeruile ſceleris hæreditarij iugum non ſubierit.

Iam verò noſtros in ſe oculos conuertit inſolitus oculorum nitor. *Cant. 7.* ita enim perſpicui *oculi tui, ſicut piſcina in Heſebon.* tanti eſt è naturæ fontibus natiuæ limum labis non trahere; vt vel in oculis liquido purior ſtagno illimis trausluceat integritas. *Cant. 7.* Cum ipſo libet artifice plaudere, *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis.* Inſtar omnium prior ille greſſus eſto, quo cum cæteræ imbecillitas infantiæ per auiti lubricum cœnum criminis non ſine prolapſione reptet ad vitam, tu diuinæ opis aureo integumento calceatum pedem incontaminatum promouiſti ad ſanctitatem. Vt vnus ille & princeps syncerae plenus maieſtatis inceſſus, non è noſtratibus te fœminis aliquam prius captiuam, quàm libertam, ſed liberam præpotentis filiam Principis arguat, vnamque omnium principem fœminarum. *P. Io: Baptiſta Ferrarius Orat.* 1.

Quamobrem vbi ſtellis mens purior, & tot exquiſitis affluens ornamentis illapſa eſt in corporis contubernium, non eſt illi iniecta fax iſta fœda, quæ à noſtri generis auctoribus primùm accenſa, latiſſimè in totum poſtea genus deflagrauit; ſed vt puto & micanti auro ſapphirus aut adamas purior inoleſcit; ſic illibato corpori caſtiſſimus animus, Dei ita diſpenſantis manibus inditus eſt, vt nulla conceptæ Virgini labecula generis adhæreſceret. *P. Cauſinus de Eloq. l. 14. c. 9.*

## *Mariæ Natiuitas.*

NOndum Virginis noſtræ infantia facit hodie prima fundamenta viuendi, cum ad faſtigium intelligendi molem hanc ſuam Sapientia iam produxit. In quo ſanè vnius infantulæ, ſiue quod idem eſt bonorum omnium opificio ita forma operis exprimit opificem, ita Virgo hæc diuinæ molitricis ſuæ vultum ſpirat atque indolem, vt quod de Ioue Helenam à Polluce non diſtinguente fingebat antiquitas, immortalium parens optimus Deus, iucunda veluti ſimilitudinis fallacia decipi quodammodo videatur. dum enim hodierna die præſentem ſibi occurrere Virginem noſtram videt, eam veluti diuinam Sapientiam

tiam ratus, iiſdem compellat nominibus, & vocat primogenitam ante omnem creaturam ex ore Altiſſimi prodeuntem,& creatam ab initio,& ante ſecula: vſque adeo ſapit architectam ſuam Domus hæc aurea Sapientiæ. Neque enim materies eius ſculptilis aut cædua de libanoticis, aut Ophirethicis iugis ad explendam vallem, vt ad Salomonis templum deuehenda fuit: fundamenta quippe eius in montibus,& ipſe fundauit eam in ſapphiris Altiſſimus, ſponte incuruatis mundi collibus ab itineribus æternitatis.

Dianæ Epheſiæ templum annis ſeptingentis tandem abſolutum eſt infinitis operum & operarum ſumptibus, ne conſtaret vilius futura ibi ſuperſtitio omnium nationum. Verùm hæc admirabilis diuinæ ſapientiæ moles aduerſus inferorum hoſtium acies armata clypeis ac tormentis, vt ſtultitiam & impietatem propulſet è terris, ab æterno ordinata dicitur excogitatis diuina machinatione conſilijs, vt qua muniis nouis ſemperque maioribus vaticinationum ac ſignorum præmonſtrata modulis fuerit, nullus tamen tam felix Pythagoras fuerit, qui veſtigij menſura aliqua comprehenſa, amplitudinem ac faſtigium tantæ huius baſilicæ modulari ac reperir e potuerit.

Huius ad comam ſydera diuino textu concreta & propendula criſpantur, vt ita dicam in cyrros,& cincinos diei, quo primùm appetente hebetantur oculi Satanæ, qui nunc inſtar occæcati Cyclopis diſcurrit amens certus iteru m præcipitij. *P. Leo Sanctius l. 2. flor.*

Cum enim humanum genus tot ante ſæculis teterrimo ac luctuoſiſſimo elatum funere, nec lucem viderit, nec ſpiritum traxerit, ſe nunc primum cum hac fortunatiſſima infante naſci, & cum illa redditam ſibi lucem intueri videtur: vt hic tam fauſtus,& felix dies, non ſolum Virginis clariſſimæ verùm etiam totius terrarum orbis iam pridem extincti, natalis propemodum eſſe videatur.

Et quę putatis à Deo optimo maximo in hanc vnā vel in ipſis adhuc matris viſceribus, tanquam auro gemmam incluſam, ornamenta congeſta, quæ collata beneficia; cum tot ante ſæculis, imò verò ab ipſa æternitate collectos immenſo illo diuinitatis ſinu,

para-

paratoſque theſauros in eam, quæ ante eſſet Dei mente quàm Parentis corpore concepta, hoc vno tempore, hoc momento, tam largiter copioſèque profuderit? Naſcitur enim nullis aſperſa, vel attacta labeculis, imò verò etiam ita concepta, vt cum ex ſterili parentis vtero in hanc lucem prodeat, non tam naturæ partus, quàm Dei opus quodammodo fuiſſe videatur. *P. Remondus orat.* 5.

Puella toties mundi iam prope depoſiti, & in æternis ſordibus ingemiſcentis precibus ac votis expetita, quinquaginta ferme ſæculorum opus, quæ à mundi cunabulis ad eius vſque cunas effluxerunt. Tantæ molis erat genitricem Deo, Dominam mundo, vitæ reparatricem mortalibus parturire. Et certè cum attentius cogito, mihi videtur ille ſummus rerum artifex & moderator Deus, in hac vna anima propriè conformanda, ſe ipſo vſus exemplari, meliori quodam pollice in hanc vnam ſui imaginem incubuiſſe, vt eſſet quod in arce rerum humanarum omnibus imitandum proponeret.

Et editus eſt in lucem partus hic matris aureus, cui ego facile crediderim mitiores cæli faces clementius illuxiſſe, & è diuturno ſquallore recreatam riſiſſe naturam, quòd ſibi tunc obortam lucem putaret, cum eam libaret oculis, è cuius vtero fons ipſe lucis erat emerſurus.

Iam tum à prima ipſius ætatula, tot in ea micabant dotes, quot ſerena nocte fulgent in cælo ſtellæ, inſtar candentium gemmarum orbibus ſuis affixę. Enituit aliqua formæ elegantia? ſed eam parum pudici mores infuſcarunt. aliam pudicitiæ lumen exornauit, ſed obſolenit ſuperbia. alia natalitijs imaginibus claræ virtutes in ceris habuit alia laudem à pueritia collectam ante virtutis maturitatem decoxit. alia fortitudinis gloria præfulſit, ſed virginitatis laurea caruit. ad ſummum nulla inuenta eſt, quam non aliquis nęuus ex iſta fatali hominum corruptela deriuatus immixerit. Maria vna eſt, in quàm magnificè conſentiens, atque conſpirans omnium virtutum conſenſio; vt nihil pudori venuſtas, nihil grauitas demiſſioni, nihil comitas grauitati, nihil maieſtati ſimplicitas, nihil conſtantiæ facilitas, nihil denique (quod antea fuerat inauditũ) matris nomen virginitati detraxerit. *P. Cauſinus de Eloq. l.* 14. *c.* 9.

## *Maria ab Angelo ſalutata & Deum vtero concipiens.*

Bene eſt, beatè eſt: cæleſtis Orator hominum cauſam feliciter perorauit ad Virginem. perorata felicitas in vtero Virginali fœcundo compendio concluditur. Ad terras præmittitur iuuenili ſub imagine diuini conceptus è cælo nuntius. Decuit enim mox illapſuram profuſæ diuinitatis pluuiam pulcherrimam in ſpeciem colorata iride prænuntiari.

*Cant. 7. Sicut vitta coccinea labia tua.* O labella pudoris amoriſque vittæ ſuauiter tenaces, ſeu vos pudor aſtringat, vt parcè verba laxetis: ſeu vos amor relaxet, vt in comprehenſibile Verbum indiſſolubili nodo aſtringatis. Rideat iam quas olim demirabatur Gallici Herculis commentitias vires, catenatos auribus populos erudito ore trahentis temere credula mortalitas. Hercule fortior Virgo breui, ſed amabili verborum ambitu, tanquam vitta coccinea non hominum cœtum aliquem, ſed ipſum detrahet cælo Deum. Parce igitur, parce vetus fabula. Deos Deaſq; omnes aurea de catena ſuſpendere, qua deligatum Iouem irrito conatu cælo deripere laborent. Virgineus labor eſt, iſque perleuis tenui Deum vitta vincire, victumq; deducere. Venies breui captiuus Virginis, venies maximè Imperator: in breue corpuſculum temet contrahes ad amplexum: purpurea labia, tua vincula oſculaberis.

Ad Virginem diuertit è cælo cæleſtis hoſpes. cælitibus enim ac virginibus hoſpitalis amicitiæ candidam teſſeram dedit incontaminatæ ſimilis candor integritatis. Quanquam cæleſti hoſpiti patrium cælum videri potuit hoſpitium illud, in quo lacteam virginalis pudicitiæ viam, candore notabilem ipſo, illabenti mox peruiam Deo nactus eſſet. Virgini demum ſalutem venerabundus impertit Angelus. impertit autem? imò fœneratur. Verbis enim impertita ſalus fœcundo Virginis prodigio reddenda eſt cum fœnore corporata. Verùm ad honorificam ſa-

lutantis vocem turbatur pudibunda Virgo. O quàm decens turbata virginitas, dum ſuffuſo pudore coloratur in roſas. O fertiliſſimam florum Nazareth, quæ roſas liberaliter producis & in hortulis, & in genis.

Tu verò age, annue cæli terrarumque votis: induere Deo in fructum Virgo florentiſſima: fructuoſum enim nobis in ipſo pudoris tui roſeo vere autumnum repræſentabis. Annue ò quantum potui, dices, annuendo. cum tuos ad nutus verno ſub ſidere videbis properaſſe Solem ad Virginem. *P. Ferrarius Orat.* 1. *&* 2.

Subit mihi memoriam portentum notabile, quòd inſtaurandæ ſanitati ægrotantis Ezechiæ à Deo monſtratum fuit in ſole ad vmbram horologij regij, quod primum omnium repertum in terris dicitur regnante Achas. Cum enim Sol meridiem clarus obiret, nouem extemplo lineis retroceſſiſſe, & nouum auſpicatus ortum ſub vmbra maxima occaſum verſus proiecta incedere viſus eſt Nimirum quid Sol niſi diuinum Verbum, quid meridies niſi fulgoris eius explicata pompa beatis cæli mentibus erat? At enim verò hic Deus, vt ſalutem noſtram feliciter inſtauraret, nouem lineis regreſſus, id eſt poſt nouem Angelorum ordines ad naturam humanam illis è proximo inferiorem receſſit: tum nouo genitus apud nos exortu, vbi quæſo maximam vmbram occaſum verſus, hoc eſt mortalis effectus obtinuit? niſi in illius Virginis gremio, quę dignum opacando numini vmbraculum extitit, ab ijs Angelicis verbis auditis & creditis: Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. *P. Leo Sanctius l. 1. flor. præf. 13.*

Virga Ieſſe vel in miraculis naturam obſeruans, datura fructum in hyeme, florem concepit, in vere plenam gratia profitetur, & adhuc in ea immenſitati poſtulat locum vſque adeo penetrabilis cum gratia Deus eſt. Quanta Mariæ potentia, quæ mundum ea ipſa voce refecerit, qua olim eſt factus? quanta claritas, cui vel tanta lux obumbraret? Parendi ſtudio verita virtutem pariendi, fœcunditatem Virginitati non prætulit, ſed adiunxit. ſe tunc potiſſimum Dominam probans cum Dei ſe prædicauit ancillam. *P. Aloyſ. Iuglaris Eleg. par. 1. Eleg. 2.*

P. Virga

## *B. Virgo ea ſpecie, qua in æde laure- tana colitur.*

IN loculamento B. Mariæ ſtantis, ac puerum Ieſum altera manu medium amplexantis, alteræ ſuſtinentis effigies cedrina fere bicubitalis. Cuius facies electro argentum referente oblita, ſed luminum infuſcata fumo. Cæterum illa ipſa infuſcatio antiquitatis ac religionis index impensè auget Virginalis oris maieſtatem. Gemmata corona ſublimem diſtinguit verticem. Diſcriminati crines Nazarenorum ritu per nuda colli, & humeros fluunt. Simulacrum ſtola aurea tegit, latiore zona gentis more ſuccincta, demiſſaque ad pedes. Palla cærulea ſtolæ ſuperinducta pendet ex humero; vtraque in eodem trunco cælata pictaque. *P. Turſellinus l. 1. hiſt. Laur. c. 2.*

## *B. Virgo in ſpeciem Reginæ.*

IN ſella regio ornatu corporis, oris incredibili dignitate, conſtanti iam ætate Virgo pulcherrima; circa Virginem haud multum inter ſe diſſimili venuſtate formæ aureis amiculis velati frequentes adſtabant puellarum, & puerorum globi; Reginæ ſubſeruire videbantur è ſella cælum, maria terras nutu geſtuque moderanti. Horum alij facto choro vocũ, tibiarum, neruorumque concentu carmina modulabantur: alij tamquam auram refrigerarent, euentilatis vtrimque carbaſis Reginæ ventulum faciebant. *P. Stephonius orat. de S. Agnete.*

# ANGELI.

ANgeli deinde magnæ illius mentis puriſſimæ quædam ſcintillę de ſempiterni luminis facibus accenſæ, tantus & in tot ordines diuiſus exercitus,

tus, quantam non dicã orationis,ſed & admirationis materiam ſuggerunt. Noli tales tibi fingere,quales forte apud Pictores & Poetas ſępe vidiſti, puſiones formoſulos, quibus vultus admirabili fulgore circumfuſus, crines in ceruicem molliter effuſi auro obrizo flaueſcunt, & lactei colli nitorem blandiſſimo fauoniorum ſpiritu ventilati percurrunt. Quibus alæ ex humeris emergunt geminæ in cęleſti textrina concinnatæ florida viriditate, qualis in pauonibus eſſe ſolet,irradiatæ aureo,croceo,puniceo,cæruleo denique colore miti admodum temperie variatæ,tot referunt ſpectantibus pigmenta, quot in arcu cæleſti cum voluptare miramur. Tunica deinde byſſina eſt, quàm ſubtilis denticulati operis limbus circumquaque excurrens magna veſtit cum dignitate.

Tales ſi Angelos cogitas, quales tibi cum picto ribus ludens expreſſi, totam vim ignoras Angelorum. Natura illis pura eſt, ſubtilis, æetherea, quàm nulla corporis figura delineat, nulla materiæ labes infuſcat, nullus corruptionis næuus aſpergit, & vt ſummatim dicam, noſtri pars melior animus eſt, Angelus nihil eſt præter animum. At quis animus? non ex eo igne delibatus, quo ſidera volant, & ſacri torquentur axes, ſed excitatiſſimæ mentis vigor tantò expreſſius ad æternæ pulchritudinis exemplar conformatus,quantò de eius fonte propius reſpergitur & vberius.Hinc ille omnium ornamentorum inſignis quidam decor, & bonorum immortalis affluentia,quàm in conditorem ſuum gratiſſimæ voluntatis ingenuitate refundunt, *& infra*, Quid dicam de illa præſtantiſſimæ mentis intelligentia, cuius beneficio res omnes, quas nos homuli ex luto & argilla ficti, tanto cum labore addiſcimus, & ægrè ratiocinando colligimus, illi nullo negotio, nullo temporis interuallo ſagaciſſimè peruident, & impeditos quoſque difficultatum nodos explicatiſſimè diſſoluunt? Quid de illa cognitione matutina, qua modo res in Deo, tamquam in politiſſimi candoris ſpeculo,vegeti coloris flore viuidius accenſas, modo in ſe iam remiſſas, & quaſi diluto vigore minus acres contemplantur? Quid de ipſius cognitionis felici quadam conſtantia, cuius munere contingit, vt eis non minus ab

ab hac intelligentia ceſſare liceat, quàm plantis aut animalibus ab actus vitalis perpetuo quodam miniſterio? ſiquidem intellectio beatis mentibus pro vita eſt. Iam ſi gratiam ſpectes, quàm ab ipſis ortus primordijs mirificè ſunt nobilitati, cum rerum molitor Deus erat in Angelis condens naturam, & largiens gratiam, vaſa myrrhea dices, aut cryſtallina ab ipſo vniuerſitatis artifice comparata, & omnibus artis enucleata lenocinijs, in quæ diuinitatis riui, tanta, & tam inuſitata donorum fragrantia diſfluerent. Denique ſi gloriam conſiderabis, quæ gratiarum amplitudinem eſt conſecuta, totos in Deum videbis amoris ſimilitudine transfuſos atque abſorptos, tum in hoc felicitatis domicilio fidos terrarum adminiſtros, noſtræ ſalutis propugnatores, depulſores miſeriarum, auſpices felicitatis, Duces, altores, pædagogos, & vt ſummatim dicam, amore Germanos, ſeruos obſequio, auctoritate Patres. *P. Nicol. Cauſinus lib. 14. de ſacra & hum. eloq. c. 2.*

Sed oborta tandem aliquando cum vera religione lux eſt, quæ ſubducto ſipario nobis in conſpectum dedit Cælites illos, ac mentes beatiſſimas, mortalis expertes concretionis, atque interitus, intelligendi, agendique ſumma celeritate præditas; tanta inſtructas poteſtate, ac dignitate ornatas, quantam vix animo comprehendere poſſumus: integerrimas, caſtiſſimas, pulcherrimas, æterno denique lumine circumfuſas. Hi videlicet Parentis optimi ac maximi veriſſimi ſunt Accenſi, hi familiares adminiſtri, hi atrienſes, hi apparitores aſſidui: hi legati quotidie ad homines, atque ad hominum res moderandas è cælo demiſſi toto terrarum orbe circumuagantur. *P. Tarq. Gallut. to. 2. or. 20.*

## *Angelorum cuſtodum beneficia.*

**Simul ac maternis viſceribus inſedimus, ſic cuſtodes Angeli inuigilare, ſic operam noſtræ ſaluti dare cœperunt, ne prius illis incluſi tenebris extingueremur, quàm lucem hanc aſpicere poſſemus. Qui deinde nos exſolutos vtero, ſordidiſque partus integumentis reuolutos, & in vitæ ſtationem receptos.**

tos ſic aluerunt, vt ſi rectè ratiocinari volumus, non tam nutricum v beribus, quàm tacitis illorum blanditijs innutriti fuiſſe, nec tam è matrum gremio, quàm ex eorum tutela pependiſſe, nec tam in cunis, quàm in eorum cuſtodia vagijſſe infantes, lallaſſe ac ſenſim adoleuiſſe videamur. Quoties mille periculis, niſi cuſtodes Angeli ſtatim occurrerent, potuere tenelli fœtus in præcordijs matureſcentes diſcuti? quoties matrum ægritudine, vel repentino pauore, aut medicamentis abigi? quoties nutricum, lapſu elidi? quoties in ipſis incunabulis præfocari? at ijs omnibus malis tacitè obuiam iuiſſe cuſtodes nemo non videt. *Et infrà.*

Si tam eſt inexplebile Dæmonis in nos odium, vt cum iam tot mortalium ruinis & funeribus ſe pauerit, tamen ad reliquorum peſtem & exitium ſe nouis quotidie maleficijs excitet; obſecro vos quis ab Angeli tutela, præſidioque diſcedat? dubitabitis vos iampridem funditus interituros fuiſſe, niſi fideliſſimus ille cuſtos animi veſtri teterrimi hoſtis immanitatem ſupplicijs illaqueatam premeret, ac ſingulis momentis eius impetus à pernicie veſtra refrænaret? Prouocate illum, prouocate, & ſi quid audetis remoto defenſore laceſſite, vos ſcilicet eius ſoluti ac liberi ludetis aſtutias, frangetis audaciam, cuius vix numeratis victorias, aut retardatis furias implicati? Ille quotidie nouos ſceleris adminiſtros, & funeſtiſſimos ſatellites comparat, quorum fraude nefaria vos intercipere, telis configere, crudelitate mactare, & acerbiſſimis ad perpetuum dolorem vulneribus cruentare conatur. At eius conatibus cæleſtis ille propugnator obijcit, & amicus fidelis in intimos vniuscuiuſque noſtrum affectus penetrare nititur, ſi quę ſunt infixa viſceribus tela reuellere, mentem à concepti & erumpentis prope ſceleris cogitatione ad ſpeciem honeſtatis reflectere, omni denique artificio deliniendæ aut expugnandæ voluntatis, alumnum à maleficio ſemouere, quem ſi nihilo ſecius ſuauiſſimis conſilijs propter vim furentis cupiditatis præfractius obniti, vel aduerſari ſentiat, vel extremo periculo conſtitutum propter fœdam anteactæ vitæ mortiſque impendentis faciem luctari, deſperatione agi, & à ſalutis præſidijs abhorrere videat,

que

quo ſtudio, qua diligentia, qua fide & conſtantiâ exiſtimatis eum ad beatorum preces confugere, ſociorum opem expoſcere, auxilium implorare, omnes ordines obire, precari, obteſtari? non prius ab illa obſecratione deſiſtit, quàm vel omni ſpe ſalutis damnata coactus ſit mœrens à miſero cliente diuelli, vel eum tandem omni periculo ſolutum ad beatam vitam produxerit. *Ex Palatio Eloquen. exerc. 4. lect. 4. pun. 4.*

# MVNDVS.

*Mvndum à partium enumeratione deſcribit copioſiſſimè M. Tullius l. 2. de nat. Deorum à medio vſque ad finem. quam deſcriptionem vt pote longiſſimam ſatis habeo indicaſſe.*

*Mundi fabricationem ſex diebus comprehenſam habet P. Iacob. Pontanus par. 1. vol. 3. prog. 6. quam longiori deſcriptione complectitur.*

## *Mundi deſcriptio à partiũ enumeratione.*

INtratura es Vrbem Dijs hominibusque communem, omnia complexam, certis legibus æternisq; deuinctam, indefatigata cæleſtium officia voluentem. Videbis illic innumerabiles ſtellas, miraberis vno ſidere omnia impleri, ſolem quotidiano curſu diei noctiſq; ſpatia ſignantem, annum in æſtatem hiememq; æqualiter diuidentem. Videbis nocturnam lunæ ſucceſſionem à fraternis occurſionibus lene remiſſumque lumen mutuantem, & modo toto ore terris imminentem, acceſſionibus damniſq; mirabilem ſemper proximæ diſſimilem. Videbis quinque ſidera diuerſas agentia vias, & in contrarium præcipiti mundo nitentia: ex horum leuiſſimis motibus fortunæ populorum dependent, & maxima ac minima proinde formantur, prout æquum iniquumuè ſidus inceſſit. Miraberis collecta nubila, & cadentes aquas, & obliqua fulmina, & cœli fragorem. Cum ſatiatos ſpectaculo ſupernorum in terram oculos

deieceris,excipiet te alia forma rerum,aliterque mirabilis.Hinc camporum in infinitum patentium fuſa planities. hinc montium magnis & niualibus ſurgentium iugis erecti in ſublime vertices, deiectus fluminum, & ex vno fonte in Orientem, Occidentemq; defuſi omnes, & ſummis cacuminibus nemora nutantia, & tantum ſiluarum cum ſuis animalibus, auiumque concentu diſſono. Varij vrbium ſitus,& ſecluſæ nationes locorum difficultate,quarum aliæ ſe in erectos ſubtrahunt montes, aliæ ripis, lacu vallibus, plaude circumfunduntur; adiuta cultu ſeges,& arbuſta ſine cultore fertilia, & riuorum lenis inter prata diſcurſus, & ameni,ſinus,& littora in portum recedentia, ſparſæ tot per vaſtum inſulæ, quæ interuentu ſuo maria diſtinguunt.Quid lapidū gemmarumque fulgor,& inter rapidorum torrentium arenas aurum interfluens, & in medijs terris, medioque rurſus mari nitentes ignium faces, & vinculum terrarum Oceanus continuationem gentium triplici ſinu ſcindens,& ingenti licentia exæſtuans? Videbis his inquietis & ſine vento fluctuantibus aquis immani,& fidem excedenti magnitudine terrentia animalia,quædam grauia, & alieno ſe magiſterio mouentia,quædam velocia concitatis perniciora remigijs, quædam haurientia vndas, & magno prænauigantium periculo efflantia. Videbis hic nauigia, quas non nouere terras,quærentia. Videbis nihil humanæ audaciæ intentatum,eriſq; & ſpectatrix, & ipſa pars magna conantium. *Seneca in conſolatione ad Marciam.*

Aſpicitis in media mundi ſede locatam terram, nutibus in ſe ſuis vndique conglobatam, florum, frugum, herbarum, arborum infinita prope multitudine, atque inſatiabili varietate conueſtitam. Aſpiciris fontium perennitates, liquores amnium pellucidos conſtantiſſimè decurrentium in mare; ripas viridiſſimo ſemper habitu diſtinctas; abſconditas, abſtruſaſque penitus auri venas illas inexhauſtas;infinitam lapidum,gemmarum,marmoris vim,quæ tam ſæpe ſuffoſſa, tamen ſemper ac ſubinde reſficitur: beſtiarum tum cicurum, tum ſilueſtrium, & ferarum innumerabilia genera ſuo inter ſe paſtu ſegregata, ſua ſocietate conuenientia: auium emodulatiſſimos

& certis prope legibus inflexos ad numerum cantus: hominem omnibus hiſce præſidentem,& præfectum operibus, cuius ingenio cultuque impendentium altitudines montium, camporum immenſitates, aſperitates ſaxorum paſſim, atque vbique collucent. Aſpicitis iſtã pulchritudinem orarum, ac littorum amænitatem, aſpicitis quà fluitantium & velocium, qua grauium tardèque ſe mouentium vim incredibilem belluarum. Aſpicitis mari finitimum aerem, alibi fuſum & extenuatum, alibi concretum, atque in nubes coactum, colligentem humores, quibus terra rigatur, & alitur, effundentem huc illuc ventos, annuas efficientem frigorum, calorumque varietates, animantium recreantem identidem ſpiritum, volatus auium adminiculo ſuſtentantem. Cernitis, inquam, hæc, & cum oculos inferiorũ ſpectaculo ſatiatos in ſuperiora ſubducitis, alia vos rerum, in qua ſumma eſt admirabilitas, excipit forma. Nimirum illam aſpicitis vltimam oram, & mundi determinationem, altiſſimam à nobis domum, omnia complexu cingentem, & coercentem ſuo: aſpicitis & miramini vno ſidere compleri vniuerſa, diei, noctiſq; ſpatia proportione ſignari: quinque illa diuerſis vaga vijs ſigna in contrarium præcipiti mundo conniti: pendere nubila, labi aquas, obliquari fulmina, cœlum ipſum tonitru, & fragore miſceri. *P. Tarq. Gallut. to. 2. or. 1.*

Vis mundi partes videre? tolle in cœlum oculos & mirare illud ſine colore cærulum, ſine igne lucidum, ſine quiete & fatigatione motum? Tot aſtra in eo ſcintillantia, & æternum lucentes faces: atque has maiores, minores, iunctas, diſſitas, ſine numero, & in numerum choreas ſuas ducentes, &c. Iam ad aerem te dimitte. quid fluor ille videtur, & tenui filo puritas? ſed puritas (aliter quàm in cælo) incerta, & ſæpe ventis, niuibus, grandine, ſępiſſimè pluuijs turbata. Quid in aere ipſi ignes, & imagines quædam aſtrorum? ſunt ſtellæ cadentes, ſunt horribiles cometæ, alijque ardores in trabem, facem, capram. Iam aqua nos excipit, multiplici facie. Vides fontes perenne manantes, fluuios obliquis, rectiſque meatibus decurrentes, ipſum mare arcanam, & pæne aliam naturam. Hoc ventis modò inhorreſcit, & attollitur,

nunc

nunc placida tranquillitate ſubſidet, & malacia blanditur: & tamen in omni ſtatu ſtatas ſuas habet creſcendi, & minuendi vices. Terræ denique noſtræ inſiſte, & totam conſpice, ſic grauem, ſic brutam, in medio aere, natura librante ſuſpenſam. Partes diſpice, quas pulcherrimè variat, & in ardua montium, accliua collium, depreſſa vallium, plana camporum diſtinguit, &c. *Lipſius cent. 1. epiſt. ad Belg. ep. 26.*

## *Mundi rotunditas.*

MVndum ea forma figurauit, qua vna omnes reliquæ formæ concluduntur, & globoſus eſt fabricatus, cuius omnis extremitas paribus à medio radijs attingitur: idque ita tornauit, vt nihil effici poſſit rotundius, nihil vt aſperitatis haberet, nihil offenſionis, nihil inciſum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunoſum: omneſque partes ſimillimæ omnium, quoad eius præſtabat iudicio diſſimilitudini ſimilitudo. omni autem totam figuram mundi læuitate circumdedit. *Cic. lib. de Vniuerſ.*

## *Cælum, ſiue cæleſtes orbes.*

NOuem orbibus, vel potius globis connexa ſunt omnia, quorum vnus eſt cæleſtis extimus, qui reliquos omnes complectitur, ſummus ipſe arcens & continens cæteros, in quo ſunt infixi illi, qui voluuntur ſtellarum curſus ſempiterni. Cui ſubiecti ſunt ſeptem, qui verſantur retro contrario motu atq; cælum; è quibus vnum globum poſſidet illa, quàm in terris Saturniam nominant: deinde eſt hominum generi proſper & ſalutaris ille fulgor, qui dicitur Iouis; tum rutilus horribiliſque terris, quem Martem dicitis; deinde ſubter mediam fere regionem Sol obtinet dux: & princeps, & moderator luminum reliquorum, mens mundi, & temperatio, tanta magnitudine vt cuncta ſua luce luſtret & compleat. Hunc vt comites ſequuntur, Veneris alter, alter Mercurij curſus; in infimoque orbe luna radijs Solis accenſa

conuertitur.

conuertitur. infra autem iam nihil eſt niſi mortale & caducum præter animos, &c. *Ciceron in Somn Scipion.*

## *Solis deſcriptio ab eius motu atque effectis.*

SOl, qui aſtrorum tenet principatum, ita mouetur, vt cum terras larga luce compleuerit, eaſdẽ modò his modo illis ex partibus opacet. Ipſa enim vmbra terræ ſoli officiens noctem efficit. eiuſdemq; Solis tum acceſſus modici, tum receſſus, & frigoris & caloris modum temperant. Circuitus enim Solis orbium V. defectibus LX. & CCC. quarta fere diei parte addita, conuerſionem conficiunt annuam. Inflectens autem Sol curſum, cum ad ſeptentriones, tum ad meridiem, æſtates & hyemes efficit, & ea duo tempora, quorum alterum hyemi ſeneſcenti adiungitur, alterum æſtati. *Et infra.*

Ex quibus Sol, cuius magnitudine multis partibus terra ſuperatur, circum eam ipſam voluitur, iſque oriens & occidens diem, noctemque conficit: & modò accedens, tum autem recedens binas in ſingulis annis reuerſiones ab extremo contrarias facit: quarum interuallo tum quaſi triſtitia quædam contrahit terram, tum viciſſim lætificat, vt cum cælo hilarata videatur. *Cicero l. 2. de nat. Deorum.*

Planetarum medius Sol fertur, ampliſſima magnitudine ac poteſtate: nec temporum modo, terrarumque, ſed ſyderum etiam ipſorum, cælique rector. Hunc mundi eſſe totius animum, ac planè mentem: hunc principale naturæ regimen credere decet, opera eius æſtimantes. Hic lucem rebus miniſtrat, aufertque tenebras: hic reliqua ſydera occultat: hic vices temporum, annumque, ſemper renaſcentem ex vſu naturæ temperat: hic cæli triſtitiam diſcutit, atque etiam humani nubila animi ſerenat: hic ſuum lumen cæteris quoque ſyderibus fœnerat. *Plinius libro ſecundo nat. hiſt. c. 6.*

Mirari licet aſtrum iſtud aureum, ac intueri Iouis oculum lucis parentem, quippe quo nihil eſt in hoc

ſpectabili mundo, vel ad ſpeciem pulchrius, vel ad rerum gignendarum commoditatem fœcundius, vel ad incredibilem rerum omnium varietatem in humanos vſus inuehendam efficacius Sol is eſt, qui vitalē vim, ac ſalutarem corporibus, atque animantibus communicat; qui hoc eſt in æthere, quod in animali cor, truncus in arboribus, animus in homine: qui vices temporum, annorumq; nouo ſemper flore redeuntes ex vſu naturæ temperat, eiuſque partes ita diuidit, vt inter ſe non ſecus ac in choro nectantur: cuius vis ac poteſtas motus reliquorum ſyderum conſtitutá dimenſione moderatur, & ipſos ſtellarum ignes colluſtrat? cuius influxus in abditiſſimos vſq; receſſus penetrat, terræq; viſcera peruadit, vbi gemmas & aurum progenerat. Is eſt qui meſſes inaurat, fœcundat arbores, colorat prata, vites purpuriſſat, vireta pingit, hortorum areas florum pigmentis illuminat, quem denique Deus quaſi pulcherrimum ſui ſimulacrum in communi conſtituit. *Ex Palat. Reg. Eloq. Exer. 4. lect. 6. punc. 6.*

## *Luna, & eius mutationes.*

SOlis annuos curſus ſpatijs menſtruis luna conſequitur, cuius tenuiſſimum lumen facit proximus acceſſus ad Solem, digreſſus autem longiſſimus quiſque pleniſſimum. Neque ſolum eius ſpecies ac forma mutatur, tum creſcendo, tum defectibus in initia recurrendo, ſed etiam regio, quæ tum eſt aquilonaris, tum auſtralis. In lunæ quoque curſu eſt & brumæ quædam, & ſolſtitij ſimilitudo, multaque ab ea manant & fluunt, quibus & animantes alantur, augeſcantq; & pubeſcant, maturitatemque aſſequantur, quæ oriuntur è terra. *& paulo infra.* luna, quæ eſt maior quàm dimidia pars terræ iiſdem ſpatijs vagatur, quibus Sol: ſed tum congrediens cum Sole, tum digrediens, & eam lucem quam à Sole accepit, mittit in terras, & varias ipſa lucis mutationes habet. atque etiam tum ſubiecta & oppoſita Soli, radios eius & lumen obſcurat, tum ipſa incidens in vmbram terræ, quum eſt è regione Solis, interpoſitu interiectuq; terræ repente deficit. *Cic. lib. 2. de nat. Deor.*

Sed

Sed omnium admirationem vincit nouiſſimum ſydus, terriſque familiariſſimum, & in tenebrarum remedium à natura repertum, luna creſcens ſemper, aut ſeneſcens. Et modo curuata in cornua, modo æqua portione diuiſa, modo ſinuata in orbem: maculoſa, eademque ſubito prænitens, immenſa orbe pleno, ac repente nulla; alias pernox, alias ſera, & parte diei Solis lucem adiuuans, deficiens, & in defectu tamen conſpicua: quæ menſis exitu latet, cum laborare non creditur. Iam vero humilis, & excelſa, & ne id quidem vno modo, ſed alias admota cælo, alias contigua montibus, nunc in Aquilonem elata, nunc in Auſtros deiecta. Proxima ergo cardini, ideoque minimo ambitu, vicenis diebus, ſepteniſque, & tertia diei parte peragit ſpatia eadem, quæ Saturni ſydus altiſſimum triginta annis. Deinde morata in coitu Solis biduo, cum tardiſſimè, è triceſima luce rurſus ad eaſdem vices exit: haud ſcio an omnium, quæ in cælo pernoſci potuerunt, magiſtrà. Solis fulgore eam, vt reliqua ſydera tegi; ſiquidem in toto mutuata ab eo luce fulgere, qualem in repercuſſu aquæ volitantem conſpicimus ideo molliore & imperfecta vi ſoluere tantum humorem, atque etiam augere, quem Solis radij abſumant. ideo & inæquali lumine aſpici, quia ex aduerſo demum plena reliquis diebus tantum ex ſe terris oſtendit, quantum ex Sole ipſa concipiat. In coitu quidem non cerni, quoniam hauſtum omnem lucis auerſa illò regerat, vnde acceperit. *Plin. lib. 2. nat. hiſt. c. 9.*

## *Stellæ & Stellarum conuerſiones.*

DVo ſunt genera ſiderum: quorum alterum ſpatijs immutabilibus ab ortu ad occaſum commeans, nullum vnquam curſus ſui veſtigium inflectit: alterum autem continuas conuerſiones duas ijſdem ſpatijs curſibuſque conficit. *Et infra.*

Maximè verò admirabiles ſunt motus earum quinque ſtellarum, quæ falſo vocantur errantes; nihil enim errat, quod in omni æternitate conſeruat progreſſus & regreſſus, reliquoſque motus conſtantes & ratos. Quod eo eſt admirabilius in his ſtellis, quas

dicimus. quia tum occultantur, tum rurſus aperiuntur, tum abeunt, tum recedunt, tum antecedunt, tum ſubſequuntur, tum celerius mouentur, tum tardius, tum omnino ne mouentur quidem, ſed ad quoddam tempus inſiſtunt. Quarum ex diſparibus motionibus magnum annum mathematici nominauerunt: qui efficitur, cùm Solis, & Lunę, & quinque errantium ad eandem inter ſe comparationem confectis omnium ſpatijs eſt facta conuerſio. *Cicero l. 2. de nat. Deorum.*

# PARADISVS, SIVE SEDES BEATORVM.

## *Paradiſi ſpecies in modum amœniſſimi loci.*

LOcum irriguum vbertate fontium, purpureaque lucis amænitate lætum cernebat, immortalibus amaranthis, æternumque fulgentibus hyacintis. Iam ſpecies ipſa lætiſſima diſcoloris amænitatis, odorumque ſuauitas, quæ difflaretur è floribus; & variarum concentus iucundiſſimus auicularum, tum aquarum bellè cadentium admurmuratio; nec non auræ ſuſurrus inuolutus frondibus ad numerum adſibilantibus è ſylua, quantam vel animo iucunditatem affunderet, vel obliuionem induceret cæterarum curarum, non niſi qui ſenſibus explorarit aliquando, conſequi coniectura poſſit. In medio loci teſtudo perplexo & camerato topiario conuęſtita ſellam opacabat ſupernè incubans, ſplendido ſuffultam thoro, multo auro argentoque lucidam, & illuſtrem pendentibus vndique margaritis. *P. Stephonius Orat. de B. Agn.*

## *Paradiſus ſub allegoria portus maritimi.*

O Te ad extremum vſque felicem ac fortunatum, qui tanta vitæ conſtantia è vitæ ſcopulis enauigaris. Tecum oppidò actum eſt bene atque præclarè, cum eo conceſſeris, vbi nullus te reflantis fortunæ impetus depellere poſſit, cùm ad eum, vt quidem ſpes eſt, portum appuleris, vnde concitari maria, vnde rerum humanarum viciſſitudines velut inſano quodam æſtu Oceanum ad terras verti, vnde fulminantis cæli horribilem ac trucem faciem tui ſecurus intueris: vbi nullam priuatam cladem aſpiciunt oculi, vbi nullis conuicijs verberantur aures, vbi metu ſolutus animus ab euentu nō pendet. *P. Tarq. Gallutius to. 1. or. 14.*

## *Beatitudo æterna.*

AT erit, erit illud tempus aliquando, cum laboraſſe, vigilaſſe, decertaſſe cum vitijs, omnes exorbuiſſe difficultates nos vehementer delectabit: cum noſter animus, qui naturali quadam veri videndi cupiditate exardeſcit, in illa diuina, & beatiſſima natura ſimul omnium rerum genera, partes, vim, proprietates, ordinemque diſpiciet; cum ratio numine diuino corroborata vigebit, & dominabitur, neque poterit à recto & honeſto deflectere: cum mens æterno vinculo coniuncta effectori & parenti ſuo concors & particeps diuinitatis ad ſupremum honoris gradum euehetur: cum non hominum fama, quæ ſæpe falſa eſt & ſimulata, ſed Dei Optimi Maximi, & omnium cæleſtium, qui nec fallere volunt, nec falli poſſunt, ſincera quadam & veriſſima, prædicatione celebrabimur: cum ſummo & ſempiterno bono potiti, in quo rerum omnium pulchritudo continetur, diuitijs affluemus non labentibus & fluxis, ſed immortalibus atque perpetuis: cum nulla ægritudine interueniente, conſtanti quadam & æquabili voluptate perfruemur, tanto nobiliore voluptatibus corporis, quanto mens ſenſibus, Deus eſt cæteris

rebus præſtantior: cum ab omni metu vacui, ab omnibus periculis & incommodis liberi, certiſſimè ſciemus in omnem æternitatem nos eſſe victuros in illis bonis. *P. Perpinianus Orat. 3. de B. Eliſab.*

## *Paradiſus terreſtris, qui & Hortus voluptatis.*

FVit hortus ille præter omnes angulos terrarum ridens, deliciarum quà corporis, quà animi refertiſſimus. Cælum eiuſmodi, quod nulli terræ anhelitus graue, craſſumque redderent: ſalubre inprimis, ac verna quadam temperatione prorſus æquabiliſſimum, & pacatiſſimum. Tametſi enim per quatuor tempeſtates ordinatim curſum ſuum annus exigeret, nihilominus commutatio illa, ſucceſſióque mutua moderationem, & clementiam cæli huius neque, profligabat, neque corrumpebat, aut aliqua ratione imminuebat: quin potius variabat viciſſitudine haud iniucunda, & minimè ingrata. Quamobrem non illic iners, & torpidum gelu, non horridus rigor, non amnes, & torrentes frigoribus conglaciantes, niuibuſquè, & pruina concreſcentes, vt in media bruma, aut adulta hyeme, non ita tellus lubrica vt.

*Vere nouo, gelidus canis cum montibus humor*
*Liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſoluit:*

non, inquam, tantus, ac talis ibi humor, qualis quantuſquè ſolet eſſe veris, non immodici calores æſtatis, non iniqua ſiccitas autumni: verum hæc omnia, frigus, calor, humor, ſiccitas diſcordia concordiſſima miſcebantur, & ad illam mediocritatem ſingulæ temporum vices, quod habebant optimum tanquam ſymbolas inſuper conferebant: ver nempe quidquid amænitatis, æſtas quidquid fœcunditatis, autumnus quidquid vbertatis, hyems quidquid otij, ſecuritatis, & quietis. Aberant tenebræ, caligines, nebulæ, nubes, venti, procellæ turbines, fulmina, imbres, grandines: continua ibidem, & pura ſemper lucis claritas, cum cœli facie ſereniſſima, & aſtrorum electionibus effectis. *Et infra.*

De terra iam audias licet, quam, & ſi, Deo ita ſtatuente

tuente, homines coluiſſent, tamen ea cultura nullum laboris ſenſum, moleſtiamque nullam habuiſſet. Nihil ea opimius, ac fœcundius: prouentum rerum omnium nullis grauidata ſeminibus ex ſe fundebat: non tantum, quæ ad explendam neceſſitatem, verùm etiam ad oblectationem ſolum commodarent. Nihil noxium, nihil non ad vſum aliquem gignebat. Copiā quidem alimentorum tam liberalem, vt optari liberalior nō potuerit: quorum quanta eſſet cum saporis gratia ſalubritas, & parandi facilitas tibi relinquam æſtimandum: nam ſingula diſſerere, non eſt operę.

*Flumina ibi lactis, & flumina nectaris ibant.*
*Flauaque de viridi ſtillabant ilice mella.*

Oculos arborum viridantium, & multis partibus, quam ſunt hæ noſtræ pulchriorum, lætiorumque fœtuum ramos onerantium, fœtuum, inquam, ſpecioſiſſimorum, & figurarum venuſtiſſimarum, quis, & vitium populos altas maritantium, & in ijs vuarum purpuræ certantium, & tot plantariorum, florum quaſi lætiſſimis coloribus humus depingebatur, & gemmeis honoribus coronabatur, aſpectus voluptate multa paſcebat. Auiculæ tam diuerſis, & picturatis pennis viſum: liquidiſſimis cantibus, quos tenui gutture meditabantur, auditionem mirabiliter recreabant: lenibuſque auris perſtrictæ arborum comæ placidum murmurabant. Nares odoribus ambroſijs, quos efflabant, aromata, flores, & herbæ perfundebant. Guſtatui ſua item è saporibus gratiſſimis oblectatio carpebatur. Quod ad ſenſum tactionis attinet, non lædebat frigus, non macerabat æſtus, non multipedum vermiculorum morſus, non muſcarum impudentia quenquam vexabat. Nulla tum noxa fatigatio, nihil aſperum, durum, incommodum ſentiebatur. *P. Pontanus vol. 3. par. 1. progymn. 7.*

Regio in primis amœna ſitu præcelſa, ſpecie eximia, bonis opulenta, omni deliciarum genere affluens: Terra partim in planiciem exſpatians, partim in colliculos molliter aſſurgens, vernantem frugiferam arborum copiam explicat: in ipſo hortorum apice fons eſt eximius, qui primum argenteis aquarum vorticibus ebulliens, mox diffuſus in fluuium ſinuoſis flexibus, atque męandris conciſus oberrat, & feli-

cia arua perennibut fœcundat riuulis. Ad ſummum in quatuor ſalientes diuiſus celeberrimos amnes efficit, qui varias terrarum plagas interſecantes, pingui, ac feraci limo rigant. Cœli admodum iucunda temperies, quippe clementius renidens ſolis fulgor, vel minimas nebularum maculas tempeſtiuè diſcutit. Ignis cœteroqui violentus in ſuo feriatur regno, & aeri leniter inſidens caloris & luminis iucundiſſimam terris temperiem impertit. Iam verò, & hæc pratorum herbeſcens viriditas intermicantium florum varietate picturata, & hæc arborum pubes enatis modo floſculis laſciuiens, præſentis, opinor veris præbet argumentum, Cum eodem ſuas partes agunt, reliquæ tempeſtates. Itaque & iam æſtatis beneficio ariſtas molliter flaueſcere, & in his pomariorum delitijs fructus matureſcere videas, qui carpentis inuitent manum. Ex altera parte autumnus gratam oliuitatem, & vites diffuſa corymborum luxurie collibus inſerpentes, & iam præmaturis racemis veſtitas, etiam ante Noemi tempora, ſpecioſius oſtentat. Nullus hic hyemis rigor, ita vim omnem retundunt, partim clementiores ſolis radij, qui felicem plagam circumueſtiunt, partim etiam molles fauoniorum animæ, quorum flabellis, & placidiſſimo murmure regio tota circumquaq; ventilatur. Diceres quatuor hic tempeſtates vna concinere, vere tamen ſuperiores partes ſemper obtinente. Hic nemorum tractus denſiſſimo frondium veſtitu diffuſi, quarum aliæ ſimpliciori cultu vireſcunt, aliæ paulatim è viridi tum cæruleas, luteasque, tum purpureas, & igneas tranſeunt in maculas, quales in arcu cœleſti cum voluptate miramur, Atque eo ipſo tempore Pſittaci, & quæcunque vario plumarum cultu aues emicant, ad gratiſſimum paſtum aduolantes, augent oblectationem: cum folia, & fructus, atque adeo ipſæ alites varijs colorum picturis in certamen vſque luxurient. *P. Cauſſinus de Eloq. l.* 11.

QVA-

# QVATVOR ANNI TEMPESTATES.

INflectens autem Sol curſum, cum ad ſeptentriones, tum ad meridiem, æſtates & hyemes efficit, & ea duo tempora, quorum alterum hyemi ſeneſcenti adiunctum eſt, alterum æſtati. Ita ex quatuor temporum mutationibus, omnium quæ terra marique gignuntur, initia cauſæque ducuntur. *Et infra.*

Et modo Sol accedens, tum autem recedens binas in ſingulis annis reuerſiones ab extremo facit: quarum in interuallo, tum quaſi triſtitia quadam contrahit terram, tum viciſſim lætificat, vt cum cælo hilarata videatur. *Cicero lib. 2. de nat. deorum.*

## *Ver.*

VEris tempus quia moderato calore humoreq; miſcetur, producendis ſtirpibus, generandis animantibus, alendis, fouendis, conſeruandis rebus omnibus præcipuèque viuentibus eſt mirificè opportunum: quo quidem viget aſtrum arietis, aſtrum propitium, beneficum, fœcundum, naſcentibus rebus amicum, & commodum. Tum omniferos ſinus benigniſſima parens tellus recludit, herbarumque vireſcentium, & benè olentium multitudines expromit, prata florum copia condecorantur, arbores nouis ſe frondibus induunt, pulſis frigoribus auræ tepent, putantur vites, nouæ ſeruntur, veteres germinant, redit florida vis animorum, & amæni gratia ruris, vbera tumentia pecudes domum referunt, implentur mulctræ humore lacteo, parturit omnis ager reuiuiſcunt & rident omnia. *P. Pontanus vol. 3. par. 1. progymn. 17.*

Regina tempeſtatum pompas ducit regi dierum, & pulcherrimo eodemque iucundiſſimo ſtipat veluti

ſatellitio. Nunc cælum renidet purius, nunc Sol altior & auro ſimilior, nunc orbis lunæ pulchrior ſplendet, atque illibati ſtellarum chori clarius enitefcunt Nunc littoribus conciliantur fluctus, Soli nubes, aeri venti, terra plantis, plantæ oculis. nunc fontes manant liquidius, & hybernis compagibus expediti largius amnes fluunt, prata collucent floribus, turgent gemmis arbores, detonſi nitent herbarum tori, & per virentes agros agni laſciuiunt. lætus agricola ſerenum intuetur cælum, & aratrum reficit frugum largitorem Deum appellans, tum ſtrenue boues cogit ſub iuga, & dulces imprimit ſulcos totus iam ſpe delibutus. At Vpiliones cum bubulcis concinnant fiſtulas, & paſtorale carmen accinunt, nunc per gramen abiecti, nunc vmbroſis rupibus inſidentes, veris ſuauitate mulcentur. *Ex S. Gregor. Nazianz. P. Cauſinus de Eloquen. l. 14. c. 19.*

Verno tempore gemmea pratorum, nemorumque viriditas, & riuorum decurrentium alliſa & impacta molliter ad pellucentes lapillos argenti ſimilis aquula paſcit oculos, mulcet vndique aures auium cantus: ab arboribus in nouum ſe florem induentibus odores ſuauiſſimi afflantur, ad voluptatem atque oblectationem omnia dirigi, eamque ſpectare vnam videntur. *M. Anton. Muretus tom. 2. orat. 7.*

At ſimul hæc ibi tempeſtas hyberna deſæuijt, mutato repente ingenio, cælum incipit omne miteſcere: emicant flores, pubeſcunt prata, frondent arbores, afflant fauonij, ventilantur auræ, ſaliunt vndæ, & murmure grato ſenſibus animiſque blandiuntur, quidquid antea pruinis riguerat, rore iam natat; & campi qui nuper glacie torpuerant, odores ambroſios halant. Quà niues iacuere, virent iam herbæ, fragrant caſiæ, vernant roſæ. quà boreas turbarat, ludunt zephyri, ſuſurrant rami, murmurant riui: dumq; æmulo concentu hic frigillę quærulæ, hic achanti des blandæ, hic luſcinię ſonoræ decertant, vocalis vbiq; ſilua eſt, & grata oculorum auriumque palęſtra. Viſuntur iam aprici colles, & innoxij ſaltus, iam opaca nemora, & lauri vmbracula, & mille amænitatum theatra: vt regionem totam aliud eſſe non credas, quàm imaginem gaudentis naturæ. *Et infra.*

Atque ecce tibi! vix etiamdum vernis vaporibus inte-

intepeſcere auræ, ſoleſque pati incipiunt, cum multiplices licet vbique flores intueri, alios velut in gemma etiamdum naſcentes, alios ex hiante iam calice promicantes, alios rupta iam vagina pubeſcentes. ibi tu aroleas, ibi pulu illos, ibi omnia ſuauiſſimis dices odoribus fragrare. Tum illos tu & molles zephyros, & beatos imbres, & liquidos ſoles laudabis, quoniam ſalubri aura, fertili rore, ſerena luce violarium illud toties afflatum, irrigatumque memineris fuiſſe. *P. Bidermanus Acroam. Acad. l. 1. acroa. 2. nxm. 23. & 31.*

## *Aeſtas.*

AEſtas mater frugum & annonæ, quo tempore falces quæruntur, & ad colligendam Cererem, pubes ruſtica vocatur, vuæ nigreſcunt, oleę turgent, poma matureſcunt, plauſtra manipulis onerata gemunt, complentur horrea, tondentur etiam campis gramina, lanitioque leuantur oues. Et hæc quidem periucunda & optata, verùm illa iniucunda & horribilia, quod calorum vehementia creantur morbi, & peſtilitas ſæuit inclementius, vruntur agri moriuntur herbæ, decreſcunt amnes, exiccantur fontes, conficiuntur ſudore & ſiti animantes, atque idcirco antra & ſpecus ſub terra ad captandas vmbras & frigora quæritant. *P. Pontanus vol. 3. par. 1. progymn. 17.*

## *Autumnus.*

IN Autumnum porrò, quàm in æſtatem maius morborum agmen irrumpit, & quidem acutiſſimorum: exitialiumque: haud enim certa tum temperies, ſed inæqualitas dominatur. Eodem die modo æſtu ſudes, modo algore tremas, quin dies quodammodo æſtiui ſunt, noctes hybernæ. Et quia decorum mitibus pomis caput aruis effert, ob id pomifer annus Horatio dictus. Spumat Autumno plenis vindemia labris, hortorum opes larga copia decerpuntur, reponunturque in hyemem: omnia ſuis cultoribus

matura & victa exhibentur: noua ſemina ſpes anni conſequentis coloni ſulcis mandare inſiſtunt. Autumnus denique inde nominatus eſt, quòd tunc maximè hominum opes augeantur. *P. Pontanus vol. 3. par. 1. progymn. 17.*

Cum primum Autumni ſe fertilitas mouit, iam fructus toto ſinu, quos hyeme celauerat omnifariam effundit: aperit vitiferos tractus, & vuidas amnium ripas racemis liuentibus, prælumque poſcentibus prætextas, temulentiam ſucco nobilem, & neque Falerno nec Cæcubo, ſi litem mouerint, ceſſuram. Ridet in ſolo fertili matura ſeges, manuſque poſcit. Inuident Gargara, vincique ſe inſulæ delicijs mirantur. Campis omnibus continuum Cereris Bacchique certamen eſt. accedit olei generoſus liquor Venafrano conferendus; accedit ficuum ſapor etiam melli præferendus. dependent ramis felicibus mille pomorum genera: hic primi coloris, aurea; hic plena ruboris, punica. Alibi aut Perſicorum ſudat humor, aut citreorum vagatur odor. Inde pyra ſunt volema, pondere ſuo grauia, inde Amerina ſero prouentu ſegnia, inde muſtea, ſucco natiuo dulcia, denique quidquid nobile Pomona vel ipſa ſerere didicit, vel parturire autumnum docuit, id ſoli feracis patrimonium eſt. *P. Bidermanus Acroam. Acad. l. 1. acro. 2. num. 24.*

## *Hyems.*

At hyems triſtis, dura, immitis, fera, pigra, aſpera, deformis vnde laudabitur? Exuuntur honore ſuo arbores, viduantur folijs, herbæ intereunt, ſquallent prata, lugent horti, concreſcunt glacie flumina, montes, syluæ, tellus niuibus obruuntur, venti tempeſtateſque graſſantur. intempeſtiuum fit ad nauigandum mare, humus crebris albicat pruinis, cæli facies ſemper turbida, irata, minax, corpus villoſo tegmine inuoluitur, & tanquam aduerſus hoſtem atrocem obarmatur. intermittuntur cõmercia, ceſſant ludi, conuentus nulli celebrantur, dies totos domi ad focum ſedetur. fouentur nihilominus etiam hoc triſti tempore terræ, ſemina, & frigus etiam alicubi neceſ-

neceſſarium eſt rebus. *P. Pontanus vol. 3. par. 1. progymn. 17.*

Ad ſeptem Triones inſulam eſſe teſtantur frigoris & rigoris immodicam, præſertim cum annus hyemat, tunc cælo tam aſpero, atque inclementi ingenio locum eſſe, vt fœta furentibus auſtris Aeolia, & natale Aquilonis domicilium poſſit videri. Canę perennibus pruinis ſiluæ, obſiti glacie colles, gelu obſeſſæ valles, aggeſti niuium montes, ad poſtremum quaqua reſpicias, facies rerum terra & horrida. *Et infra.*

Hyemem frigore ſuo informem repræſentat, & humum ſterili glacie torpentem, in qua nulla ſe oculis ſeges, aut ſperatæ meſſis indicia oſtendant, ſed quaſi præfocatæ in ſemine fruges, geluque exanimatæ ſpem futuri prouentus elidant.

*P. Bidermanus Acroam. Acad. l. 1. acro. 2. num. 28. & 29.*

# TEMPVS, ÆTERNITAS.

## *Tempus.*

IN tria tempora vita diuiditur, quod eſt, quod fuit, & quod futurum eſt. ex his quod agimus, breue eſt: quod acturi ſumus, dubium: quod egimus, certum. Hoc eſt enim, in quod fortuna ius perdidit, quod in nullius arbitrium reduci poteſt. Præſens tempus breuiſſimum eſt. adeo quidem, vt quibuſdam nullum videatur. in curſu enim ſemper eſt. fluit & præcipitatur: antè deſinit eſſe quàm venit. Nec magis moram patitur, quàm mundus aut ſidera, quorum irrequieta ſemper agitatio: nunquam in eodem veſtigio manet. *Et paulo ſuperius.*

Nemo æſtimat tempus. nemo reſtituet annos, nemo iterum te tibi reddet. ibit qua cæpit ætas, nec curſum ſuum aut reuocabit, aut ſupprimet, ſicut iuſſa eſt à primo die curret: nuſquam diuertet, nuſquam remorabitur, niſi occupas, fugit: cum occupaueris, tamen fugiet. Itaque cum celeritate temporis vtendi velocitate certandum eſt.

*Seneca in lib. de breu. vita.* *Aetas*

# *Aetas ſiue ſaeculum aureum.*

A Saturni temporibus, quæ illi vocant aurea, repetunt exempla iuſtitiæ. Et ideo non erant neque diſſenſiones, neque inimiciciæ, neque bella.

*Non dum veſanos rabies nudauerat enſes:*

vt Germanicus Cæſar in Aratæo loquitur carmine.

*Nec conſanguineis fuerat diſcordia nota:*

imò ne alienigenis quidem. ſed neque vlli omnino gladij, qui nudarentur, fuerunt. Quis enim præſente ac vigente Iuſtitia, aut de tutela ſui, cum nemo inſidiaretur, aut de pernicie alterius cogitaret, cũ nemo quicquam concupiſceret?

*Malebant tenui contenti viuere cultu,*

vt Cicero in ſuo narrat; quod eſt proprium noſtrę religionis.

*Ne ſignare quidem, aut partiri limite campum*

fas erat: in medium quærebant. quippe cùm Deus communem omnibus terram dediſſet, vt communem degerent vitam, non vt rabida & furens auaritia ſibi omnia vendicaret, nec vlli deeſſet, quod omnibus naſceretur. Quod Poetæ dictum ſic accipi oportet, nõ vt exiſtimemus nihil omnino tũ fuiſſe priuati, ſed more poetico figuratum, vt intelligamus, tam liberales fuiſſe homines, vt natas ſibi fruges non includerent, nec ſoli abſconditis incubarent, ſed pauperes ad communionem proprij laboris admitterent.

*Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant.*

Nec mirum, cum promptuaria iuſtorum benignè paterent omnibus, nec auaritia intercipiens beneficia diuina, famem, ſitimque vulgò faceret, ſed omnes æqualiter abundarent, cum habentes non habentibus largè copioſèque donarent.

*Lactantius de Iuſt. lib. 5. c. 5.*

Illo ergo ſæculo, quod aureum perhibetur penes Sapientes fuiſſe regnum Poſidonius iudicat. Hi continebant manus, & infirmiores à validioribus tuebantur. Suadebant, diſſuadebantque, & vtilia. atque inutilia monſtrabant. Horum prudentia, ne quid deeſſet

eſſet ſuis, prouidebat. Fortitudo arcebat pericula, beneficentia augebat, ornabatque ſubiectos: officium erat imperare non regnũ. Nemo quantũ poſſet aduerſus eos experiebatur, per quos cęperat poſſe. Nec erat cuiquã aut animus in iniuriam, aut cauſa: quum bene imperãti bene pareretur, nihil rex maius minari malè parentibus poſſet quam vt abirent è regno. Terra ipſa fertilior erat illaborata, & in vſus populorum non diripientium larga. quicquid natura protulerat, id non minùs inueniſſe, quàm inuentum monſtrare alteri, voluptas erat; nec aut vlli ſupereſſe poterat, aut deeſſe: inter concordes diuidebatur. Nondum valentior impoſuerat infirmiori manum; nondum auarus abſcondendo, quod ſibi iaceret, alium neceſſarijs quoque excluſerat. Pax erat alterius ac ſui cura. Arma ceſſabant, incruentæque humano ſanguine manus odium omne in feras verterant, illi, quos aliquod nemus denſum à Sole protexerat, qui aduerſus ſæuitiam hyemis, aut imbris, vili receptaculo tuti ſub fronde viuebant, placidas tranſigebant ſine ſuſpicione noctes. Solicitudo nos in noſtra purpura verſat, & acerrimis excitat ſtimulis: mollem ſomnum illis dura tellus dabat. Non impendebant cælata laquearia, ſed in aperto iacentes ſydera ſuperlabebantur, & inſigne ſpectaculum noctium, mundus in præceps agebatur ſilentio tantùm opus docens, tam inter diem illis, quàm noctem patebant proſpectus huius pulcherrimæ domus. Libebat intueri ſigna ex media Cœli parte vergentia, rurſus ex occulto alia ſurgentia. Non habebant domos inſtar vrbium. Spiritus ac liber inter aperta flatus, & leuis vmbra rupis, aut arboris, & perlucidi fontes, riuique non opère, nec fiſtula, nec vllo coacto itinere obſolefacti, ſed ſponte currentes, & prata ſine arte formoſa, inter hęc agreſte domicilium ruſtica poſitum manu.

*Seneca epiſt. 91.*

## *Aetas ferrea.*

SEd poſtquam Saturnus à filio pulſus, in Latiumq; delatus eſt.

*Ille malum virus ſerpentibus addidit atris*

prædati-

prædarique lupos iuſſit. id eſt odium & inuidiam, & dolum hominibus inſeuit; vt tam eſſent quàm ſerpentes venenati, tam rapaces quàm lupi. Tum belli rabies & amor ſucceſſit habendi: neque immeritò. ſublata enim Dei religione boni quoque ac mali ſcientiam perdiderunt. ſic hominibus intercidit communitas vitæ, & diremptum eſt fœdus ſocietatis humanæ. Tum inter ſe manus conſerere cœperunt, & inſidiari, & gloriam ſibi ex humano ſanguine comparare. Quorum omnium malorum fons cupiditas erat: quæ ſcilicet ex contemptu veræ maieſtatis erupit; non tantum enim non participabant alijs ij, quibus aliquid affluebat, ſed aliena quoque rapiebant, in priuatum lucrum trahentes omnia: & quæ antea in vſus hominum etiam ſinguli laborabant, in paucorum domos conferebantur. Vt enim ſeruitio cæteros ſubiugarent, in primis neceſſaria vitæ ſubducere, & colligere cœperunt; eaque firmiter concluſa ſeruare, vt beneficia cæleſtia facerent ſua; non propter humanitatem, quæ nulla in ipſis erat, ſed vt omnia cupiditatis & auaritiæ inſtrumenta corraderent: leges etiam ſub nomine iuſtitiæ iniquiſſimas, iniuſtiſſimaſque ſanxerunt, quibus rapinas & auaritiam ſuam contra vim multitudinis tuerentur. Tantum igitur auctoritate, quantum opibus prævalebant, & quoniam nullum in his veſtigium iuſtitiæ fuit, cuius officia ſunt humanitas, æquitas, miſericordia, iam ſuperba & tumida inæqualitate gaudebant, altioreſque ſe cæteris hominibus, ſatellitum comitatu, & ferro, & inſigni veſte faciebant. Hinc honores ſibi, & purpuras, & faſces inuenerunt, vt ſecurium gladiorumque terrore ſubnixi, quaſi iure dominorum perculſis, ac pauentibus imperarent.

*Lactantius de Iuſt. l. 5. c. 5. & 6.*

## *Aetatis ferreæ perditi mores.*

OMnia virtutis præmia malæ artes poſſident, & quo quis præ alijs eſt coopertus facinoribus, hoc amplius in ore hominum, & prædicatione verſatur, faciliuſque per honorum gradus ad ſummas quaſque dignitates aſcendit. Innocentia pro maleuo-

lentia

lentia ducitur, auaritia & ambitio plurimorum animos exercent: quarum illa fidem probitatem, virtuteſque reliquas ſubuertit, & pro ijs arrogantiam crudelitatẽ, diuina humanaque iura negligere, delubra ſpoliare, omnia vænalia habere, ſacra omnia polluere edocet: hæc falſos fieri ſubigit, & bono vultu peruerſum tegere ingenium, doliſque & fallacijs ad gloriam contendere. Qui plus vi & armis poteſt, huic leges obtemperant, periurium, perfidia, impudentia in religionis, fidei, pudoriſque locum ſucceſſerunt. Non ſe credere fidenter audet hoſpes hoſpiti: amicitiæ ſanctum & venerabile nomen intermiſſione officiorum vileſcit: diſſident capitalibus odijs etiam fratres, ſoceri generis, vxores maritis inſidias, & exitium parant: non venena modò ſparguntur, verum etiam ſicæ vibrantur. exorti ſunt demum, qui cælum ipſum petere, & Acheronta perrumpere aggrediantur. Hæc verè turpitudinis indignitatis, ſæuitiæ, maximorumque malorum plena ſunt: ſed illa profectò haud minus, quòd iam furtis, rapinis, ſacrilegijs viuitur. quod libidinum incendijs ſenectus etiam frigida exeſtuat, nefandiſque amoribus tam matronatum, quam virginum pudicitia paſſim violatur: quòd inuidia cor & oculos multorum corrodit ac depaſcit: quòd venter pro numine colitur: quòd bella tot iniuſta & impia ſuſcipiuntur. ciuilibusque diſcordijs tanta ciuitatibus detrimenta importantur: quod parentes à liberis deſpiciuntur: quòd tyrannorum, proditorum, latronum, parricidarum tanta eſt frequẽtia: quòd demũ omniũ ſcelerum maturitas adeò in hoc ipſum æuum irrupit.
*P. Pontanus vol. 3. p. 1. progym. 33.*

## *Aeternitas.*

QVid illa æternitas immenſæ, atque interminatæ vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio qualis eſt? Tempus certè quod perpetuas micantium ſiderum conuerſiones æquis paſſibus comitatur, fatetur ſe haud ſcire, quid ſit, aut vnde venerit, ſe labi, fluere, naſci, occidere, longam veluti catenam in hoc mortalitatis regno viciſſim remeando verſare, ſibi vni

incrementa damno eſſe, hanc verò intactam, illibatam ſemper anum, ſemper formoſam virginem, quæ nec iuuentutis fonte, nec argenteis Canathi fluuij vorticibus indigeat, quibus deterſa prioris æui fuligine, nouo gratiæ flore rubeſcat;Hinc illa perfecta,& ſtabilis,atque in eodem felicitatis veſtigio conſiſtens immutabilitas, quæ cum omnia per hanc rerum humanarum viciſſitudinem videat agi, volui, reuolui, & quaſi per eandem ſerram diuerſis motibus reciprocari, tota ſibi hæret ſine vllo ſui aut diſpendio, aut incremento. *P. Cauſinus de Eloq.lib.14.cap.1.*

# AERIA.

## *Aer.*

IPſe vero aer, qui natura eſt maximè frigidus, minimè eſt expers caloris. ille verò & multo quidem calore admixtus eſt: ipſe enim oritur ex reſpiratione aquarum. earum enim quaſi vapor quidam aer habendus eſt. *Et infra.*

Exinde mari finitimus aer die & nocte diſtinguitur: iſque tum fuſus & extenuatus in ſublime fertur, tum autem concretus in nubes cogitur,humoremq; colligens terram auget imbribus, tum effluens huc & illuc ventos efficit. idem annuas frigorum & calorum facit varietates,idemque & volatus alitum ſuſtinet, & ſpiritu ductus alit,& ſuſtentant animantes. *Et infra.*

Huic autem continens aer fertur ille quidem leuitate ſublimi, ſed tamen in omnes partes ſe ipſe fundit. itaque & mari continuatus, & iunctus eſt, & natura fertur ad cælum: cuius tenuitate & calore temperatus vitalem & ſalutarem ſpiritum præbet animantibus. *Cicero l.2 de nat. deor.*

Permeat ab æthere luc idiſſimo aer in terram vſq; diffuſus, agilior quidem tenuiorque,& altior terris, nec minus aquis: cæterum æthere ſpiſſior grauiorq; frigidus per ſe & obſcurus: lumen illi calorque aliunde ſunt, ſed per omne ſpatium ſui ſimilis non eſt, mutatur

mutatur enim à proximis. Summa pars eius eſt ſicciſſima calidiſſimaque, & ob hoc etiam tenuiſſima propter viciniam æternorum ignium, & illos tot motus ſiderum, aſſiduumque cæli circumactum. Ima pars & vicina terris denſa & caliginoſa eſt: quia terrenas exhalationes receptat. media pars temperatior, ſi ſummis imiſque conferas, quantum ad ſiccitatem tenuitatemque pertinet: cæterum vtraque parte frigidior. Nam ſuperiora eius calorem vicinorum ſiderum ſentiunt; inferiora quoque tepent, primum terrarum halitu, qui multum ſecum calidi affert, deinde quia radij ſolis replicantur, & quouſque redire potuerunt, replicato calore benignius fouent. media ergo pars aeris ab his ſummota in frigore ſuo manet: natura enim aeris gelida eſt. quia cum ſic diuiſus ſit, ima ſui parte maximè varius, & inconſtans, & mutabilis eſt. Circa terram plurimum agit, plurimum patitur: exagitat & exagitatur: nec tamen eodem modo totus afficitur, ſed aliter alibi, ac partibus inquietus eſt ac turbidus.

*Seneca Nat. quæſt. l. 2. c. 10.*

Namque & hoc cælum appellauere maiores, quod alio nomine aera: omne quod inani ſimile vitalem hunc ſpiritum fundit. Infra lunam hæc ſedes, multoque inferior, infinitum ex ſuperiore natura aeris, infinitum & terreni halitus miſcens, vtraque ſorte confunditur. hinc nubila tonitrua, & alia fulmina. hinc grandines, pruinæ imbres, procellæ, turbines. hinc plurima mortalium mala & rerum naturæ pugna ſecum. Terrena in cælum tendentia deprimit ſiderum vis: ea demque quæ ſponte non ſubeunt, ad ſe trahunt. Decidunt imbres, nebulæ ſubeunt, ſiccantur amnes, ruunt grandines, torrent radij, & terram in medium vndique impellunt. *Plinius l. 2. nat. hiſt. c. 38.*

Cælo ſuppoſuit aerem tenuiſſimè explicatum, cuius ſuperior regio ſalubris, atq; innocens libera ſemper eſſet à turbis, atque turbinibus; inferior mutationibus obnoxia modò amænitate ac luce blandiſſima rideret, modò cogeretur in nubes (nam hæc omnia artifex inſeruerat) modò tempeſtatibus ageretur, rigeret modò procellis, imbribuſque diffluerer, tonaret, fulguraret, mentita quoquè fulmina contorqueret. *P. Vinc. Guiniſ. alloc. 1.*

Aer

Aer mediocriter eſt calidus, ſummè humidus ſubtilis etiam, quod terræ & aquæ negatum eſt, facilè fugiens, agitabilis, alijſque ipſum coercentibus terminis opus habens. Quocirca inter cælum & terram medium ipſum maximus ille pater diffudit, vt ita muris firmiſſimis ſepiretur. Nec homines, nec animantes vllæ motu cierentur, nec reſpirarent ſine eo, cum eas ipſe ducto ſpiritu alat, ac ſuſtentet: ac ne locutionis quidem vſum ſine eius vſu haberemus. Ille cordis membrorumque aliorum æſtuantium feruorem moderatur, pellucidus, per quem oculi noſtri ſolis luce paſcuntur, cuius item radiorum vim vehementiorem humore ſuo naturali, caloreque ſubfrigido ea temperatione afficit, vt ijs citra moleſtiam perfruamur. locum omnem alio corpore vacuum implet, per cauernulas & rimas ſe ingerit, oculis ad cernendum, auribus ad audiendum, naribus ad odorandum inſeruit. Ad calorem & frigus, ad humorem & ſiccitatem excipiendam idoneus, ſponte ſua ſuperiora appetit vt ignis, at celeritate impari, quia leuitate poſterior. *P. Pontanus Vol. 3. par. 1. progym. 10.*

# NVBES, ET NEBVLA.

## *Nubes.*

Extra has cauſas non negauerim exiſtere imbres ventoſque quoniam humidam à terra alias verò propter vapores fumidam exhalare caliginem certum eſt. Nubeſque liquore egreſſo in ſublime, aut ex aere coacto in liquorem, gigni. Denſitas earum corpuſq; haud dubio coniectatur argumento, cum ſolem obumbrent. *Plinius l. 2. nat. hiſt. c. 42.*

Nubes eſt vberior exhalatio in medio aeriarum regionum frigoris vi coacta & compacta, caloreque interiore, quo euocata fuit, quique in ea remanſit, ſuſpenſa. Coeunt è diuerſis vaporibus, aliæ craſſioribus, aliæ tenuioribus, aliæ aridioribus, aliæ humentioribus: ex quo eſt, quod ſolis afflatæ radijs, quædam

nam albentes, quædam rubentes, quædam nigricãtes, quædam pallentes, quædam cæruleæ à nobis conſpiciuntur Rubor quidem pallorque rariore & ſicciore eas halitu conduplicatas indicat, ob id ſperanda ſerenitas. fuſcum, atrum, cæruleum terreno admodum & humido; proinde tum pluuias & procellas minantur. Dicam verbo: colores nubium ex vaporum conuectorum diſſimilitudine, & lumine radiato proficiſcuntur. *P. Pontanus vol. 3. par. 1. progym. 12.*

## *Nebula.*

TVnc interim minimè ventus eſt, cum aer nubilo grauis eſt. atqui tunc plurima corpora ſe in anguſtum contulere, & inde ſpiſſior nubium grauitas eſt. Adijce nunc quòd circa flumina & lacus frequens nebula eſt, arctatis, coniunctiſque corporibus, nec tamen ventus eſt. Interdum verò tanta caligo effunditur, vt conſpectum in vicino ſtantium eripiat: quòd non eueniret, niſi in paruum locum corpora ſe multa compellerent. Adijce nunc, quod è contrario venit, vt Sol matutinum aera ſpiſſum & humidum ortu ſuo tenuet, tunc ſurgit aura, cum datum eſt laxamentum corporibus, & ſtipatio illorum ac turba reſoluta eſt. *Seneca l. 5. nat. q. c. 3.*

Nebula erat ad multum diei denſa adeo, vt lucis vſum eriperet, non proſpectu modò extra vallum adempto, ſed propinquo etiam congredientium inter ſe conſpectu. hac velut latebra inſidiarum freti Samnites, vix dum ſatis certa luce, & eam ipſam premente caligine ad ſtationem Romanam perueniunt. *Liuius decade p. lib. 10.*

Nebularum eadem eſt materies quæ roris, quæ pruinæ, quæ nubium, ſic porrò generantur. Vapor ab aquis terriſue matutino, aut veſpertino crepuſculo ſolis calore redditur. is vel quia grauior, vel quia non ita calidus, ſuperare hoc infimum ſpatium aerium non poteſt, quod ipſum aera caligine inuoluit. Quod ſi feruore ſolis diſcuſſæ perierint nebulæ, diem fore ſudum indicabunt, quoniam ſcilicet earum tenuitas creandis nubibus pluuiaſtibus haud ſuffecit. Sin eodem calore ſolis ſublimius cuehentur, & in nubes

extruerentur, pluuiam denuntiabunt ob humoris abundantiam. In magna item cæli temperatione, & per ſerenitatem exoriuntur. Nam ſi gelidus ſit aer, terras alligabit, vt exhalationi opportunæ exitus nullus pateat. Si in temperanter calidus, eandem conficiet, atque hoc eſt, quod ait Plinius, nec æſtate, nec maximo frigore nebulas exiſtere.

*P. Pontanus vol. 3. par. 2. progymn. 14.*

# VENTI.

SVnt quædam genera ventorum, quæ ruptæ nubes, & in pronum ſolutæ præmittunt. Cum enim magna inæqualitas ac diſſimilitudo corporum, quæ vapor terrenus emittit, in ſublime eat, & alia ex his corporibus ſicca ſint, alia humida: ex tanta diſcordia corporum inter ſe pugnantium, cum in vnum conglobata ſunt, veriſimile eſt quaſdam cauas effici nubes, & interualla inter illas relinqui fiſtuloſa, & in modum tibiæ anguſta. His interuallis tenuis includitur ſpiritus, qui maius deſiderat ſpatium, cum euerberatus curſu parum libero incaluit: & ob hoc amplior ſit, ſcinditq; cingentia, & erumpit in ventum, qui fere procelloſus eſt, quia ſupernè demittitur, & in nos cadit vehemēs & aer, quia nō fuſus, nec per apertum venit, ſed laborat, & iter ſibi vi ac pugna parat. hic fere breuis flatus eſt: quia receptacula nubium, per quæ ferebatur, ac munimenta perumpit, ideo tumultuoſus venit aliquando, non ſine igne ac ſono. Hi venti multo maiores diuturnioreſque ſunt, ſi alios quoque flatus ex eadem cauſa ruentes in ſe abſtulere, & in vnum confluxere plures: vbi enim ſociauere vires, & ex pluribus cæli partibus eliſus ſpiritus eodem se contulit, & impetus illis accedit & mora.

*Et infra.*

Non enim ex vna cauſa ventos Prouidentia inuenit, aut per diuerſa diſpoſuit: ſed primum vt aera non ſinerent pigreſcere, ſed aſſidua vexatione vtilem redderent, vitalemque tracturis, deinde vt imbres terris ſubminiſtrarent, idemque nimios cōpeſcerent. fruges percipi non poſſent, niſi flatu ſuperuacua ad-

mixta ſeruandis ventilarentur: niſi eſſet quod ſegetem excitaret, & latentem frugem velamentis ſuis quæ folliculos agricolæ vocant, adaperiret.

*Seneca l. 5. nat. quæſt. c. 18.*

Sed plurimum intereſt flatus ſit an ventus. illos ſtatos atque perſpirantes, quos non tractus aliquis, verum terræ ſentiunt. qui non aura, non procella maris, ſed appellatione ipsa venti ſunt: qui ſiue aſſiduo mundi incitu, & contrario ſiderum occurſu naſcuntur, ſiue hic eſt ille generabilis rerum naturæ ſpiritus, huc illucque tamquam in vtero aliquò vagus, ſiue diſparili errantium ſiderum ictu, radiorumque multiformi iactu flagellatus aer, ſiue à ſuis ſideribus exeunt his propioribus, ſiue ab illis cælo affixis cadunt palam eſt illud quoque legem naturæ habere non ignotam, etiamſi nondum percognitam.

*Plin. l. 2. natur. hiſt. c. 45.*

Tenuis res Ventus, at non tenuis gloria eiusdem tenere ſcientiam. Anaximander ventum cenſuit aerem fluidum, ſubtiliſſimis eius humidiſque partibus à ſole citatis, aut illiquefactis. Stoici omnem flatum aereum eſſe fluxum pro varietate locorum variè appellatum, Metrodorus humido expiramento à Sole efferuefacto flatus impetum cieri. Seneca aerem fluentem in aliquam mundi partem Vitruuius aeris fluentem vndam cum incerta motus redundantia, Ariſtoteles terreni halitus copiam, quæ circum terras agitetur. Cum ergo ſuopte nutu exhalatio illa feruidum & aridum intra naturam ſuam cohibens, ad aerem medium, ſeu ſuperiora enitatur, ab aere frigidiore ac denſiore intercipitur; quia verò nec aſcendere amplius poteſt, nec ob nouos halitus identidem ſurſum nitentes deſcendere, in tranſuerſum per infimam regionem retorquetur, conſurgitque flatus aut pro materiæ affluentia, aut pro antiperiſtaſi vel lenior, vel turbulentior.

*P. Pontanus vol. 3. p. 1. progymn. 13.*

Etenim hanc Ventis natalium originem natura indulſit: vt laceſſente Sole aquarum, terrarumque ſpirabilis vapor in altiora nubium receptacula confluat, vbi coaceruatus, & incremento caloris amplior factus, nec ſe anguſtiis faucibus continens, refractis obſidentium corporum quaſi carceribus, in nouam

Vento-

Ventorum ſobolem erumpat; quæ patria multiplex, natura diſſimilis, curſu violenta, ſpiritu pertinax, non ſine concuſſu circumfuſi aeris, conflictu aquarum fluctuantium ſiccitate atque humore terrarum, ſerenitatis, imbriumque viciſſitudines, per certa locorum ac temporum interualla definiat. Leuis igitur terræ fœtus eſt, qui parentis grauem ſinum paulum decliuat vt eam beneficia fœnerantem conuectis Pluuiæ alimentis grata remuneratione reficiat.

*Eu. lib. orat. de S. Spir. Aduentu Orat.* 16.

## *Ventus vehementiſſimus.*

SI verò flatus depreſſo ſinu arctius rotati nubem effregerint, ſine igne hoc eſt fulmine, vorticem faciunt, qui Typhon vocatur. defert hic ſecum aliquid abruptum è nube gelida conuoluens, verſanſq; & ruinam ſuam illo pondere aggrauans, & locum ex loco mutans rapida vertigine, præcipua nauigantium peſtis, non antennas modò, verùm ipſa nauigia contorta frangens. idem illiſu ipſo repercuſſus correpta ſecum in cælum refert, ſorbetque in excelſum.

*Plinius l. 2. natur. hiſt. c.* 48.

Enimuerò autumni maximè tempore perflare illa maria furioſiſſimum quendam ventum (Typhonem indigenæ appellant) tanto impetu ac rabie, quantam qui oculis non ſubiecerint, animo concipere non poſſint. Quippe quamuis ingentes ac validas naues immenſis fluctibus verberatas laxatis compagibus labefactari, diſſoluique, nullis neque proræ, neque puppis munimentis tantum impetum ſuſtinentibus. fractis inſuper antennis, gubernaculis, alijſque armamentis abreptis, nauigia in vltimum venire diſcrimen: ac ſæpe plus nimio exæſtuante Oceano, aut gurgitibus hauſtas, aut afflictas ſcopulis miſere interire. Tantopere autem venti illius aut furiæ potius nomen horreri, vt gubernatoribus ac nautis quamuis peritis & audacibus Iaponicum iter non laborioſum magis quàm formidoloſum ſit impotenti vi maris artem & conſilium ſuperante.

*P. Turſellinus in vita S. Franc. Xauerij l.* 3. *c.* 16.

Aſſeuerant

Aſſeuerant pro miraculo haberi, ſi quis Typhonis violentiam effugiat, præſertim vero ſi totam noctem ſæuire perſeuerauerit: itaque in tali re nautas, deſperata ſalute corporis, ad vota prius, quàm ad armamenta, ad expianda peccata, quàm ad humana remedia ſolere conuerti: quippe non modò vela vis venti dilacerat, diffringitque malos, & quidquid extat ex aqua diſſoluit, ſed etiam ipſa nauigia (præſertim ſi minus onuſta ſint) arrepta & in terras vſque longo tractu contorta affigere dicitur. occupat autem ventus hic marium quidquid eſt Malacam inter & Iaponem, frequens à menſe Maio vſque ad Septembrem, quo maximè anni tempore hæc maria nauigantur. P. *Maffeius in Epiſt. Indicis l.4.*

## *Ventus tempeſtatem in mari commouens.*

IAmque variante ſæpius cælo, pelagoque, atræ, ac ſordidæ nubes ad Septentrionem conglobatæ omnem in ſe flatum quaſi reciprocando collegerant; mare languidum erat, inſidioſa tranquillitas: nautæ locorum ac tempeſtatum ignari ad auram vndique captandam totos velorum expanderant ſinus: cum ex iis quas dixi nubibus vniuerſo repente impetu ſe ſe effundens Aquilo, tranſuerſas quatuor naues, quarum ad contrahendum minus aptè fuerant armamenta diſpoſita, inſpectantibus cæteris, momento ita euertit, obruitque, vt è tanto hominum numero nemo prorſus euaſerit, *P. Maffeius hiſt. Indic. libro ſecundo.*

## *Ventus tempeſtatem in terra concitans.*

TRanſeuntem Apenninum adeò atrox tempeſtas adorta eſt, vt alpium fœditatem prope ſuperauerit. Vento mixtus imber cum ferretur in ipſa ora, primum quia aut arma omittenda erant,

tur contra enitentes vortice intorti affligebantur, conſiſtere. deinde cum iam ſpiritum intercluderet, nec reciprocare animam ſineret, auerſi à vento parum per conſedere. Tum verò ingenti ſono cælum ſtrepere, & inter horrendos fragores, micare ignes. capti auribus & oculis metu omnes torpere. Tandem effuſo imbre cum eo magis accenſa vis venti eſſet, ipſo illo, quo deprehenſi erant, loco caſtra ponere neceſſarium viſum eſt. Id verò laboris velut de integro initium fuit: nam nec explicare quidquam, nec ſtatuere poterant: nec quod ſtatutum eſſet manebat, omnia perſcindente vento. & rapiente. & mox aqua leuata vento cum ſuper gelida montium cacumina concreta eſſet, tantum niuoſæ grandinis deiecit vt omnibus omiſſis procumberent homines, tegminibus ſuis magis obruti quam tecti. tantaque vis frigoris, inſecuta eſt, vt ex illa miſerabili hominum iumentorumque ſtrage, cum ſe quiſque attollere ac leuare vellet, diu nequiret: quia torpentibus rigore neruis vix flectere artus poterant. *Liuius decade 3. l. 1.*

Neque imbre tantum effuſo, dein creberrima grandine obruti ſunt cum ingenti fragore cæli tonitribuſque, & fulgoribus præſtinguentibus aciem oculorum: ſed fulmina etiam ſic vndique micabant, vt peti viderentur corpora: nec ſolum milites, ſed etiam principes icti caderent itaque cum præcipiti fuga per rupes præaltas improuidi ſternerentur, ruerentque, inſtabant perculſis Thraces, ſed ipſi Deos auctores fugæ eſſe, cælumque in ſe ruere aiebant. *Liuius decade 4. lib. 10.*

# TEMPESTAS.

MEdia nox erat, cum claſſem paratam circumire vrbem iubet: iamque naues vrbi vndique admouebantur, & Tyrij deſperatione torpebant; cum ſubito ſpiſſæ nubes intendere ſe cælo, & quicquid lucis intermittebat effuſa caligine extinctum eſt. Tum inhorreſcens mare paulatim leuari, deinde acriori vento concitatum fluctus ciere, & inter ſe nauigia collidere: iamque ſcindi cæperant vincula,

quibus connexæ quadriremes erant, ruereque tabulata, & cum ingenti fragore in profundum ſecum milites trahere; neque enim conferta nauigia vlla ope in turbido regi poterant. Milites miniſteria nautarum, remiges militum officia turbabant, & quod in huiuſmodi caſu accidit, periti ignaris parebant: quippe gubernatores alias imperare ſoliti, tum metu mortis iuſſa exequebantur. Tandem remis pertinacius euerberatum mare, veluti eripientibus nauigia claſſicis ceſſit, appulſaque ſunt littori lacerata pleraq; *Q. Curtius l. 4.*

Tertio die ab omni parte cæli emicare fulgura, & nunc internitente luce, nunc condita, non oculos modò meantis exercitus, ſed etiam animos terrere cœperunt. Erat prope continuus cæli fragor, & paſſim cadentium fulminum ſpecies viſebatur, attonitiſq; auribus ſtupens agmen nec progredi, nec conſidere audebat. Tum repente imber grandinem incutiens torrentis modo effunditur. Ac primò quidem armis ſuis tecti exceperant: ſed iam nec retinere arma lubricæ & rigentes manus poterant, nec ipſi deſtinare in quam regionem obuerterent corpora, cum vndiq; tempeſtatis violentia maior quàm vitabatur occurreret. Ergò ordinibus ſolutis per totum ſaltum errabundum agmen ferebatur, multique prius metu quàm labore defatigati proſtrauerant humi corpora, quamquam imbrem vis frigoris concreto gelu aſtrinxerat. *Q. Curtius lib. 8.*

Ac primò placidum æquor mille nauium remis ſtrepere, aut velis impelli: mox atro nubium globo effuſa grando, ſimul varijs vndique procellis incerti fluctus proſpectum adimere, regimen impedire: mileſque pauidus & caſuum maris ignarus, dum turbat nautas vel intempeſtiuè iuuat, officia prudentium corrumpebat. omne dehinc cælum, & mare omne in auſtrum ceſſit, qui tumidis Germaniæ terris, profundis amnibus, immenſo nubium tractu validus, & rigore vicini ſeptentrionis horridior rapuit diſiecitq; naues in aperta Oceani, aut inſulas ſaxis abruptas, vel per occulta vada infeſtas. quibus paulùm ægrèque vitatis, poſtquam mutabat æſtus, eodemquò ventus ferebat; non adhærere anchoris, non exhaurire irrum-

pentes vadas poterant, equi iumenta, ſarcinæ etiam arma præcipitantur. *Tacitus l. 2. annal.*

Inde leni flatu prouectis circa bonæ Spei promõtorium vehemens ab occaſu obſtitit ventus, idque cum fulgetris, & cæli fragore, tetraque ac minaci nubium vi. Tum inhorreſcens mare paulatim attolli, maioreſque in ſingula momenta ciere fluctus. Cum in aduerſum obnitendi remigio deſtitutis nulla eſſet ratio, paulisper addubitatum à nautis, vtrum demiſſis antennis in ſalo tranſitum tempeſtatis expectarent. verum Oceano magis magisque ſæuiente perterriti, ſimul propter anni tempus abiecta ſuperandi promontorij ſpe, retro in Indiam pari conſenſu vela dare conſtituunt. Sed ne id quidem ex voto ſucceſſit, adeo violenti ac repentini flatus ab oriente, diuerſisque coorti plagis quaſſatæ iam nauis in perniciem conſpirauerant. Horum impetu vela primùm diſciſſa: malus deinde, gubernaculum, fruſtra fluctus enitante magiſtro, diffringitur. præterea coſtis immodica iactatione conuulſis multo plus accipiebatur vndæ, quàm vt exhauriri, aut egeri ſumma turbæ naualis contentione, & induſtria poſſet. Neque præcipitata leuandæ naui bona onerum pars auertebat exitium. per hunc modum ſpoliati armamentis, obuerſante perpetua mortis imagine, dies aliquot in alto iactati, poſtremò vrgentibus à meridie ventis, certum ad naufragium ad terram appelluntur, &c. Ad teli ergo miſſum iactæ ab vtraque parte anchoræ. Soſa ante alios cum vxore liberiſque, & primarijs aliquot, raptim elata pecunia gemmiſque tranſuecti haud ſine ingenti, periculo: vſque adeo immanes toto littore moles aquarum illiſu reciproco frangebantur, neque idem effugium cæteræ multitudini patuit; ſcaphis poſt vnum alterumue traiectum in dorſuoſa breuia impactis, & comminutis. Eodem fere temporis articulo anchorarius funis in Auſtrum obuerſus, quamquam valido nexu & craſſitudine rumpitur. *P. Maffeius hiſt. Indic. l. 16.*

Sed cum ſæpius iuſſus proceſſiſſem in altum, primùm auræ inter ſe pugnantes nos alternis rapuerunt in auerſos & contrarios curſus: deſtituerunt deinde ſimul omnes eluſum nauigium; Ego in tam ſubita pace acrius, vt oportuit, timens, comites cœpi hortari

vt

vt remis eluctarentur pigritiam maris. Quippe illi ſereno proximum malum eſſe. In Siciliam igitur, quam vicinam fors dederat, ratem appellerent. At ille qui nauigium conduxerat, negat ſibi placere Siciliam, ſtringitque demum enſem, reciſurus manus illius, qui in eam primus partem remum egiſſet. inter has cunctationes dies abſumptus eſt. & mox luna igneis cornibus ventum exciuit. Tum verò non per gradus, vt ſolet, tempeſtas intumuit; Sed direptus ſubito aer ita miſcuit maria, vt iam à principio mihi artem eriperet Verſabamur incerti quid exigeret ventus, mediam nauem aduerſis complexus turbinibus. In his malis cum exacta nox eſſet, dieſque afferret triſtiora, capillos deponimus nihil profutura religione. Ecce enim improuiſo exitio hæſimus deprehenſi in breuibus; Cumulauerat arenam vis procellæ, proramque tenebat. Iam tabulata ſoluebantur, & nos vt cunque remis & contis tendebamus in puppim, cum ille cui operam locaueram, cum libe[r]to ſuo, duobuſque qui proximi erant, nautis, in ſcapham deſcendit, & fune præciſo, haud dubio naufragio ſe permiſit. *Ioannes Barclains Argen. l. 2.*

Nox media vertebatur, cum à montibus ventus exortus eſt, qui inter nauium funes erectos ad malum, primùm quidem ſibilo ludens, mox ſuſpenſum mare extulit; adductiſque nubibus abſtulit cælum. Turbabantur ſubita feſtinatione nautarum officia, ſimul inter ſe clamore ſublato, ſimul vndis fracto ſtrepitu nondum vacuas aures repetentibus. Excitatus Gobryas erat, & ex gubernatoris vultu admonebatur non vulgare eſſe periculum. Quiſque ergo monere audebat, quiſque præcipere; vt pene tumultus ignarorum nauticæ artis non minore periculo creſceret, quam tempeſtatis feruor. Atri fluctus, aut eruto liuentes ſabulo, inter noctis horrorem cerni non poterant; niſi cum ingenti fragore illiſi velut accenſam mutuo verbere aquam inſtar ſcintillarum, mittebant in altum, rurſuſque ſorbebant. Solus ille ſpumæ attritus micabat in tenebris, qui ſæpè ominoſo impetu ſuperans obiecta latera in medio fulgebat nauigio. Inuta anchorarum mora erat; quia ſpatium nauibus negabant quo aliquid indulgerent incumbentibus ventis, Alius deinde timor vrgebat,

ne, ſi vincula deeſſet, inter ſe implicatæ triremes frãgerentur. Tandem omne conſilium naturarum tempeſtas peruertit. *Barclaius Argen. l. 4.*

In altum longius prouecti, vident coire paulatim nubes, tonare cælum, micare ignes, ruere noctem. Præliantur vtrimque venti, ſurgunt vndæ, crebriſque fluctibus nauem oppugnant. ergo ad officium trepidi diſcurrunt nautæ, vt vela tempeſtati ſubducant. Alij clamare & manus tendere, alij vota ſignare, ſi portum incolumes tenuiſſent: omnes orare ſcelerum veniam vitæque mutationem ſpondere. *P. Bidermanus Acroam. Acad. l. 3. acro. 2. num. 22.*

Cum iam in altum prouecta eſſet nauis, nec vllæ terræ apparerent, ſed vndique pontus, & cælum vndique, repentinò auditi flatus horriſoni, nigreſcere, & condenſari nubes, ſolis aſpectus adimi, tenebris conduplicatis inhorrere omnia, vt cæca quadam nocte obſeſſi oppreſſique videremur. Cælum tonitribus dat mugitus ingentes, concurſu conflictuque nubium fulgura & fulgetræ ingeminant, atque in illa caligine opaca lucem nobis præbent. Quid plura? imbres denſiſſimi, & grandinem horridam deorſum, venti glomerabant, qui ad concitandum æquor ſic incubuerant, vt illud ab imis ſedibus euerſuros putares. Totum cælum in mare deſcendere, omniaque inter ſe elementa permiſceri atque confundi cerneres. Neptunum ipſum, vndis vſque ad fundum æſtuantibus, ſenſiſſe hanc tempeſtatem arbitror. Nam quaſi prædam in medio nacti certabant, luctabanturque inter ſe venti, fluctus ad ſydera tollebant, & cum iiſdem nauim, quæ ſtatim, dehiſcente vnda, ad manes vſque deprimebatur. Itaque nunc tanquam è ſublimi monte valles depreſſas, & Plutonia regna deſpicere: nunc velut ex inferis, cælum ſuſpicere nos exiſtimabamus. *Et infra.*

Quid amplius? aquarum montes voluebantur, quocunque aſpiceres, creſcebatque magis ſemper ac magis tempeſtas, nec ſecus, quam arietibus & baliſtis oppidorum muri, decumanis fluctibus terribili cum ſonitu nauis latera feriebantur. Inde ſubſcudibus reuulſis, & laxatis compagibus per rimas via vndis in nauim præbebatur, quas egerere hauſtris, & ſitulis fruſtra nitebamur. Si quid Rector præcipe-

ret

get nantis, quamuis clamore acutiſſimo propter procellæ fremitum crepitumque vox nulla ad aures perueniebat. Quod autem quiſque factu neceſſarium iudicabat,id properabat, vt poterat: vt munire nauim, commiſſuraſque ferruminare, & ſtipare muſci coma, rudentes colligere, vela cum antennis demittere. Attamen erat omni ipſorum conatu potentior calamitatis moles. Vnde fracto iam malo, fracto gubernaculo, coſtis & ſtaminibus diuulſis, remis abruptis, naui in aliquot partes dilacerata, pars vna cum viris ante oculos noſtros ſubmerſa, pars altera per fretum diſiecta,& neſcio quas in oras delata eſt: nos Deûm adiuti clementia, tabulis arreptis ſimul ad vos deuenimus.

*I. Pontanus vol. 3. par. 2. progymn. 35.*

Cæterum immutata repentè maris fides,in anchoris actuariam tenere compulit; nec retrò, nec prorsùm,velificandi libertate conceſſa,tempeſtatum culpa. Nam præter diſturbatum procellis aerem, & furentium Auſtrorum violentiam, ex obliquo pelagus miſcentem; etiam nubes, æſtiuis incenſæ caloribus, inter ſe ſe collidebantur: creberrimoque ruptæ tonitru, fragoribus aures noſtras; tumultu Pontum ac Cælum; fulgurum flammis oculos; ignium iactu proxima littorum; & pauore palpitantia corda verberabant. Inſuper etiam tenebris ſuppreſſus diei nitor,nocte præpoſtera nautarum miniſteria ſuſpenderat,nulla regendæ nauis neque ſpe relicta,neque modo,vel adiumento. dixiſſes,in antiquum omnia reuoluta chaos: quodamque mox veluti cataclyſmo ſuperfundi.Nam etiam, nequid ad malorum cumulum deeſſet, præcipiti ruina fracta nubila (cum procella quam Ecnephiam dicunt,nimbos impelleret) improbis imbribus deſcendebant, & aſſiduo caſu labentia, mari veteri maria noua videbantur affundere. cum interim & ab anchoris, ancipiti fide pendens, nauigium noſtrum fluctuaret; in momenta ſingula ruptis rudentibus: & ſæuo tot fluctuum agitatu, ſaxis littoralib us celox impingeretur. Syluę quoque, propinquis prætentæ littoribus, mari magis ad horrorem, quàm ad ſubſidium periclitantium, incumbebant; non frangendis ventorum incurſibus, quàm augendo terrori,validiores: inſano mugitu tot millibus

bus arborum inter ſe ſe colliſis; & ramorum fremi-
tu longè, latèque tumultuante.

*B. Ioan. Biſſelius Argon. Americ. l. 3. num. 6.*

## *Diluuium.*

SEd monet me locus, vt quæram, cum fatalis dies diluuij venerit, quemadmodum magna pars terrarum vndis obruatur. vtrum Oceani viribus fiat, & exterum in nos pelagus exurgat, an crebri ſine intermiſſione imbres, & eliſa æſtate hyems pertinax immenſam vim aquarum ruptis nubibus deijciat. An flumina tellus largius fundat, aperiatque fontes nouos: aut non ſit vna tanto malo cauſa, ſed omnis ratio conſentiat, & ſimul imbres cadant, flumina increſcant, maria ſedibus ſuis excita percurrant, & omnia vno agmine ad exitium humani generis incumbant. Ita eſt: nihil difficile eſt naturæ vtique vbi in finem ſui properat. Primò immodici cadunt imbres, & ſine vllis ſolibus triſte nubilo cælum eſt. Nebulaque continua, & ex humido ſpiſſaque caligine, nunquam exiccantibus ventis. Inde vitium ſatis eſt, ſegetum ſine fruge ſurgentium marcor. Tunc corruptis quæ ſeruntur manu, paluſtris omnibus campis herba ſuccreſcit, mox iniuriam & validiora ſenſere. Solutis quippe radicibus, arbuſta procumbunt, & vitis atque omne virgultum non tenetur ſolo, quod molle fluidumque eſt: iam nec gramina aut pabula læta aquis ſuſtinent fame laboratur, & manus ad antiqua alimenta porrigitur, qua ilex & quercus excutitur, & quæcunque in his arduis arbor commiſſura aſtricta lapidum ſtetit, labaſcit. Madent tecta, & imum vſque receptis aquis fundamenta deſidunt, ac tota humus ſtagnat, fruſtra titubantium fulcra tentantur. Omne enim firmamentum in lubrico figitur, & lutoſa humo nihil ſtabile eſt. Poſtquam magis magiſque nimbi ingruunt, & congeſtę ſæculis tabuerunt niues, deuolutus torrens altiſſimis montibus rapit ſyluas male hærentes, & ſaxa reuolutis remiſſa compagibus rotat. Abluit villas, & intermixtos ouium greges deuehit, vulſiſque minoribus tectis quæ in tranſitu obduxit,

tandem maiora violentus oberrat. Vrbes & implicitos trahit mænibus ſuis populos ruinam an naufragium querantur incertos, adeo ſimul, & quod opprimeret, & quod mergeret, venit. Auctus deinde proceſſu aliquo in ſe torrentibus raptis plana paſſim populatur. Nouiſſimè ruina magna gentium clarus onuſtuſque diffunditur Flumina verò ſuapte natura vaſta, & tempeſtatibus rapta alueos relinquunt. Quid tu eſſe Rhodanū, quid putas Rhenum atque Danubiū, quibus torrens etiam in canali ſuo curſus eſt, cum ſuperfuſi nouas ſibi fecere ripas, ac ſciſſa humo ſimul exceſſere alueo.? Quanta cū pręcipitatione voluūtur, vbi per cāpeſtria fluens Rhenus, ne ſpatio quidē languidus, ſed latiſſimè velut per anguſtum aquas implet? cumque Danubius non iam radices, nec media montium ſtringit, ſed iuga ipſa ſollicitat, ferens ſecum labefacta montium latera, rupeſque deiectas, & magnarum ptomontoria regionum, quæ fundamentis laborantibus ambeſa corruerunt. Deinde non inueniens exitum, omnia enim ſibi ipſe præcluſerat, in orbem redit; ingentem terrarū ambitum atque vrbiū vno vortice inuoluit. Interim permanent imbres, fit cælum grauius, ac ſic diu malum ex malo colligit. Quod olim fuerat nubilum, nox eſt, & quidem horrida & terribilis intercuſſu luminis diri: crebra enim micant fulmina. procellę quatiunt marę, tunc primum auctum fluminum acceſſu, & ſibi anguſtum: iam promouet littus, non continetur ſuis finibus, ſed prohibent exire torrentes, aguntque fluctus retro: pars tamen maior, vt maligno oſtio retenta, reſtagnat, & agros in formam vnius lacus redigit. Iam omnia quæ proſpici poſſunt, aquis obſidentur. Omnis tumultus ibi profundo latet, & immenſa vbique altitudo eſt, tantum in ſummis montium iugis vada ſunt. In ea excelſiſſima cum liberis coniugibuſque fugere, actis ante ſe gregibus: diremptum inter miſeros commercium ac tranſitus, quoniam quicquid ſubmiſſius erat, id vnda compleuit. editiſſimis quibuſque adhærebant reliquiæ generis humani, quibus in extrema perductis, hoc vnum ſolatio fuit, quod tranſierat in ſtuporem metus, non vacabat timere mirantibus, ne dolor quidem habebat locum. Quippe vim ſuam perdit in eo, qui vltra ſenſum mali miſer eſt. Ergo inſu-

arum modo eminent montes, & ſparſas Cycladas augent, vt ait ille Poetarum ingenioſiſſimus egregiè, ſicut illud pro magnitudine rei dixit.

*Omnia pontus erat, deerant quoque littora ponto.*

*Seneca l. 3. nat. quaſt. c. 27.*

# PLVVIA, ROS, NIX, GRANDO.

## *Pluuia.*

EST autem pluuia, vt magiſtri meteorologici definiunt, fluxio nubis humidæ, feruore ſolis penetrantis in aquæ guttas colliquefactæ. Nam caloris ea vis eſt, vt humentia diſſoluat, Cum enim in mediam partem aeris humidi, calidique vapores emicuerint, reperto ibi frigore in nubem ſe induunt, atque inde deſuper ſole inſtantè acriterque feriente, aqua ſicut è ſpongia compreſſa diſtillare incipit, Ac pro ratione quidem vaporis è quo confecta eſt nubes, & efficientia caloris in eam agentis, diuerſæ pluuiarum formæ concipiuntur. Tenuis illa pluuia guttulis minutiſſimis, fit propter vaporem rariorem: vti pluuiæ & nimbi propter ſpiſſiorem. Subſtillum eſt, cum ſtillis raris iam iam ventura pluuia ſignificatur. Aquilone flante, & ſuum cælum obtinente minutæ deſcendunt pluuiæ: Auſtro imber cadit improbior, & guttæ pleniores.

*P. Pontanus vol. 3. par. 1. progymn. 14.*

## *Ros.*

ROrem noctis conſtare vapore ſubtili & humecto, qui quoniam ob caloris exiguitatem altius euadere nonquit, in aere terris propinquiore ſubſidit, modoque frigore nocturno ad aquam redactus, paruulis guttis non ſentientibus nobis primo diluculo

deorſum

deorſum ruens, aſpergimibus leuioribus tamquam gemmulis herbas aliaſque res madefacit. Locum eius eſſe regionem nobis vicinam argumento eſt, quod excelſi montes, & ſublimia ædificia non irrorantur. Gignitur ſerenis noctibus, aere inter frigus caloremque temperato: in locis item calidioribus, & Auſtro inprimis ſpirante: quæ omnia ad eum liquandum tenuandumque proficiunt. *Idem ibidem*

## *Nix.*

NIx quæ videtur tanquam ſpuma aquarum ſublimium, pluuiæque velut germana ſoror, tum oritur, cum nubes edendæ pluuiæ præparata priuſquam in guttas abeat, calore vaneſcente, à frigore circmſtante molliter cogitur ſeu congelatur, ventorumque frigidorum impulſu in flocculos diremta terras petit: qui flocculi, quaſi pluuiales guttæ numerandæ ſunt, quas vtique energia frigoris tam candidas efficit: qua de cauſa quamuis aquam conglaciantem non rigere modò, verum etiam albere videmus. *Idem ibidem.*

## *Grando.*

GRando, conglaciatus imber modo ferè pari & ex eadem materia conflatur, ex qua niues: cum nimirum nubis liquefactę iam decidentes guttæ aerio frigore dureſcunt. Rotunda eſt: quod omne ſtillicidium conglomeratur. Id etiam apparet in ſpeculis, quæ humorem halitu colligunt, & in poculis ſparſis, aliaque omni leuitate: nam & in herbarum vel arborum folijs, ſi quæ guttę adhæſerunt, in rotundum iacent. Excauatio ipſa à guttis facta rotunda eſt: ex quo liquet, huic quoque ſimile eſſe quod cauat: locum enim ſibi ad formam & habitum ſuum exſculpit Poteſt deinde cum defertur corrotundari, & toties per ſpatium aeris denſi deuoluta, æquabilitę atque in orbem teri Grandinat ſæpius vere & autumno, quam hyeme & æſtate. Quia æſtate non eſt copia vaporis, quæ quidē eſt apta grandini materia: propter

extruerur, pluuiam denuntiabunt ob humoris abundantiam. In magna itèm cæli temperatione, & per ſerenitatem exoriuntur. Nam ſi gelidus ſit aer, terſas alligabit, vt exhalationi opportunæ exitus nullus pateat. Si intemperanter calidus, eandem confici et. atque hoc eſt, quod ait Plinius, nec æſtate, nec maximo frigore nebulas exiſtere.

*P. Pontanus vol. 3. par. 1. progymn. 14.*

# VENTI.

SVnt quædam genera ventorum, quæ ruptæ nubes, & in pronum ſolutæ præmittunt. Cum enim magna inæqualitas ac diſſimilitudo corporum, quæ vapor terrenus emittit, in ſublime eat, & alia ex his corporibus ſicca ſint, alia humida: ex tanta diſcordia corporum inter ſe pugnantium, cum in vnum conglobata ſunt; veriſimile eſt quaſdam cauas effici nubes, & interualla inter illas relinqui fiſtuloſa, & in modum tibiæ anguſta. His interuallis tenuis includitur ſpiritus, qui maius deſiderat ſpatium, cum euerberatus curſu parum libero incaluit: & ob hoc amplior fit, ſcinditq; eingentia, & erumpit in ventum, qui fere proceſſoſus eſt, quia ſupernè demittitur, & in nos cadit vehemẽs & acer, quia nõ fuſus, nec per apertum venit, ſed laborat, & iter ſibi vi ac pugna parat. hic fere breuis flatus eſt: quia receptacula nubium, per quæ ferebatur, ac munimenta perumpit, ideo tumultuoſus venit aliquando, non ſine igne ac ſono. Hi venti multo maiores diuturnioreſque ſunt, ſi alios quoque flatus ex eadem cauſa ruentes in ſe abſtulere, & in vnum conſluxere plures: vbi enim ſociauere vires, & ex pluribus cæli partibus eliſus ſpiritus eodem se contulit, & impetus illis accedit & mora.

*Et infra.*

Non enim ex vna cauſa ventos Prouidentia inuenit, aut per diuerſa diſpoſuit: ſed primum vt aera non finerent pigreſcere, ſed aſſidua vexatione vtilem redderent, vitalemque tracturis. deinde vt imbres terris ſubminiſtrarent, idemque nimios cõpeſcerent. fruges percipi non poſſent, niſi flatu ſuperuacua admixta

[illegible]

ten [illegible]

quæ [illegible]

[illegible]

Sed [illegible]

tos [illegible]

rum [illegible]

ſed appellatur [illegible]

mundi [illegible]

tur, ſine [illegible]

tus, hunc [illegible]

ſine [illegible]

multitum [illegible]

exeunt [illegible]

duxit palam eſt [illegible]

non ignoramus [illegible]

*Plin. l. 2.* [illegible]

Tenuis [illegible]

tenere [illegible]

rem fluidam [illegible]

à ſole [illegible]

aereum [illegible]

pellatum [illegible]

[illegible]

fluentem [illegible]

fluentem [illegible]

Ariſtoteles [illegible]

ras [illegible]

feruntur [illegible]

ad aerem [illegible]

frigidum [illegible]

aſcendere [illegible]

tidem [illegible]

per [illegible]

flatus [illegible]

[illegible]

P. Pontanus [illegible]

[illegible]

indulſit [illegible]

ſpirabilis vapor [illegible]

fluat [illegible]

factus, nec ſe [illegible]

obſidentium [illegible]

[illegible] uſe- … s, & … ere- … ra- … n ſo- … nu- … erſo … ma … ndo … de- … è ab … ſus … irca … eſt. … hu- … ute, … les, … lem … un- … ubi- … ad- … lam … uſſi- … id … de- … uos … ce- … pu- … arte … s ex … quæ … è di- … Eo- … nul- … ibus, … rum, … hy-

æſtum videlicet huiuſmodi afflatus conſumentem. In hyeme non viget calor, cuius euocatu in ſupera peruenire vapores debent, nec loci inferioris anti periſtaſis ſufficit. Vere & atumno adſunt omnia. Cadit crebrius locis caldis quàm algidis: interdiu ſæpius quàm noctu, celeriuſque perit quàm niues: quoniam nix ex nube, grando ex aqua facta eſt. Vel quia acriore frigore nix, leniore grando concreuit. Nix terram fæcundat: at quod grandine percuſſum eſt, infæcundum ac ſterile, ſæpe in multos annos efficitur.
*P. Pontanus par. 1. vol. 3. prog. 14.*

## *Iris.*

HVius rei cauſam in humore eſſe non dubitaueris. Non fit enim vnquam arcus niſi nubilo. Sed quæramus quomodo fiat. Quidam aiunt eſſe aliqua ſtillicidia, quæ ſolem tranſmittant, quedam magis coacta, quam vt transluceant: itaque ab illis fulgorem reddi, ab his vmbram, & ſic vtriuſque intercurſu effici arcum, in quo pars fulgeat, quæ ſolem recipit, pars obſcurior ſit, quæ exclufit, & ex ſe vmbram proximis fecit. Hoc ita eſſe quidam negant. poterat enim vmbra & lux cauſa videri, ſic arcus duos tantum haberet colores, & ſic ex lumine vmbraque conſtaret.

*Sed nunc diuerſi niteant, cum mille colores,*
*Tranſitus ipſe tamen ſpectantia lumina fallit,*
*Vſq; adeo quod tangit idem eſt, tamen vltima diſtant.*

Videmus in eo aliquid flammei, aliquid lutei, aliquid cærulei. & alia in picturæ modum ſubtilibus lineis ducta, vt ait Poeta, an diſſimiles colores ſint, ſcire non poſſis niſi cum primis extrema contuleris. Nam commiſſura decipit, vſque adeo mira arte naturæ quod à ſimillimis cœpit, & in diſſimillima deſinit. Quid ergo iſtic duo colores faciunt luminis, atque vmbræ, cum innumerabilium ratio reddenda ſit? Qui ita exiſtimant arcum fieri, dicunt in ea parte in qua pluit, ſingula ſtillicidia pluuiæ cadentis, ſingula ſpecula eſſe, à ſingulis ergo imaginem reddi ſolis. Deinde multas imagines, imò innumerabiles, & deuexas, & in præceps tranſeuntes confundi. Itaque

&

& arcum eſſe multarum imaginum ſolis confuſiones. *Seneca natur. quæſt. l. 1. cap. 3.*

Arcus vocamus extra miraculum frequentes, & extra oſtentum. Nam ne pluuioſos quidem, aut ſerenos dies, cum fide portendunt. Manifeſtum eſt, radium ſolis immiſſum cauę nubi, repulſa acie in ſolem refringi, colorumque varietatem miſtura nubium, aeris igniumque fieri. Certè niſi Sole aduerſo non fiunt, nec vnquam; niſi dimidia circuli formæ: nec noctu, quamuis Ariſtoteles prodat aliquando viſum: quod tamen fatetur idem non niſi quartadecima Luna poſſe. Fiunt autem hyeme, maximè ab æquinoctio autumnali die decreſcente. Quo rurſus creſcente ab equinoctio verno, non exiſtunt: nec circa ſolſtitium longiſſimis diebus: bruma verò, hoc eſt, breuiſſimis diebus, frequenter. Ibidem ſublimes humili Sole, humileſque ſublimi, & minores occidente, vel oriente, ſed in latitudinem diffuſi, meridie exiles, verùm ambitus maioris. Æſtate verò poſt meridiem non cernuntur, poſt autumni æquinoctium quacunque hora: nec vnquam plures ſimul quam duo. *Plinus l. 2. nat. hiſt. c. 59.*

Euenit interdum vt è madidis ac rorantibus nubibus a proxima pluuia. Sole in eas rariores factas aduerſis radijs incurrente coloratis; Arcus quidam ingens efficiatur in aere, ſpeciem habens iucundiſſimam aſpectu, cogitatu mirabilem: laudatus ob id in ſacris litteris; in ſignum reconciliationis, ac fœderis vſurpatus à Deo; decantatus à Poetis, inter quos noſtratium princeps.

*Mille trahens varios aduerſo ſole colores;*

Sermone denique omnium cum admiratione celebratus. Huius colores, cæruleum, viridem, purpureum, luteum, aut igneum, admirabili Naturæ arte permiſtos, & confuſione quadam diſtinctos, alios ex alijs nexos, nullius oculi, decipiente commiſſura, quæ à ſimillimis incipiens, in diſſimilia deſinit, planè diſtinguent, niſi cum primis extrema contulerint. Eorundem perſpicuitatem, ardorem, vim, gratiam nullus herbarum, florumque ſuccus, nullus è lapidibus, ligniſue liquor expreſſus, nullus vermiculorum,

conchy-

æſtum videlicet huiuſmodi afflatus conſumentem. In hyeme non viget calor, cuius euocatu in ſupera peruenire vapores debent, nec loci inferioris anti periſtaſis ſufficit. Vere & atumno adſunt omnia. Cadit crebrius locis caldis quàm algidis: interdiu ſæpius quàm noctu, celeriuſque perit quàm niues: quoniam nix ex nube, grando ex aqua facta eſt. Vel quia acriore frigore nix, leniore grando concreuit. Nix terram fæcundat: at quod grandine percuſſum eſt, infæcundum ac ſterile, ſæpe in multos annos efficitur.

*I. Pontanus par. 1. vol. 3. prog. 14.*

## *Iris.*

HVius rei cauſam in humore eſſe non dubitaueris. Non fit enim vnquam arcus niſi nubilo. Sed quæramus quomodo fiat. Quidam aiunt eſſe aliqua ſtillicidia, quæ ſolem tranſmittant, quedam magis coacta, quam vt translucean: itaque ab illis fulgorem reddi, ab his vmbram, & ſic vtriuſque intercurſu effici arcum, in quo pars fulgeat, quæ ſolem recipit, pars obſcurior ſit, quæ excluſit, & ex ſe vmbram proximis fecit. Hoc ita eſſe quidam negant. poterat enim vmbra & lux cauſa videri, ſic arcus duos tantum haberet colores, & ſic ex lumine vmbraque conſtaret.

*Sed nunc diuerſi niteant, cum mille colores,*
*Tranſitus ipſe tamen ſpectantia lumina fallit,*
*Vſq; adeo quod tangit idem eſt, tamen vltima diſtant.*

Videmus in eo aliquid flammei, aliquid lutei, aliquid cærulei, & alia in picturæ modum ſubtilibus lineis ducta, vt ait Poeta, an diſſimiles colores ſint, ſcire non poſſis niſi cum primis extrema contuleris. Nam commiſſura decipit, vſque adeo mira arte naturæ quod à ſimillimis cœpit, & in diſſimillima deſinit. Quid ergo iſtic duo colores faciunt luminis, atque vmbræ, cum innumerabilium ratio reddenda ſit? Qui ita exiſtimant arcum fieri, dicunt in ea parte in qua pluit, ſingula ſtillicidia pluuiæ cadentis, ſingula ſpecula eſſe, à ſingulis ergo imaginem reddi ſolis. Deinde multas imagines, imò innumerabiles, & deuexas, & in præceps tranſeuntes confundi. Itaque

&

& arcum eſſe multarum imaginum ſolis confuſiones. *Seneca natur. quæſt. l. 1. cap. 3.*

Arcus vocamus extra miraculum frequentes, & extra oſtentum. Nam ne pluuioſos quidem, aut ſerenos dies, cum fide portendunt. Manifeſtum eſt, radium ſolis immiſſum cauę nubi, repulſa acie in ſolem refringi, colorumque varietatem miſtura nubium, aeris igniumque fieri. Certè niſi Sole aduerſo non fiunt, nec vnquam; niſi dimidia circuli forma: nec noctu, quamuis Ariſtoteles prodat aliquando viſum: quod tamen fatetur idem non niſi quartadecima Luna poſſe. Fiunt autem hyeme, maximè ab æquinoctio autumnali die decreſcente. Quo rurſus creſcente ab æquinoctio verno, non exiſtunt: nec circa ſolſtitium longiſſimis diebus: bruma verò, hoc eſt, breuiſſimis diebus, frequenter. Ibidem ſublimes humili Sole, humileſque ſublimi, & minores occidente, vel oriente, ſed in latitudinem diffuſi, meridie exiles, verùm ambitus maioris. Æſtate verò poſt meridiem non cernuntur, poſt autumni æquinoctium quacunque hora: nec vnquam plures ſimul quam duo. *Plinus l. 2. nat. hiſt. c. 59.*

Euenit interdum vt è madidis ac rorantibus nubibus a proxima pluuia. Sole in eas rariores factas aduerſis radijs incurrente coloratis; Arcus quidam ingens efficiatur in aere, ſpeciem habens iucundiſſimam aſpectu, cogitatu mirabilem: laudatus ob id in ſacris litteris; in ſignum reconciliationis, ac fœderis vſurpatus à Deo; decantatus à Poetis, inter quos noſtratium princeps.

*Mille trahens varios aduerſo ſole colores;*

Sermone denique omnium cum admiratione celebratus. Huius colores, cæruleum, viridem, purpureum, luteum, aut igneum, admirabili Naturæ arte permiſtos, & confuſione quadam diſtinctos, alios ex alijs nexos, nullius oculi, decipiente commiſſura, quæ à ſimillimis incipiens, in diſſimilia deſinit, planè diſtinguent, niſi cum primis extrema contulerint. Eorundem perſpicuitatem, ardorem, vim, gratiam nullus herbarum, florumque ſuccus, nullus è lapidibus, ligniſue liquor expreſſus, nullus vermiculorum, conchy-

bus arborum inter ſe ſe colliſis, & ramorum fremitu longè, lateque tumultuante.

*B. Ioan. Biſſelius Argon. Americ. l. 3. num. 6.*

## *Diluuium.*

SEd monet me locus, vt quæram, cum fatalis dies diluuij venerit, quemadmodum magna pars terrarum vndis obruatur. vtrum Oceani viribus fiat, & externum in nos pelagus exurgat, an crebri ſine intermiſſione imbres, & eliſa æſtate hyems pertinax immenſam vim aquarum ruptis nubibus deijciat. An flumina tellus largius fundat, aperiatque fontes nouos: aut non ſit vna tanto malo cauſa, ſed omnis ratio conſentiat, & ſimul imbres cadant, flumina increſcant, maria ſedibus ſuis excita percurrant, & omnia vno agmine ad exitium humani generis incumbant. Ita eſt: nihil difficile eſt naturæ vtique vbi in finem ſui properat. Primò immodici cadunt imbres, & ſine vllis ſolibus triſte nubilo cælum eſt. Nebulaque continua, & ex humido ſpiſſaque caligine, nunquam exiccantibus ventis. Inde vitium ſatis eſt, ſegetum ſine fruge ſurgentium marcor. Tunc corruptis quæ ſeruntur manu, paluſtris omnibus campis herba ſuccreſcit, mox iniuriam & validiora ſe nſere. Solutis quippe radicibus, arbuſta procumbunt, & vitis atque omne virgultum non tenetur ſolo, quod molle fluidumque eſt: iam nec gramina aut pabula læta aquis ſuſtinent fame laboratur, & manus ad antiqua alimenta porrigitur, qua ilex & quercus excutitur, & quæcunque in his arduis arbor commiſſura aſtricta lapidum ſtetit, labaſcit. Madent tecta, & imum vſque receptis aquis fundamenta deſidunt, ac tota humus ſtagnat, fruſtra titubantium fulcra tentantur. Omne enim firmamentum in lubrico figitur, & lutoſa humo nihil ſtabile eſt. Poſtquam magis magiſque nimbi ingruunt, & congeſtæ ſæculis tabuerunt niues, deuolutus torrens altiſſimis montibus rapit ſyluas male hærentes, & ſaxa reuolutis remiſſa compagibus rotat. Abluit villas, & intermixtos ouium greges deuehit, vulſiſque minoribus tectis quæ in tranſitu obduxit,

tandem maiora violentus oberrat. Vrbes & implicitos trahit mœnibus ſuis populos ruinam an naufragium querantur incertos, adeo ſimul, & quod opprimeret, & quod mergeret, venit. Auctus deinde proceſſu aliquo in ſe torrentibus raptis plana paſſim populatur. Nouiſſimè ruina magna gentium clarus onuſtuſque diffunditur Flumina verò ſuapte natura vaſta, & tempeſtatibus rapta alueos relinquunt. Quid tu eſſe Rhodanũ, quid putas Rhenum atque Danubiũ, quibus torrens etiam in canali ſuo curſus eſt, cum ſuperfuſi nouas ſibi fecere ripas, ac ſciſſa humo ſimul exceſſere alueo.? Quanta cũ præcipitatione voluũtur, vbi per cãpeſtria fluens Rhenus, ne ſpatio quidẽ languidus, ſed latiſſimè velut per anguſtum aquas implet? cumque Danubius non iam radices, nec media montium ſtringit, ſed iuga ipſa ſollicitat, ferens ſecum labefacta montium latera, rupeſque deiectas, & magnarum promontoria regionum, quæ fundamentis laborantibus ambeſa corruerunt. Deinde non inueniens exitum, omnia enim ſibi ipſe præcluſerat, in orbem redit, ingentem terrarũ ambitum atque vrbiũ vno vortice inuoluit. Interim permanent imbres, fit cælum grauius, ac ſic diu malum ex malo colligit. Quod olim fuerat nubilum, nox eſt, & quidem horrida & terribilis intercuſſu luminis diri: crebra enim micant fulmina, procellę quatiũt marę, tunc primum auctum fluminum acceſſu, & ſibi anguſtum: iam promouet littus, non continetur ſuis finibus, ſed prohibent exire torrentes, aguntque fluctus retro: pars tamen maior, vt maligno oſtio retenta, reſtagnat, & agros in formam vnius lacus redigit. Iam omnia quæ proſpici poſſunt, aquis obſidentur. Omnis tumultus in profundo latet, & immenſa vbique altitudo eſt, tantum in ſummis montium iugis vada ſunt. In ea excelſiſſima cum liberis coniugibuſque fugere, actis ante ſe gregibus: diremptum inter miſeros commercium ac tranſitus, quoniam quicquid ſubmiſſius erat, id vnda compleuit. editiſſimis quibuſque adhærebant reliquiæ generis humani, quibus in extrema perductis, hoc vnum ſolatio fuit, quod tranſierat in ſtuporem metus, non vacabat timere mirantibus, ne dolor quidem habebat locum. Quippe vim ſuam perdit in eo, qui vltra ſenſum mali miſer eſt. Ergo inſu-

arum modo eminent montes, & ſparſas Cycladas augent, vt ait ille Poetarum ingenioſiſſimus egregiè, ſicut illud pro magnitudine rei dixit.

*Omnia pontus erat, deerant quoque littora ponto.*

*Seneca l. 3. nat. quaſt. c. 27.*

# PLVVIA, ROS, NIX, GRANDO.

## *Pluuia.*

EST autem pluuia, vt magiſtri meteorologici definiunt, fluxio nubis humidæ, feruore ſolis penetrantis in aquæ guttas colliquefactæ. Nam caloris ea vis eſt, vt humentia diſſoluat. Cum enim in mediam partem aeris humidi, calidique vapores emicuerint, reperto ibi frigore in nubem ſe induunt, atque inde deſuper ſole inſtantè acriterque feriente, aqua ſicut è ſpongia compreſſa diſtillare incipit. Ac pro ratione quidem vaporis è quo confecta eſt nubes, & efficientia caloris in eam agentis, diuerſæ pluuiarum formæ concipiuntur. Tenuis illa pluuia guttulis minutiſſimis, fit propter vaporem rariorem: vti pluuiæ & nimbi propter ſpiſſiorem. Subſtillum eſt, cum ſtillis raris iam iam ventura pluuia ſignificatur. Aquilone flante, & ſuum cælum obtinente minutæ deſcendunt pluuiæ: Auſtro imber cadit improbior, & guttæ pleniores.

*P. Pontanus vol. 3. par. 1. progymn. 14.*

## *Ros.*

ROrem noſtis conſtare vapore ſubtili & humecto, qui quoniam ob caloris exiguitatem altius euadere nonquit, in aere terris propinquiore ſubſidit, mod coque frigore nocturno ad aquam redactus, paruulis guttis non ſentientibus nobis primo diluculo deorſum

deorſum ruens, aſpergiinibus leuioribus tamquam gemmulis herbas aliaſque res madefacit, Locum eius eſſe regionem nobis vicinam argumento eſt, quod excelſi montes, & ſublimia ædificia non irrorantur. Gignitur ſerenis noctibus, aere inter frigus caloremque temperato: in locis item calidioribus, & Auſtro inprimis ſpirante: quæ omnia ad eum liquandum tenuandumque proficiunt. *Idem ibidem*

## *Nix.*

NIx quæ videtur tanquam ſpuma aquarum ſublimium, pluuiæque velut germana ſoror, tum oritur, cum nubes edendæ pluuiæ præparata priuſquam in guttas abeat, calore vaneſcente, à frigore circmſtante molliter cogitur ſeu congelatur, ventorumque frigidorum impulſu in flocculos diremota terras petit: qui flocculi, quaſi pluuiales guttæ numerandæ ſunt, quas vtique energia frigoris tam candidas efficit: qua de cauſa quamuis aquam conglaciantem non rigere modò, verum etiam albere videmus. *Idem ibidem.*

## *Grando.*

GRando, conglaciatus imber modo ferè pari & ex eadem materia conflatur, ex qua niues: cum nimirum nubis liquefactę iam decidentes guttæ aerio frigore dureſcunt. Rotunda eſt: quod omne ſtillicidium conglomeratur. Id etiam apparet in ſpeculis, quæ humorem halitu colligunt, & in poculis ſparſis, aliaque omni leuitate: nam & in herbarum vel arborum folijs, ſi quæ guttę adhæſerunt, in rotundum iacent. Excauatio ipſa à guttis facta rotunda eſt: ex quo liquet, huic quoque ſimile eſſe quod cauat: locum enim ſibi ad formam & habitum ſuum exſculpit Poteſt deinde cum defertur cortotundari, & toties per ſpatium aeris denſi deuoluta, æquabilitę atque in orbem teri Grandinat ſæpius vere & autumno, quam hyeme & æſtate. Quia æſtate non eſt copia vaporis, quæ quidē eſt apta grandini materia: propter

æſtum videlicet huiuſmodi afflatus conſumentem. In hyeme non viget calor, cuius euocatu in ſupera peruenire vapores debent, nec loci inferioris anti periſtaſis ſufficit. Vere & autumno adſunt omnia. Cadit crebrius locis caldis quàm algidis: interdiu ſæpius quàm noctu, celeriuſque perit quàm niues: quoniam nix ex nube, grando ex aqua facta eſt. Vel quia acriore frigore nix, leniore grando concreuit. Nix terram fœcundat: at quod grandine percuſſum eſt, infœcundum ac ſterile, ſæpe in multos annos efficitur.

*P. Pontanus par. 1, vol. 3. prog. 14.*

## *Iris.*

HVius rei cauſam in humore eſſe non dubitaueris. Non fit enim vnquam arcus niſi nubilo. Sed quæramus quomodo fiat. Quidam aiunt eſſe aliqua ſtillicidia, quæ ſolem tranſmittant, quedam magis coacta, quam vt translucceant: itaque ab illis fulgorem reddi, ab his vmbram, & ſic vtriuſque intercurſu effici arcum, in quo pars fulgeat, quæ ſolem recipit, pars obſcurior ſit, quæ exclusit, & ex ſe vmbram proximis fecit. Hoc ita eſſe quidam negant. poterat enim vmbra & lux cauſa videri, ſic arcus duos tantum haberet colores, & ſic ex lumine vmbraque conſtaret.

*Sed nunc diuerſi niteant, cum mille colores,*
*Tranſitus ipſe tamen ſpectantia lumina fallit.*
*Vſq; adeo quod tangit idem eſt, tamen vltima diſtant.*

Videmus in eo aliquid flammei, aliquid lutei, aliquid cærulei, & alia in picturæ modum ſubtilibus lineis ducta, vt ait Poeta, an diſſimiles colores ſint, ſcire non poſſis niſi cum primis extrema contuleris. Nam commiſſura decipit, vſque adeo mira arte naturæ quod à ſimillimis cœpit, & in diſſimillima deſinit. Quid ergo iſtic duo colores faciunt luminis, atque vmbræ, cum innumerabilium ratio reddenda ſit? Qui ita exiſtimant arcum fieri, dicunt in ea parte in qua pluit, ſingula ſtillicidia pluuiæ cadentis, ſingula ſpecula eſſe, à ſingulis ergo imaginem reddi ſolis. Deinde multas imagines, imò innumerabiles, & deuexas, & in præceps tranſeuntes confundi. Itaque

& arcum eſſe multarum imaginum ſolis confuſiones. *Seneca natur. quaſt. l. 1. cap. 3.*

Arcus vocamus extra miraculum frequentes, & extra oſtentum. Nam ne pluuioſos quidem, aut ſerenos dies, cum fide portendunt. Manifeſtum eſt radium ſolis immiſſum cauę nubi, repulſa acie in ſolem refringi, colorumque varietatem miſtura nubium, aeris igniumque fieri. Certè niſi Sole aduerſo non fiunt, nec vnquam; niſi dimidia circuli formā: nec noctu, quamuis Ariſtoteles prodat aliquando viſum: quod tamen fatetur idem non niſi quartadecima Luna poſſe. Fiunt autem hyeme, maximè ab æquinoctio autumnali die decreſcente. Quo rurſus creſcente ab æquinoctio verno, non exiſtunt: nec circa ſolſtitium longiſſimis diebus: bruma verò, hoc eſt, breuiſſimis diebus, frequenter. Ibidem ſublimes humili Sole, humileſque ſublimi, & minores occidente, vel oriente, ſed in latitudinem diffuſi, meridie exiles, verùm ambitus maioris. Æſtate verò poſt meridiem non cernuntur, poſt autumni æquinoctium quacunque hora: nec vnquam plures ſimul quam duo. *Plinius l. 2. nat. hiſt. c. 59.*

Euenit interdum vt è madidis ac rorantibus nubibus a proxima pluuia, Sole in eas rariores factas aduerſis radijs incurrente coloratis, Arcus quidam ingens efficiatur in aere, ſpeciem habens iucundiſſimam aſpectu, cogitatu mirabilem: laudatus ob id in ſacris litteris; in ſignum reconciliationis, ac fœderis vſurpatus à Deo; decantatus à Poetis, inter quos noſtratium princeps.

*Mille trahens varios aduerſo ſole colores;*

Sermone denique omnium cum admiratione celebratus. Huius colores, cæruleum, viridem, purpureum, luteum, aut igneum, admirabili Naturæ arte permiſtos, & confuſione quadam diſtinctos, alios ex alijs nexos, nullius oculi, decipiente commiſſura, quæ à ſimillimis incipiens, in diſſimilia deſinit, planè diſtinguent, niſi cum primis extrema contulerint. Eorundem perſpicuitatem, ardorem, vim, gratiam nullus herbarum; florumque ſuccus, nullus è lapidibus, ligniſue liquor expreſſus, nullus vermiculorum, concby-

conchyliorumque ſanguis exæquat. Teſtis Ariſtides pictor alioqui nobiliſſimus, quem pingere hunc arcum, atque imitatione exprimere conantem ars in medio defecit opere: proinde manum de tabula tollens, eam reliquit poſteris inchoatam.
*P. Iul. Nigronus orat. 1.*

Comparatur ergo Iris, quando Solis radij in nubem cauam, humidam, roridam, tenuem, æquabilem, quæque in guttas liquari iam cœperat exaduerſum Soli poſitam reflectuntur. Radius Solis cauæ nubi immiſſus, repulſa acie in Solem refringitur, & retroagitur. Et quoniam radij figuram rotundam generant arcuata nobis imago oſtenditur. fit diſcolor, quia partes aliæ in nubibus tumidiores ſunt, aliæ ſummiſſiores: quædam craſſiores, quàm vt Solem tranſmittant, aliæ imbecilliores, quàm vt excludant. Hæc inæquabilitas alternis lucem vmbramque permiſcet, & mirabilem illam varietatem conciliat. Color autem ille non eſt color, ſed videtur. ſi Solem obtexeris euaneſcet arcus. *P. Pontanus. vol. 3. par. 1. prog. 12.*

## Cometa.

Poſt mortem Demetrij Syriæ Regis Cometes effulſit non minor Sole. Primò igneus ac rubicundus orbis fuit, clarumque lumen emittens, quanto vinceret noctem. Deinde paulatim magnitudo eius diſtracta eſt, & euanuit claritas. Nouiſſimè autem totus intercidit. *Et infra.* Multi varijque ſunt cometæ diſpares magnitudine, diſſimiles colore: alijs rubor eſt ſine vlla luce: alijs candor, & purum liquidumq; lumen: alijs flamma, & hæc non ſincera, nec tenuis ſed multum circa ſe voluẽs fumidi ardoris. Cruenti quidam, minaces, qui omen poſt ſe futuri ſanguinis ferunt, hi minuunt augentue lumen ſuum, quemadmodum alia ſidera, quæ clariora, cum deſcendère; ſunt, maioraque ex loco propiore videntur; minora, cum redeunt & obſcuriora, quia abducunt ſe longius. *Seneca l. 7. nat. quæſt. c. 15. & 17.*

Cum præſertim pleroſq; mortalium videam perturbatos, ac planè perculſos, qui repentinam in cælo facem veluti prodigialem, fatalemque ſuſpiciunt & perhor-

perhorreſcunt; hoc eſt Reges ac regna mutantem, inexplicabilem, luctuoſam: quæ ſanguine potius humano, quàm terreſtri quadam exhalatione paſcatur.

Age igitur. quid eſt, quod eam cæli facem horrendam, minacem ac diram, nocentemque corporibus metuamus? An, quia Cometa repentinus eſt ignis, & ſubitarius, natura ſua minitabundus ac triſtis? An quia ſiderum ſpeciem habeat, & radijs vndique tanquam ſpiculis armetur? An, quòd in vertice comam ferociter attollat? An, quia terreſtre ſit eiectamentum, ex hac infima concretione conflatum? An verò, quod illum Deus ipſemet gignat inconſulta natura, nempè vt ſignum mali certiſſimum habeatur? An denique, quòd ita perſuadeant rerum euentus; doceatque temporum ratio præteritorum, quoties Cometa præfulſit, toties conſecutas, veluti ancillatas iuratasque pediſſequas, calamitates? *P. Vinc. Guiniſius alloc. 6.*

In materiam verò ac fomitem tam incenſo ſtudio fertur ignis, vt eius quoque agendi naturam ſequatur variam; ſeque non vno ſemper vultu conſpicuum faciat. Proteum dicas. nam quæ ſpectra oculis non obijcit? quam non induit laruam? nec terram tantum, ſed vniuerſa hæc, quæ lunæ ſubſunt ſpatia oſtentis ac prodigijs implet. Enimuero cum ſe ille crinitus comit in cælo, tunc orbem terræ multorum certè ſuſpicione fœdat exitijs. cum caudatus apparet, non adulatur, ſed minatur. cum philoſophico more barbatus incedit, ſeueritatem præfert. cum ſe protendit in trabem, non putatur fulcire imperia, ſed euertere. Ac modo acuitur in mucronem, modo vibratur in iaculum, modo exardeſcit in tædam, ſubijciendam Principum rogo. Tibiæ quandoque ſpeciem refert. nec quaſi præcentor, ſed quaſi præco feralis exitij. Doliorum quoque figura cernitur, veluti lymphatus. Hippeus dicitur, cum equum ſimulat iuba, omine quodam belli: Ceratias, cum cornu Martem videtur accendere. *P. Maſculus de Veſuu. l. 5.*

Fulgur,

## *Fulgur, & fulmen.*

FVlgetrum prius cerni, quàm tonitrum audiri (cum ſimul fiant) certum eſt. Nec mirum: quoniam lux ſonitù velocior. Ictum autem, & ſonitum congruere, ita modulante natura. Sed ſonitum profecti eſſe fulminis non illati: etiam num ſpiritum ocyorem fulmine, ideo quati prius omne & afflari, quam percuti: nec quenquam tangi, qui prior viderit fulmen, aut tonitru audierit. Noctù magis quàm interdiù, ſine tonitribus fulgurat. Vnum animal hominem non ſemper extinguit, cætera illico: hunc videlicet natura tribuente honorem cùm tot belluæ viribus præſtent. Omnia contrarias incubant in partes: homo niſi conuertatur, vi percuſſus non expirat. Supernè icti conſidunt. Vigilans ictus conniuentibus oculis, dormiens patentibus reperitur. Hominem ita exanimatum cremari fas non eſt: condi terra religio tradidit. Nullum animal niſi exanimatum fulmine accenditur. Vulnera fulminatorum frigidiora reliquo corpore ſunt. *Plinius l. 2. nat. hiſt. c. 54.*

Tria ſunt ergo quæ accidunt, fulgurationes, fulmina, & tonitrua: quæ vnà facta ſerius audiuntur. Fulguratio oſtendit ignem, fulminatio emittit. Illa, (vt ita dicam) comminatio eſt, & tonatio ſine ictu, iſta iaculatio cum ictu. Ariſtoteles multo ante ignem colligi non putat, ſed eodem momento exſilire, quò fiat. Cuius ſententia talis eſt. Duæ mundi partes in imo iacent, terra, & aqua: vtraque ex ſe reddit aliquid. Terrenus vapor ſiccus eſt, & fumo ſimilis, qui ventos tonitrua & fulmina facit: aquarum halitus humidus eſt, & in imbres, & niues cadit. Sed ſiccus ille terrarum vapor, vnde ventis origo eſt, quis coacervatus eſt cum coitu nubium vehementer impactarum à latere eliditur: deinde vbi latius ferit nubes proximas hæc plaga cum ſono incutitur: qualis in noſtris ignibus redditur, cum flamma vitio lignorum virentium crepat: Vt illic ſpiritus habens aliquid humidi ſecum cum eſt conglobatus rumpitur flamma: eodem modo ſpiritus ille, quem paulo ante exprimi colliſis nubibus dixi, impactus alijs

nec

nec rumpi nec exilire ſilentio poteſt. Diſſimilis autem crepitus fit ob diſſimilē impactionem nubium. Quare aliæ maiorem ſonitum habent, aliæ minorem. Cæterum illa vis expreſſi ſpiritus ignis eſt, qui fulgurationis nomen habet, leni impetu accenſus, & vanus. Ante autem videmus fulgorem, quam ſonitum audiamus: quia oculorum velocior eſt ſenſus, & multum aures antecedit. *Seneca lib. 2. nat. quaſt. c. 12.*

Huius originem inde petendam duco, vnde origo petitur ignis qui è nube proſilit, quando in tonitrum, ac fulmen eliditur. Nubes quippè crebrius, quam Montes, ſuis quoque ex ardeſcunt incendijs, quæ hoc ferè modo excitantur. Tolluntur ſpiritus calidi vi ſolis è terra, aquoſis immiſti vaporibus, atque vna quodammodo peregrinantur. Dumque in aeris regione media, vbi grando, niueſque gignuntur incremento frigoris conſtipati vapores humidi concreſcunt in nubem: ſpiritus quaſi hoſte obſidente, per antiperiſtaſim inter ſe ſe coeunt, & collecta vi acrius incaleſcunt. Vt incaluere, laxantur. nam calor partes laxat, quas frigus addenſat. laxati ſpatioſiorem ſedem expoſcunt. nubes ne perrumpant, obſiſtit. illi ad latera nubis eliſi, atque ipſamet conflictatione, ac motu ſuccenſi, nube tandem diſrupta eduntur in tonitrus, micant in fulgetra, erumpunt in fulmina, terrores mortalium, excidia turrium, clades montium.
*P. Iul. Caſ. Recupitus in Veſuu. incen.*

At quis vnquam terræmotus de ſubterraneis cuniculis excluſus tanto impetu, ſtrepituque ſuccuſſat orbem terrarum, quanto fragore vnus ictus fulmineus, horribilis ille, ac formidandus cæli motus tumultuaria ventorum coniuratione ſtimulatus, fulgetris, ac tonitruis, quaſi tubarum clangore, ſtrepituq; machinarum inſtructus, direptionem, ac cædem, lapidationem, & incendium, metum, ac ictum fœda omnia, omnia hoſtilia minitatur. Diſtracta ſeditionibus inteſtinis laborat Cæli Reſpublica, faces, & globi flammarum ad ſuam quique libidinem impunè volitant: vbique ſuperioris naturæ conflictatio, vbique conſternatio mortalitatis. Itur ad aras, ac templa: Numen ſuppliciter imploratur: mortem vnuſquiſque ſuam cum præſenti rerum omnium interitu conſolatus ſepulcrum in extremis naturæ

cladibus

cladibus, in publicis mundi ruinis expectatis, ſed neque religio in templis exhibita, neque ſanctitas in ędibus, neque pietas in Gyneceis cæleſte portentum euitat; ſcilicet: eluctantibus horribili quaſſu per cælum flammis, æquè diſiecta videas priuata & publica, ſacra, & profana promiſcua populatione vexata, lacera, exanimata, illuſa, exciſa, direpta, condonata vltricibus flammis, & rapinis. *P. Leo Sanctius lib. 1. flor. praef. 5.*

# A V E S.

## *Phœnix.*

PAulo Fabio, L. Vitellio Coſſ. poſt longum ſæculorum ambitum, auis Phœnix in Ægyptum venit, præbuitque materiem doctiſſimis indigenarum & Græcorum, multa ſuper eo miraculo diſſerendi, de quibus congruunt, & plura ambigua, ſed cognitu non abſurda promere libet. Sacrum ſoli id animal, & ore, ac diſtinctu pinnarum à cæteris auibus diuerſum conſentiunt, qui formam eius definiere. De numero annorum varia traduntur: maximè vulgatum quingentorum ſpatium, ſunt qui adſeuerent, mille quadringentos ſexaginta vnum interici, prioreſque alites Seſoſtride primum, poſt Amaſide dominantibus, dein Ptolemæo, qui ex Macedonibus tertius regnauit, in ciuitatem, cui Heliopolis nomen, aduolauiſſe multo cæterarum volucrum comitatu, nouam faciem mirantium. Sed antiquitas quidem obſcura, inter Ptolemæum ac Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt, vnde nonnulli falſum hunc phœnicem, neque Arabum è terris credidere, nihilq; vſurpauiſſe ex his, quæ vetus memoria firmauit. confecto quippè annorum numero vbi mors propinquet, ſuis in terris ſtruere nidum, eique vim genitalem adfundere. ex qua fœtum oriri, & primã adulto curam ſepeliendi patris neque id temerè, ſed ſublato mirrhæ pondere, tentatoque per longum iter, vbi par oneri par meatui ſit, ſubire patrium corpus, inque

aque Solis aram perferre, atque adolere, hæc incerta, & fabuloſis aucta. *Corn. Tacitus Annal. lib. 6.*

Apud eosdem naſcitur auis Phœnix aquilæ magnitudine, capite coronato, in conum pluribus extantibus, criſtatis faucibus, circa colla fulgore aureo, poſtera parte purpureus, abſque cauda, in qua roſeis pennis cæruleis interſcribitur nitor. Probatum eſt quadraginta & quingentis eum durare annis. Rogos ſuos ſtruit Cinnamis, quos prope Panchaiam concinnat, in ſolis vrbem ſtrue altaribus ſuperpoſita. Cum huius vita, magni anni fieri conuerſionem, rara fides eſt inter auctores, quamuis plurimis eorum magnum annum non quingentis & quadraginta, ſed duodecim millibus nongentis quinquaginta quatuor annis conſtare dicant. Quinto itaque Plautio, & Sextio Papirio conſulibus Aegyptum Phœnix inuolauit: captuſque anno octingenteſimo vrbis conditæ, iuſſu Claudij principis in comitio publicatus eſt. *Solinus c. 36.*

## *Aquila.*

AQuilæ nidificant in petris, & arboribus: pariunt oua terna, excludunt pullos binos, viſi ſunt & tres aliquando. Alterum expellunt tædio nutriendi. Quippe eo tempore ipſis cibum negauit natura, proſpiciens ne omnium ferarum fœtus raperentur. Vngues quoque earum inuertuntur diebus ijs: albeſcunt inedia pennæ, vt merito partus ſuos oderint. Sed eiectos ab his cognatum genus oſſifragæ excipiunt, & educant cum ſuis. Verùm adultos quoque perſequitur parens, & longè fugat, æmulos ſcilicet rapinæ. Et alioquin vnum par aquilarum magno ad populandum tractu, vt ſatietur, indiget. Determinant ergo ſpatia, nec in proximo prædantur. Rapta non protinus ferunt, ſed primò deponunt, expertæque pondus tunc demum abeunt. Oppetunt non ſenio, nec ægritudine, ſed fame in tantum ſuperiore accreſcente roſtro, vt aduncitas aperiri non queat. A meridiano autem tempore operantur, & volant: prioribus horis diei, donec impleantur hominum conuentu

nentu fora, ignauæ ſedent. Aquilarum pennæ mixtas reliquarum alitum pennas deuorant. Negant vnquam ſolam hanc alitem fulmine exanimatam; ideò armigeram Iouis conſuetudo indicauit.
*Plinius hiſt. nat. l. 10. c. 3.*

Aquila enim verò cum ſe nubium tenus altiſſimè ſublimauit, euecta alis totum iſtud ſpatium qua pluit, & ningit, vltra quod cacumen nec fulmini, nec fulguri locus eſt, in ipſo ( vt ita dixerim ) ſolo ætheris, & faſtigio hyemis: cum igitur eo ſe ſe aquila extulit nutu elementi læuorſum, vel dextrorſum tanta mole corporis labitur, velificatas alas quo libuit aduertens, modico caudæ gubernaculo, inde cuncta deſpiciens, ibidem pennarum eminus indefeſſa remigia, ac paulliſper cunctabundo volatu pene eodem loco pendula circumuetur, & quærit quorſus potiſſimum in prædam ſe ſe superne ruat, fulminis vice: de cælo improuiſa ſimul campis pecua, ſimul montibus feras, ſimul homines vrbibus vno obtutu ſub eodem impetu cernens, vnde roſtro transfodiat, vnde inuncet vel agnum incurioſum, vel leporem meticuloſum, vel quodcumque eſui animatum, vel lapatum fors obtulit. *Apuleius lib. 1. florid.*

## *Pſittacus.*

Pſittacus auis Indiæ eſt, inſtar illi minimo minus, quàm columbarum, ſed nec colorum columbarum. Non enim lacteus ille, vel liuidus, vel vtrinque ſubluteus, aut ſparſus eſt, ſed color Pſittaco viridis, extimis palmulis, niſi quod ſola ceruice diſtinguitur. Enimuerò ceruicula eius circulo niueo velut aurea torqui pari fulgoris circumactu cingitur, & decoratur; roſtri prima duritia, cum in petram quampiam concitus altiſſimo volatu, præcipitat, roſtro ſe velut anchora excipit. Sed capiti eadem duritia, quæ roſtro: cum ſermonem noſtrum cogitur æmulari, ferrea clauicula caput tunditur, imperium magiſtri, vt perſentiſcat, hæc ferula diſcenti eſt. Diſcit autem ſtatim pullus vſque ad duos ætatis ſuæ annos, dum facile os vti conformetur, cum tenera lingua vti conuibretur. Senex autem captus, & indocilis eſt, & obliuioſus.

obliuioſus. Verum ad diſciplinam humani ſermonis facilior eſt Pſittacus glande qui veſcitur. & cuius in pedibus, vt hominis quini d gituli numerantur: Non enim omnibus Pſittacis id inſigne, ſed omnibus proprium, quo eius lingua latior, quam cæteris auibus, eo facilius verba hominis articulantur patentiore plectro, & palato. Id verò, quod dicit ita ſimiliter nobis canit, vel potius eloquitur. vt vocem ſi audias, hominem putes Namquidem ſi videas idem conari non eloqui. *Apuleius l. 2. florid.*

Super omnia humanas voces reddunt, pſittaci quidem etiam ſermoncinantes. India hanc auem mittit, ſittacen vocat, viridem toto corpore torque tantum miniato in ceruice diſtinctam Imperatores ſalutat, quæ accipit verba pronunciat, in vino præcipuè laſciua. Capiti eius duritia eadem, quæ roſtro. Hoc, cum loqui diſcit, ferreo verberatur radio: non ſentit aliter ictus. Cum deuolat, roſtro ſe excipit, ill innititur, leuiorem que ſe ita pedum infirmitati facit *Plinius hiſt. nat. l. 10. c. 42.*

## Pauo.

PAuo gemmantes laudatus expandit colores, aduerſo maximè Sole, quia ſic fulgentius radiant. Simul vmbræ quoſdam repercuſſus cæteris, qui in opaco clarius micant conchata quærit cauda, omneſque in aceruum contrahit pennarum, quos ſpectari gaudet oculos. Idem cauda annuis vicibus amiſſa cum folijs arborum, donec renaſcatur iterum cum flore, pudibundus, ac mærens quærit latebram. Viuit annis XXV. Colores incipit fundere in trimatu. Ab autoribus non glorioſum tantum animal hoc traditur, ſed maleuolum. *Plinius hiſt. nat lib. 10. c. 20.*

Pauo autem incipiente vere ad pratum aliquod accedens, quando, & flores prodeunt non amabiliores modo, ſed & (vt dixerit quiſpiam) floridiores, & quod ad colorem, & tincturam attinet, liquidiores: ipſe quoque extentis pennis, iiſque eſtenſis ſoli, & ſublata cauda, eamque vndique circa ſe pandens, ſpectandos exhibet, & illius flores; & ver illud pennarum, perinde vt prato, ad huiuſmodi contentionem,

nem,& certamen ipſum prouocante: conuertit quippè ſe ipſum & circumagit, & quaſi quandam pompam agit pulchritudinis ſuæ: quando videlicet etiam admirabilior apparet ad ſplendorem Solis, variantibus ſe coloribus, & paulatim in alios, atque alios tranſeuntibus, aliamque, ac nouam formoſitatis ſpeciem ſubinde recipientibus: Accidit autem hoc potiſſimum in circulis: quos in ſummis pennis habet, quorum quemlibet, quaſi quædam irides circundant. Nam qui ante æreus viſus fuit, mox inclinante ſe paulum illo aureus conſpicitur: & rurſum: quod ad lucem apparuit, ſi ſub vmbram transferatur viridè videbitur. Adeò ad luminis viciſſitudinem pennarum ille ornatus variatur.

*P. Cauſinus de eloq. l. 11. ex luciano. Idem eundem deſcribit ibid. ex Tertulliano.*

## *Luſcinia.*

LVſcinijs diebus, ac noctibus continuis xv. garrulus ſine intermiſſu cantus, denſante ſe frondium germine, non in nouiſſimum digna miratu aue. Primum tanta vox tam paruo in corpuſculo, tam pertinax ſpiritus. Deinde in vna perfecta muſicæ ſcientia modulatus editur ſonus: & nunc continuo ſpiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc diſtinguitur conciſo, copulatur intorto, promittitur reuocato, & infuſcatur ex inopinato: interdum & ſecum ipſe murmurat: plenus, grauis, acutus, creber, extentus, vbi viſum eſt, vibrans, ſummus, medius, imus. Breuiterque omnia tam paruulis in faucibus, quæ tot exquiſitis tibiarum tormentis ars hominum excogitauit: vt non ſit dubium hanc ſuauitatem præmonſtratam efficaci auſpicio, cum in ore ſteſichori cecinit infantis. Ac ne quis dubitet artis eſſe, plures ſingulis ſunt cantus, nec iidem omnibus, ſed ſui cuique. Certant interſe, palàmque animoſa contentio eſt. Victa morte finit ſæpè vitam, ſpiritu prius deficiente, quam cantu. Meditantur aliæ iuniores, verſuſque quos imitentur accipiunt. Audit diſcipula intentione magna & reddit, vicibus reticent,

Intel-

Intelligitur emendatæ correctio, & in docente quædam reprehenſio. *Plinius hiſt. nat. l. 10. c. 29.*

Luſciniam, auditores, vnam ex auibus maximè ſolent ij, qui naturas animalium ſcribunt, admirari, quod in tam paruo corpuſculo tam clara, tam ſuauis, tam magna, tam iucunda vox inueniatur: quod verno tempore, cum frondeſcere arbores incipiunt, diebus, ac noctibus perpetuis ſine vlla intermiſſione canere ſoleat, vnde enim in auicula tam pertinax ſpiritus? vnde vis illa continendæ animæ in canendo tantæ, & vna continuatione cantionis viuæ contentiones vocis, & remiſſiones contineantur? vnde tam artificioſa, tamque perfecta muſicæ ſcientia, tam ingenioſa modulatio, tam gratus auribus ſonus, qui modò in longum continuò ſpiritu trahatur, modo ſumma quadam cum varietate flectatur, nunc conciſa voce diſtinguatur, nunc intorta copuletur? Quid cum iterum vocem reuocat, ex integra comprehenſione cantum edit? quid cum modulos, nec inopinato, derepenteque commutat? quid cum ipſa ſecum iucunda, & tacita murmurat? nulla mehercule tam abſtruſa, tam difficilis eſt cantio, quam non exprimat luſcinia, plenam, grauem, acutam, crebram, extentam, ſummam, mediam, imam. Quid plura? Iam paruulis in faucibus omnia, quæ tanto labore, tanta induſtria, tanto ſtudio, tot inuentis inſtrumentis genera cantionum ars hominum excogitauit, integra, atque perfecta reperiuntur. *P. Cauſſinus ex Geſnero l. 11.*

## *Grues.*

INducias habet gens Pygmæa abſceſſu gruum (vt diximus) cum ijs dimicantium. Immenſus eſt tractus, quo veniunt, ſi quis reputet à mari Eoo. Quando proficiſcantur conſentiunt: volant ad proſpiciendum altè: ducem, quem ſequantur, eligunt: in extremo agmine per vices, qui acclament, diſpoſitos habent, & qui gregem contineant. Excubias habent nocturnis temporibus lapillum pede ſuſtinentes, qui laxatus ſomno, & decidens, indiligentiam coarguat. Cæteræ dormiunt capite ſubter alam condito, alternis pedibus inſiſtentes. Dux erecto prouidet collo, ac prædi-

prædicit. Eædem manſuefactæ laſciuiunt, gyroſque quoſdam in decoro curſu, vel ſingulæ peragunt. Certum eſt, Pontum tranſuolaturas, primum omnium anguſtias petere, inter duo promontoria Crimetopon, & Carambim: mox ſaburra ſtabiliri; Cum medium tranſierint abijci lapillos è pedibus: Cum attigerint continentem, & è gutture arenam.
*Plinius hiſt. nat. l. 10. c. 23*

Grues quum loca calidiora petentes maria tranſmittant, trianguli efficere formam: eius autem ſummo angulo aer ab ijs aduerſus pellitur, deinde ſenſim ab vtroque latere tanquam remis, ita pennis curſus auium leuatur. Baſis autem trianguli, quam efficiunt grues, ea tanquam à puppi ventis adiuuatur, eæque in tergo preuolantium colla & capita reponunt: quod quia dux ipſe facere non poteſt, quia non habet vbi nitatur, reuolat vt ipſe quoque quieſcat: in eius locum ſuccedit ex ijs quæ aquierunt, eaque viciſſitudo in omni curſu conſeruatur.
*Cicero l. 2. de nat. deor.*

## *Gallus.*

GAllinaceos mares niſi ſalaciſſimos habere non expedit. atque in his quoque ſicut in fæminis, idem color, idemque numerus vnguium: ſtatus altior quæritur. Sublimes ſanguineæque, nec obliquæ criſtæ: rauidi, vel nigrantes oculi: breuia, & adunca roſtra: maximæ, candidiſſimæque aures: paleæ ex rutilo albicantes, quæ velut incanæ barbæ dependent: iubæ deindè variæ, vel ex auro flauæ per colla, ceruiceſque in humeros diffuſæ: tum lata & muſculoſa pectora, lacerti æquè ſimiles brachijs, alæ tum proceriſſimæ: caudæ duplici ordinæ ſingulis vtrinque prominentibus pinnis inflexæ, quin etiam vaſta ſemina, & frequenter horrentibus plumis hirta: robuſta crura, nec longa, ſed infeſtis velut ſudibus nocenter armata. mores autem quamuis non ad pugnã, neque ad victoriæ laudem præparentur, maximè tamen generoſi probantur, vt ſint elati, alacres, vigilaces, & ad ſæpius canendum prompti, nec qui facilè terreantur: nam interdum reſiſtere debent,

& protegere coniugalem gregem: quin attollentem minas ſerpentem, vel aliud noxium animal interficere. *Collumela l. 8. de re ruſt. c. 2.*

Proximè gloriam ſentiunt & hi noſtri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoque ſomno natura genuit. Norunt ſidera, & terras, diſtinguunt horas interdiu cantu. Cum Sole eunt cubitum, quartaque caſtrenſi vigilia ad curas laboremque reuocant. Nec Solis ortum incautis patiuntur obrepere, diemque venientem nunciant cantu, ipſum verò cantum plauſu laterum. Imperitant ſuo generi, & regnum, in quacunque ſunt domo exercent. Dimicatione pariter hoc quoque inter ipſos, velut ideo tela agnata cruribus ſuis intelligentes. nec finis ſæpe commorientibus. Quod ſi palma contingit, ſtatim in victoria canunt, ſeque ipſi principes teſtantur. Victus occultatur ſilens, ægrèque ſeruitium patitur. Et plebs tamen æquè ſuperba graditur ardua ceruice, criſtis celſa cælumque ſola volucrum aſpicit crebrò, inſublime caudam quoque falcatam erigens: ita que terrori ſunt etiam leonibus ferarum generoſiſſimis. *Plinius nat. hiſt. l. 10. cap. 21.*

## *Auicula Americana multicolor.*

Vidimus quoque, nec rarò, genus auicularum tinnulum, ac (ni fallor) etiam canorum. Gryllorum magnitudinem habet; neque ſuprà. tamen interim abſolutiſſimo gaudet pennarum ac plumularum veſtitu; præfixoque capiti roſtello, de clunibus caudam trahit. Pennularum nitor verſicolor lucet: ſic, vt ſmaragdinum virorem ſplendor ſapphirinus; purpuram verò luteus auri fulgor, prouocet. Denique quidquid oculos trahit colorum: id omne ſupra pauonum, & iridis varietatem, in illo volucri breuiariò natura miſcet; miſtumque, denuò ſecernitur: haud ineleganti compoſitæ venuſtatis diſcordia. *P. Io. Biſſelius Argon. Amer. l. 14. n. 6.*

## *Auium volatus aut inceſſus multiplex ac varius.*

OMnibus animalibus reliquis certus & vnius modi, & in ſuo cuique genere inceſſus eſt: aues ſolæ vario meatu feruntur & in terra, & in aere. Ambulant aliquæ, vt cornices: ſaliunt aliquæ vt paſſeres, merulæ: currunt, vt perdices ruſticulæ: ante ſe pedes iaciunt, vt ciconiæ, grues: expandunt alas, pendentesque raro interuallo quatiunt, aliæ crebrius, ſed & primas duntaxat pennas: aliæ & tota latera pandunt: quædam verò maiore ex parte compreſſis volant, percuſſoque ſemel aliquæ, & gemino ictu aere feruntur: velut incluſum eum prementes, eiaculantur ſe ſe in ſublime, in rectum, in pronum. Impingi putes aliquas, aut rurſus ab alto cadere has, illas ſalire. Anates ſolæ, quæque ſunt eiuſdem generis, in ſublime protinus ſe ſe tollunt, atque è veſtigio cælum petunt, & hoc etiam ex aqua. Itaq; in foueas quibus feras venamus, delapſæ ſolæ euadunt. Vultur, & ferè grauiores, niſi ex procurſu, aut altiore cumulo immiſſæ non euolant, cauda reguntur. Aliæ circunſpectant, aliæ flectunt colla. Nonnullæ veſcuntur ea, quæ rapuere pedibus. Sine voce non volant multæ: aut è contrario ſemper in volatu ſilent. Subrectæ, pronæ, obliquæ, ia latera, in ora, quædam & reſupinę feruntur, vt ſi pariter cernantur, plura genera non in eadem natura meare videantur.

*Plinius nat. hiſt. l. 10. c. 38.*

- *Alias auium deſcriptiones videre poteris apud Plinium, qui lib. 10. cap. 8. deſcribit Accipitres, cap. 12. Cornicem, & Coruum; Anſeres cap. 22. Coturnices cap. 23. quas etiam Solinus c. 6. Halcyonem idem Plinius l. 10. c. 32. & P. Pontanus vol. 3. par. 1. prog 19.*

*Perdices deſcribit Solinus cap. 12.*

*Præterea videndus P. Melch. de la Cerda in Campis eloq. vol. 1. vbi deſcribit Alaudam ſiue Galeritam, Anatem, Anſerem, Ardeam, Bubonem, Carduelem, Columbam, Ciconiam, Coturnicem, Cuculum, Cygnum, Gallopauum, Indicum, Hirundinem, Miluum, Noctuam, Paſſeram, Perdicem, Phaſianum, Struthionem, Turturem, Turdum.*

ANI-

# ANIMALIA INSECTA VOLVCRIA.

## *Apes.*

SEd inter omnia ea principatus apibus, & iure præcipua admiratio, Solis ex eo genere hominum cauſa genitis. Mella contrahunt, ſuccumque dulciſſimum atque ſubtiliſſimum, ac ſaluberrimum. Fauos confingunt,& ceras.Illæ ad vſus vitæ laborem tolerant, opera conficiunt, rempublicam habent, conſilia priuatim, ac duces gregatim:& quod maximè mirum ſit, mores habent. Hyeme conduntur. Vnde enim ad pruinas,niueſque:& Aquilonum flatus perferendos vires? Sanè & inſecta omnia. Circa apes aut temporum, locorumque ratio mutata eſt,aut errauerunt priores. Conduntur à Vergiliarum occaſu, ſed latent vltra exorium: adeo non ad veris initium, vt dixere, nec vt quiſquam in Italia de alueis exiſtimat. Ante fabas florentes non exeunt ad opera, & labores, nullusque cum per Cœlum licuit,otio perit dies. Primum fauos conſtruunt, ceram fingunt,hoc eſt,domos, cellasque faciunt. Deinde Sobolem poſtea mella, ceram ex floribus, melliginem è lacrymis arborum, quæ glutinum pariunt, ſalicis, vlmi, arundinis, ſucco,gummi reſina. His primum alueum ipſum intus totum, vt quodam tectorio illinunt, & alijs amarioribus ſuccis contra aliarum beſtiolarum auiditates. id ſe facturas conſciæ, quod concupiſci poſſit. His deinde fores quoque latiores circunſtruunt.Ratio operis hæc: interdiu ſtatio ad portas more caſtrorum, noctu quies in matutinum, donec vna excitet gemino,aut triplici bombo,vt buccino aliquo Tunc vniuerſæ prouolant, ſi dies mitis futurus eſt. Prædiuinant enim ventos,imbreſque & tum ſe continent tectis.Itaque temperie Cœli ( & hoc inter preſcita habent ) cum agmen ad opera proceſſit, aliæ

flores aggerunt pedibus, aliæ aquam ore, guttasque lanugine totius corporis. Quibus eſt earum adoleſcentia, ad opera exeunt, & ſupra dicta conuehunt: ſeniores intus operantur. Quæ flores comportant prioribus pedibus femina onerant, propter id natura ſcabra, pedes priores roſtro: totæque onuſtæ remeant ſarcina pandatæ. Excipiunt eas ternæ, aut quaternę atq; exonerant. Sunt enim intus quoque officia diuiſa. Aliç ſtruunt, aliç poliunt, aliç ſuggerũt, aliç cibũ cõparant ex eo, quod allatum eſt. Neque enim ſeparatim veſcuntur, ne inæqualitas operis, & cibi fiat, & temporis. Struunt orſæ à concameratione aluei, textumq; vel vſque ad ſumma tecta deducunt, limitibus binis circa ſingulos arcus, vt alijs intrent, alijs exeant. Faui ſuperiore parte affixi, & paululum etiam lateribus ſimul hęrent, & pendent vna.

*Plinius nat. hiſt. l. 11. c. 5. & 10.*

Inde vt adoleuit apum iuuentus, & ad ſimiles labores ætas roborata conualuit, relinquitur liber parentibus locus. Et ne coacta in anguſtum multitudo noua turba laboret, quaſi habita verecundiæ ratione, cedit populus minor, ſuſpenſumq; proximis ramis examen humanas manus expectat. Acceptas cum fide colit ſedes. Et cum ingenia noſtra, quæ nos ſcilicet ambitioſi noſtri æſtimatores proxima diuinis credimus, ad percipiendas diſciplinas multo labore deſudent, nulla apis niſi artifex naſcitur. Quid credas aliud, quam diuinę partem mentis his animis ineſſe. Quid præcipuum referas? Non vt cætera animalia per paſtus vaga incertum quieti capiunt cubile noctis arbitrio ſemper habitatura, ſed tutas ſedes continent, vrbes tectis, turbis populos imitantur. Non vt fere volucres, non vt præſentis modo cibi memores in diem viuunt, duraturus hyemi reponitur victus, & repletis vere cellis tutus annus eſt. Et iam cum ad humanos vſus opera ſubducta ſunt, reparare amiſſa contendunt, & labor damno inceditur, & nunquam deficit animus, antequam locus. Quid? quod inter animalia, quæ non verba coniungunt, non verba rationis inuicem negant, tantus operis conſenſus eſt, tanta difficillimæ rei, laboris concordia? Non humano vitio in proprios quæque vſus lucrum ducit, in publicum viuitur, & communes opes congeruntur in medium,

nec fas eſt delibare guſtu, priuſquam plena horrea ſecuros ſpondeant menſes. Quis porro tantus ardor operis, quæue officiorum partitio, vt aliæ congerant onera, aliæ accipiant, aliæ liniant? Quæ ſeueritas in caſtiganda inertia? multa dictu, viſuque miranda: præuidere tempeſtates, nec dubio ſe cælo tradere, nec vltra viciniam nubilo tendere. Nam ſi leues aura iniquior rapuit, ad dirigendos in deſtinata curſus modico lapilli pondere librare pennas. Illas maiorum pectorum totis pro rege caſtris procurrere, & inire bella mortemque honeſtam pro duce oppetere. Adijce, quod ſi, quas, aut ætas longior, aut morbus oppreſſit, efferuntur prius corpora, poſteriorque operum, quam funerum cura eſt.

*P. Cauſinus de Eloq. lib. 10. c. 17. ex Quintil. decl. 13.*

## *Culex.*

IN his tam paruis, atque tam nullis, quæ ratio, quanta vis, quam inextricabilis perfectio? Vbi tot ſenſus collocauit in culice? vbi viſum in eo prætendit? vbi guſtatum applicauit? vbi odoratum inſeruit? vbi verò truculentam illam, & portione maximam vocem ingenerauit? qua ſubtilitate pennas adnexuit? prælongauit pedum crura? diſpoſuit ieiunam caueam vti aluum? auidam ſanguinis, & potiſſimum humani ſitim accendit? telum verò perfodiendo tergori quo ſpiculauit ingenio? Atque vt in capaci cum cerni non poſſit exilitas, ita reciproca geminauit arte, vt fodiendo acuminatum pariter ſorbendoque fiſtuloſum eſſet. *Plinius lib. 11 hiſt. nat. c. 2.*

## *Papilio.*

PApilio vermiculus eſt de gente muſcarum, cui natura in tam amplo vægrandium alarum inſtrumento, & ingenti ventris collatiui, & inteſtinorum apparatu, vacuum cerebello capitulum admolita eſt. Cæterum ignaus hic terræ filius iners, ac ſordidus, & in vita ſemper inglorius, mortem aliquando naſciſcitur perilluſtrem. Etenim ſi fortè primis ſe

incedentibus tenebris, lucernam crepero ſplendore vacillare viderit è regione: continuo expaſſo alarum remigio velificatur ad ignem: mox inſidioſa coloris blandientis illecebra deductus propius ad ardorem ſuum, primò quidem, veluti ciuilibus aſſentatus officijs, ambitioſus ſupparaſſitator aduolitat; tum quaſi fælicitati ſuæ coronidem ſupremam impoſuerit; triumphali pennarum laſciuia, ſtrepituque feſto bomborum tripudiat, ceu perſtrepat Hymenæum ad tædam. Sed ò verſatiam fortunæ vertiginem papilionibus etiam aduerſariam Lucerna in tam feſtiuo circulatoris ſui tripudio riſum tenere non poteſt; cachinnum mouet: in tam ſonoro glorioſi bambalionis triumpho tormentum ſuum explodit: in tam rauco ſtridentis bombomachidis tonitruo fulgurillum eiaculatur, hoc eſt, leuem ſcintillulam ellychnio crepente diſcludit, quæ ſummæ pennarum plumulæ adhæreſcens affigit igniculum erumpentem ſenſim in flammas. Ecce tibi per alas crepitat effuſum incendium, & conceptis vndique facibus iactabundus magnoque pennarum ſtrepitu reluctans Libitinæ vermiculus communi demum cedit fato mortalium, & in ipſa felicitatis ſuæ, quaſi fabulæ cataſtrophe, dicit humanis rebus, Valete, & Plaudite.
*P. Leo Sanctius florid. l. 1. praf. 5.*

## *Papilio diſcolor.*

PApilionem credo noſtis, hunc ergo laudans, naturam laudo, cujus induſtria ſolertius eſt elaboratus. animalculum eſt, vt in vrbibus rarum, ſic in agris frequens, corpus illi plenum, molle, tenerum, flexile, paulatim in exiguam longitudinem gracileſcens, cui ſuper ſparſus teneræ lanuginis decor effloreſcit, extant veluti porrecta minutiſſimis filis cornua, quæ intermicantium oculorum iucundus fulgor irradiat: ſed præcipuum in penniculis miraculum, quippe ſuprà tenuis corpuſculi modulum explicatæ gemmant floribus, nitent purpura micant auro, ſtellis radiant, his veluti remigijs libratus in aerem. & ridente paſſim verni temporis amœnitate per gemmeam florum luxuriem volitat ludibundus,

bundus, ad ſingulas penè ſtirpes adhæreſcens. modò delicatiſſima proboſcide foliorum ſuccos pabulatur, modò molliter quieſcit inter odorum delicias, modò redintegrato volatu ſuperbius emicat,& inſultantium puerorum manus ſexcentos in aere mæandros, & flexus pingens cludit. *P. Cauſinus de Eloq.l.2.c.21.*

## *Cicindela noctiluca.*

ILlud memoratu iucundius. condito iam die primis in noctem ſe ſe intendentibus tenebris per hunc æſtum ſpectaculo ſunt otioſis Cicindelæ noctilucæ ſanè frequentes, interuolantque paſſim,vti ſub humido fit ex herbeſcente viriditate ſubortæ per impluuium ſilentio peruagantur. primò quidem attonitis ad volucris ignis oſtentum felibus,& veluti miraculo defixis: mox ad proximam prædam neſcio quam ſibi viſam inhiantibus, & aperto nunc adſultu vadentibus, nunc ex inſidioſo ſpeculatu ſenſim prorepentibus, nunc in ignitas beſtiolas audacter exertis vnguibus, & collucentibus oculis inceſſentibus, & inane ludibrium diſcerpere nequicquam conantibus. Interim pyrolampades facilè periculum euitant diſperſim impune volitantes hiantem prædonem viciſſim pinnarum nunc explicatu fulgentes irritant, nunc compreſſu ſcintillulam obducentes eludunt. *P. Stephonius proſa 18.*

# AQVATICA, ET MARITIMA.

## *Mare.*

AT vero quanta maris eſt pulchritudo? quæ ſpecies vniuerſi? quæ multitudo & varietas inſularum? quę amænitates orarum ac littorum? quot

genera, quamque diſparia partim ſubmerſſarum, partim fluitantium & innantium belluarum, partim ad ſaxa natiuis teſtis inhærentium? ipſum autem mare ſic terram appetens littoribus cludit, vt vna ex duabus naturis conflata videatur.
*Cicero lib. 2. de nat Deor.*

Cum in hoc tam pertinaci conatu diu ſe Auguſtinus improbè fatigaſſet, neque tamen, vt quidquid inceperat, exitum in re ardua reperiſſet, æger animi, circumſpicit æſtuantis Oceani campos, alibi quidem velut ſtato æquore iacentes: alibi vero immenſis fluctibus, iam in alta montium, iam in vallium profunda, alternante fremitu recedentes. In eo ſpectaculo cæpit animus, vt ſæpe fit, ab inſtituto, ad vaſtam Oceani magnitudinem imprudens diuertere. nec deerat ſanè materies, quæ admirantis ingenio ſe indulgeret. Iam ipſa vndarum congeries infinita, ad lunę imperium exundans. Iam perennis reciprocatio, qua pelago in ſe recedente, mox nudantur littora, produntur vada, deſolantur nauigia: quæ eodem mox euagante fluctu, rurſus omnia ſubruuntur. Ad hæc Belluarum ibi natantium monſtra, & inſularum immenſa ſpatia: ſpumantibus vndis colliſa Ceraunia, & diſcordium ventorum æterna prælia; & hæc huiuſmodi plus ſexcenta ſe ſe Auguſtino obijciebant; in quibus vel ſingulis multorum admiratio laboraſſet.
*R. Iac. Bidermanus l. 3. Acroam. V. num. 74.*

## *Maris acceſſus, & receſſus.*

TErtio iam die mixtum flumini ſubibat mare, leni aduc æſtu confundente diſpares vndas. Tum aliam Inſulam medio amni ſitam euecti paulò lenius, quia curſus æſtu remorabatur, applicant claſſem, & ad cōmeatus petendos diſcurrunt, ſecuri caſus eius, qui ſuperuenit ignaris. Tertia ferme hora erat cum ſtata vice Oceanus exæſtuans inuehi cæpit, & retrò flumen vrgere. Quod primò coercitum deinde vehementius pulſum maiore impetu aduerſum agebatur, quam torrentia præcipiti alueo incurrunt. Ignota vulgo freti natura erat, monſtraque, & iræ Deum indicia cernere videbantur, identidem
intume-

intumeſcere mare, & in campos paulò ante ſiccos deſcendere ſuperfuſum. *Et infra.*

Iamque æſtus totos circa flumen campos inundauerat; tumulis duntaxat eminentibus velut inſulis paruis, in quos plerique trepidi omiſſis nauigijs, enare cæperunt. Diſperſa claſſis partem in prealta aqua ſtabat, quà ſubſederant valles, partim in vado hærebat, vt cunq; inæquale terræ faſtigium occupauerant vndæ, cum ſubito n[illegible]us, & priſtino maior terror incutitur, reciprocare cæpit mare, magno tractu, aquis in ſuum fretum recurrentibus, reddebatque terras paulo ante profundo ſalo merſas. Igitur deſtituta nauigia alia præcipitantur in proras, alia in latera procumbunt. Strati erant campi auulſarum tabularum remorumque fragmentis. Miles nec egredi in terram nec in naues ſubſiſtere audebat, i[illegible]entidem præſentibus grauiora, quæ ſequerentur expectans. Vix quæ perpetiebantur videre ipſos credebant in ſicco naufragia, in amni mare. *Et infra.*

Tota nocte inter vigilias adhortationeſque conſumpta, celeriter, & equites ingenti cauſa refugere, & ſecutus eſt æſtus. Qui primo aquis leni tractu ſubeuntibus, cæpit leuare nauigia, mox totis campis inundans etiam impulit claſſem, plauſuſque militum nauticorumque inſperatam ſalutem immodico celebrantium gaudio littoribus, ripiſque reſonabat. Vnde tantum rediſſet ſubito mare, quo pridie refugiſſet. quæ nam eſſet eiuſdem elementi natura, modo diſcors, modo imperio temporum obnoxia, mirabundi requirebant. *Q. Curtius lib. 9.*

Dicta eſt ora noſtri maris dictæ inſulæ, quas amplectitur. reſtat ille circuitus, quem (vt initio diximus) cingit Oceanus, ingens & infinitum pelagus, & maguis æſtibus concitum (ita enim motus eius appellant) modò inundat campos, modò latè nudat, ac refugit, nunc alios alioſque in vicem, neque alternis acceſſibus, nunc in hos, nunc in illos impetu verſum: ſed vbi in omnia littora, quamuis diuerſa, terrarum, inſularumque ex medio pariter effuſum eſt, rurſus ab illis colligitur in medium, & in ſemetipſum tanta vi ſemper immiſſum, vt vaſta etiam flumina retro agat, & aut terreſtria deprehendat animalia, aut marina deſtituat: neque adhuc ſatis cognitum

eſt anhelitu ne ſuo id mundus efficiat,retractamque eum ſpiritu regerat vndam vndique, ſi (vt doctioribus placet) vnum animal eſt; an ſint depreſſi aliqui ſpecus, quò reciproca maria reſidant, atque inde ſe rurſus exuberantia attollant: an luna cauſas tantis meatibus præbeat; ad ortus certè eius, occaſuſque variantur, neque eodem aſſiduè tempore, ſed vt illa ſurgit ac demergitur, ita recedere atque aduentare comperimus. *Pompon. Mela l.3 cap.1.*

Sed æſtus maris accedere,& reciprocari, maximè mirum pluribus quidem modis verum cauſa in Sole, Lunaque. Bis inter duos exortus lunæ affluunt,biſque remeant, vicenis quaterniſque ſemper horis, & primum attollente ſe cum ea mundo intumeſcentes, mox à meridiano cæli faſtigio vergente in occaſum reſidentes, rurſumque ab occaſu ſuper cæli ima, & meridiano contraria accedente inundantes,hinc donec iterum exoriatur ſe ſorbentes.Nec vmquam eodem tempore, quo pridie,reflui,vt ancillante ſidere, trahenteque ſecum auido hauſtu maria, & aſſiduè aliundè quàm pridie exoriente: paribus tamen interuallis reciproci,ſeniſque ſemper horis,non cuiuſque diei, aut noctis, aut loci,ſed æquinoctialibus: ideoque inæquales vulgarium horarum ſpatio, vtcunque plures in eas aut diei, aut noctis illarum menſuræ cadunt, & Aequinoctio tantùm pares vbiq; Multiplex etiamnum lunaris differentia,primumque ſeptenis diebus: quippe modici à noua ad diuiduam æſtus pleniores ab ea exundant, plenaque maximè feruent, indè miteſcunt. pares ad ſeptimam primis: iterumque alio latere diuidua augentur, in coitu Solis pares plenæ: eadem Aquilonia & à terris longius recedente mitiores, quàm cum in Auſtros digreſſa propiore niſu vim ſuam exercet. Per octonos quoque annos ad principia motus,& paria incrementa centeſimo lunæ reuocantur ambitu,augentibus ea cuncta Solis annuis cauſis,duobus Aequinoctijs maximè tumentes,& autumnali amplius quàm verno, inanes verò bruma, & magis ſolſtitio. Nec tamen in ipſis quos dixi, temporum articulis, ſed paucis poſt diebus: ſicuti neque in plena,aut nouiſſima,ſed poſtea: nec ſtatim vt lunam mundus oſtendat,occultetue, aut media plaga declinet, verùm duabus fere

horis Aequinoctialibus ſerius; tardiore ſemper ad terras omnium, quæ geruntur in cælo effectu cadente, quam viſu, ſicuti fulguris, & tonitrus, & fulminum.
*Plinius lib. 2 nat. hiſt. c. 97*

# N A V E S.

## *Nauis Prætoria ornatiſſimæ.*

PRætoria Radirobanis regij faſtigij opulentia inſignis, ſtabat religata anchoris tribus, Ab omnibus velis inutiles, & ex ſolo luxu pendentes laciniæ aura rapiente ludebant in aere. Cornua, & antemnæ fluitantibus quoque vexillis incumbentem ventum temere ſequebantur. Multiplices autem à tribus malis funes, religabantur ad latera nauis; ſpeciemq; procul viſcentibus aut ampliſſimi retis, aut detecti tentorij præbebant. Puppem Helena cum fratribus illuſtrabat trium ſyderum auro. At nautæ eo die non ſordidi, in cæruleis erant veſtibus: & vel inſtabant officio, vel antemnis, ac funibus, ad artis ſuæ ſpecimen, tanquam alis ferebantur. Eadem remiges veſtis in tranſtris ornauerat. Milites armorum, & ſagulorum pretioſiſſima erant induti.
*Io: Barclaius Argen. l. 2.*

## *Nauis vaſtæ magnitudinis vulgo Galeone.*

ALterum genus erat earum nauium, quæ non niſi ventis ad velorum remigium laborantibus impelluntur. Quæ, quoniã cum nauibus ſolum veliferis ita rotunditate formæ conuenirent, vt tamen à triremibus aliquid longitudinis haberent, & vtraſque mole ſuperarent, nominari Galeones cæptæ ſunt. Ego ingentes Gaulos (ſic enim genus nauigij non planè rotundi dictum apud veteres lego) libentius appellabo, niſi forte Oppida pelago innatantia appellari

quis malit, ſi & populum oppido parem intra eſ tecta, pluribus diſtincta contignationibus habitantem: & arces defendendæ vrbi validas, è prora puppique ſurgentes. ſed nihil æquè huiuſce nauigij magnitudinem firmitatemque oſtendebat, ac grandium pondera tormentorum. Caſtella, fori ad roſtrum, ad clauum, infra ſuperaque tabulata, & quidem duplici ordine, tormentis in hoſtem minantibus armabantur. Profecto non denſior hiſpidiorque ſentibus ſuis hiſtrix aduerſus circumlatrantes canes inſtruitur, quum in ſe ſe conglobata cutem intendit. & aculeos eiaculatur; quam crebra hæc tormentis & minax moles, ita ſuis vndique miſſilibus communiebatur, vt vndecunq; inſerētem ſe hoſtem, promptis qua qua verſum emiſſionibus abſterrere poſſet.
*P. Famianus de bello Belg. dec. 2. l. 9.*

## *Quinqueremis longior vulgo Galeazza.*

ALterum earum, quæ velis ac remis aguntur, ſed reliquis triremibus tertia omnino parte longiores, latioreſque. Non enim ſolum præalta proræ, puppiſque propugnacula multo milite ac tormentis armauerant, ſed maxime coſtas ac latera, ſingulos inter ſcalmos ac remigum tranſtra, ſingulis tormentis ità in orbem inſtruxerant, vt quocunque ſe nauigium obuerteret, æquè noxium fulminaret. ex hoc fiebat vt quum hæc remigum ſcamna, ob interiecta tormenta multò. hic latius, quam in cæteris triremibus inter se diſtarent, ob hanc interſcalmiorum magnitudinem, longiore forma nauigium extenderetur. Quamobrem ſicuti veteres ſcriptores diſtinguere à communibus nauigijs triremes conſueuere, eas longarum nomine appellantes: ſic ab ipſis nauibus longis, hoc genus nauium, quæ propter immanem hanc formam Gale aſſe vulgo dicuntur, longiorum appellatione diſtinguere non in congruum fuerit. Tales in Naupactea pugna à Venetis primùm

inductæ

inductæ victoriam Chriſtianæ Reipublicæ perpetuò memorabilem peperere. *P. Famianus. de bello belg. dec. 2. l. 9.*

## *Naues Braſilicę ex vna trabe.*

SVnt canoæ aſtuarij lintres ex vna continenti trabe excauati: ſed quibus vtuntur ad bella; aluei magnitudine præſtantijs, quarum vſus ad quotidianas nauigationes adhibetur. Quæ eo facilius in hac ora parantur, quòd ob aquarum copiam arborum immani trunco magno numero ſyluæ luxuriant; neque vlla quantumuis vetuſtiſſima ætate exſcindantur. earum latitudo non ita magna à quinque in ſeptem vlnas aperitur, prout maior minorue trabis eſt latitudo. Longitudo qua minimū in ſexaginta, qua plurimùm in vlnas octoginta extenditur. Forma alueique conformatione ad agendum faciles, ac leues Remis, velíſque aguntur, celeritate tanta, vt noſtratibus biremibus non cedant: quadragenos quinquagenoſque, plus minuſue ſingulæ vehunt remiges; iidem bellatores, ſuo quiſque arcu, & ſagittarum faſce inſtructi, quibus præliantur; & cum opus eſt, ſuo ſe quiſque remo (ſtantes enim rémigant) tanquam clypeo tegunt: Eiuſque rei cauſa etiam circa manubrium habent palmulas. Alij præterea & à puppi, & à prora, ac non pauci ex ipſo medio alueo fiſtulis ferreis armati bellatores adduntur. Videas interdum duas aduerſas ipſarum acies, ad militarem artem oſtendendam, belli naturam imitantes, tanto impetu inter ſe concurrere, tanto ardore contentioneque militari, admiſſo clamore prælia ciere, vt horribiliorem pugnæ ſpeciem non deſideres. *P. Sebaſt. Berettar. in Vita Ioſ. Anch. l. 2.*

## *Nauis allegorica Grammaticorum.*

GRammaticorum claſſis eſt. In Prætoria illa quadriremi, tanti exercitus Agamemnon Priſcianus ignorantiæ arcem expugnaturus magnis itineribus caſtra mouet. Paupertas, & Patientia nauigationis

tionis huius peritiſſimæ ſua ſydera, pro Cinoſura, lucidas monetas inſpiciunt, ex quarum obſeruatione, gubernaculum regi iubent. Porro Priſcianus emblema geſtat in galea, ferulam, ſub qua legitur hemiſtichium, ſubde manum. In prora, Donatus ſedet, adhortatuſque ſuos illa voce: Ianua ſum rudibus, proximos ignorantiæ impetus ſuſtinet, & propulſat. Pueruli innumerabiles remos impellunt lacrymantes per verba actiua, ſæpiſſimè etiam per paſſiua, vt non ſine cauſa flectere verba Græcorum, ludi magiſtri à verbo Tipto conſueuerint. Nauis totius malum procerum, ac ſolidum, verbum principale ſubrigit, cui nititur velum latiſſimum, quod ſubtiliſſima textura latinæ orationis genitiuis, datiuis, ſingularibus, & pluralibus immixta contexuit; in qua tanquam in auleo picturæ non deſunt: conſtructio figurata conſpicitur, in qua Enallage, Zeugma, Syllepſis, & Archaiſmus; Prolepſis & Helleniſmus, tria paria deſultorum choreas inſtituunt, ſaltitantque, cytharam pulſante Guarino. In charcheſio, mali ſuprema parte, ſuperlatiua laſciuiunt: bracteolas ornatus gratia concrepantes Pleonaſmi conficiunt: ad imas fimbrias illigata decidit Tapinoſis: aſſeres ſublicijs concordantijs compacti ſunt: Saburra de ſupinis Verborum communium. Verbis imperatiuis non niſi Gubernator, & Magiſter vtitur. Panis biſcoctus diſpenſatur ab arte metrica ad ſyllabarum dimenſionem. Foruli non ſcopis, ſed ferulis euerruntur. Sentina Solæciſmorum, Barbariſmorum ſcatet, colluuione teterrima, exhaurienda ſæpiſſimè. *P. Leo Sanctius l. 1. flor. in Villa nuſ. par. 3.*

## *Naufragium.*

Vide deſcriptiones Tempeſtatis ſupra relatas.

## *Maritima oppugnatio.*

Inde terra marique ſimul captæ oppugnari Syracuſæ: terra ab Hexapilo: mari ab Acradina: cuius murus fluctu alluitur, & quia ſicut Leõtinos terrore ac

ac primo impetu cæperant, non diffidebant, vaſtam, diſiectamque ſpatio vrbem parte aliqua ſe inuaſuros: omnem apparatum oppugnandarum vrbium muris admouerunt. Et habuiſſet tanto impetu cæpta res fortunam: niſi vnus homo Syracuſis ea tempeſtate fuiſſet, Archimedes. Is erat vnicus ſpectator cæli, ſyderumque, mirabilior tamen inuentor ac machinator bellicorum tormentorum, operumque quibus ea, quæ hoſtes ingenti molè agerent; ipſe perleui momento ludificaretur: murum per inæquales ductum colles, pleraque alta & dificilia aditu, ſummiſſa quædam, & quæ planis vallibus adiri poſſent; vt cuique aptum viſum eſt loco, ita omni genere tormentorum inſtruxit. Acradinæ murum, qui vt ante dictum eſt, mari alluitur; ex quinque remibus Marcellus oppugnabat. ex cæteris nauibus ſagittarij, funditoreſque & velites etiam quorum telum inhabile ad remittendum imperitis eſt, vix quenquam ſine vulnere conſiſtere in muro patiebantur. Hi, quia ſpatio miſſiibus opus eſt; procul muro tenebant naues. iunctæ aliæ binæ ad quinqueremes demptis interioribus remis, vt latus lateri applicaretur, cum exteriore ordine remorum velut naues agerentur, turres contabulatas, machinamentaque alia quatiendis muris portabant. aduerſus hunc naualem apparatum Archimedes variæ magnitudinis tormenta in muris diſpoſuit. in eas, quæ procul erant naues, ſaxa ingenti pondere emittebat, propiores leuioribus, eoque magis crebris petebat telis. poſtremò vt ſui vulnere intacti tela in hoſtem ingererent; murum ab imo ad ſummum crebris cubitalibus ferè caueis aperuit; perque caua pars ſagittis, pars ſcorpionibus modicis ex occulto petebant hoſtem. Quæ propius quidem ſubibāt naues; quo interiores ictibus tormentorum eſſent: in eas tollendas deſuper murum eminentem ferrea manus firmæ catenæ aligata cum iniecta proræ eſſet; grauique libramento plumbi recelleret ad ſolum, ſuſpenſa prora nauim in puppim ſtatuebat, dein remiſſa ſubito, velut ex muro cadentem nauim cum ingenti trepidatione nautarum ita vndæ affligebant, vt etiam ſi recta recideret; aliquantum aquæ acciperet. *Tit. Liuius dec. 3. l. 4.*

Poſtera die ad mænia claſſe admota vndique tor-

mentis

mentis & maximè arietum pulſu muros quatit quos Tyrij raptim obſtructis ſaxis refecerunt. interiorem quoque murum, vt ſi prior fefelliſſet illo ſe tuerentur, vndique orſi. ſed vndique vis mali vrgebat, moles intra teli iactum erat, claſſis mœnia circuibat, terreſtri ſimul nauàlique clade obruebantur: quippe binas quadriremes macedones inter ſe ita iunxerant, vt proræ cohærerent, puppes interuallo quantum capere poterant diſtarent: hoc pupium interuallum antemnis aſſeribusque validis deligatis, ſuperque eos pontibus ſtratis, qui militem ſuſtinerent, impleuerant. ſic inſtructas remis ad vrbem agebant: inde miſſilia in propugnantes ingerebantur tutò, quia proris miles tegebatur. *Et infra*

Cæterum efficacior omni arte neceſſitas non vſitata modò præſidia, ſed quædam etiam noua admonuit. namque ad implicanda nauigia, quę muros ſubibant validis aſſeribus coruos & ferreas manus illigauerant: vt cum tormento aſſeres promouiſſent, ſubito laxatis funibus inijcerent. Vnci quoque & falces ex iiſdem aſſeribus dependentes, aut propugnatores, aut ipſa nauigia lacerabant. Clypeos verò æneos multo igne torrebant, quos repletos feruida arena, cænoque decocto è muris ſubito deuoluebant: nec vlla peſtis magis timebatur. quippe vbi loricam corpuſque feruens arena penetrauerat, nec vlla vi excuti poterat, & quidquid attigerat, perurebat: iacienteſque arma laceratis omnibus queis protegi poterant, vulneribus inulti patebant. Corui verò & ferreæ manus tormento remiſſæ pleroſque rapiebant. *Q. Curtius lib. 4.*

## *Nauale prælium.*

ITa cognito hoſtium aduentu, ſuas naues ex portu educunt, cum Maſſilienſibus confligunt. pugnatum vtrinque eſt fortiſſimè, atquè acerimè, nequè multum Albici noſtris virtute cedebant, homines aſperi & montani exercitati in armis; atque ij, modo digreſſi à Maſilienſibus recentem eorum pollicitationem animis continebant; paſtoreſque indomiti, ſpe libertatis excitati, ſub oculis domini ſuam pro-

bare

bare operam ſtudebant. Ipſi Maſſilienſes, & celeritate nauium, & ſcientia gubernatorum confiſi noſtros eludebant, impetuſque eorum excipiebant: &, quod licebat latiore ſpatio, producta longius acie circumuenire noſtros, aut pluribus nauibus adoriri ſingulas, aut remos tranſcurrentes detergere ſi poſſent, contendebant; cum propius erat neceſſario ventum, ab ſcientia gubernatorum, atque artificij ad virtutem montanorum confugiebant. noſtri quod minus exercitatis remigibus, minuſque peritis gubernatoribus vtebantur, qui repente ex onerarijs nauibus erant producti, nequedum etiam vocabulis armamentorum cognitis, tum etiam grauitate, & tarditate nauium impediebantur, factæ enim ſubito ex humida materia, non eundem vſum celeritatis habebant. Itaque dum locus quo minus pugnandi daretur, æquo animo ſingulas binis nauibus obijciebant; atque iniecta manu ferrea, & retenta vtraque naue diuerſi pugnabant, atque in hoſtium naues tranſcendebant; & magno numero Albicorum & Paſtorum interfecto, partem nauium deprimunt, nonnullas cum hominibus capiunt reliquas in portum compellunt. eo die naues Maſſilienſium cum ijs, quæ ſunt captæ intereunt nouem *Cęſar lib. 1. de bello ciu.*

Commiſſo prælio Maſſilienſibus res nulla ad virtutem defuit: ſed memores eorum præceptorum, quæ paulo ante ab ſuis acceperant, hoc animo decertabant, vt nullum aliud tempus ad conandum habituri viderentur; &, quibus in pugna vitæ periculum accideret, non ita multo ſe reliquorum ciuium fatum antecedere exiſtimarent, quibus Vrbe, capta, eadem eſſet belli fortuna patienda: deductiſque noſtris paullatim nauibus, & artificio gubernatorum mobilitati nauium locus dabatur; &, ſi quando noſtri, facultatem nacti, ferreis iniectis manibus nauem religauerant, vndique ſuis laborantibus ſuccurrebant. Neque verò coniuncti Albici cominus pugna deficiebant. neque multum cedebant virtute noſtris. ſimul ex minoribus nauibus magna vis eminus miſſa telorum, multa noſtris de improuiſo imprudentibus atque impeditis vulnera inferebant, conſpicatæque naues triremes duæ nauem D. Bruti, quæ ex ſigno facile agnoſci poterat, duabus ex partibus ſe ſe in

cam

eam incitauerant. Sed tantum re prouiſa, Brutus celeritate nauis eniſus eſt, vt paruo momento antecederet, illæ adeo grauiter inter ſe incitatæ, conflixerunt, vt vehementiſſimè vtræque ex concurſu laborarent; altera vero perfracto roſtro tota collabefieret, qua re animaduerſa, quæ proximæ ei loco ex Bruti claſſe, naues erant, in eas impeditas impetum faciunt, celeriterque ambas deprimunt. Sed Naſidianæ naues nulli vſui fuerunt, celeriterque pugna exceſſerunt, non enim has aut conſpectus patriæ, aut propinquorum præcepta ad extremum vitæ periculum adire cogebant. Itaque ex eo numero nauium nulla deſiderata eſt: ex Maſſilienſium claſſe V. ſunt depreſſæ, IV. captæ, vna cum Naſidianis profugit, quæ omnes citeriorem Hiſpaniam petiuerunt, at ex reliquis vna præmiſſa Maſſiliam huius nuncij perferendi gratia, cum iam appropinquaret Vrbi, omnis ſe ſe multitudo ad cognoſcendum effudit: ac re cognita, tantus luctus excepit, vt vrbs ab hoſtibus capta eodem veſtigio videretur. *Cæſar de bello ciu. l. 2.*

Non dubitanter Alexandrini claſſem producunt, atque inſtruunt in fronte collocant XXII. reliquas ſubſidiarias in ſecundo ordine conſtituunt. magnum præterea numerum minorum nauigiorum, & ſcapharum producunt cum malleolis, ignibusque, ſiquid ipſa multitudo & clamor, & flamma noſtris terroris afferre poſſent. Erant inter duas claſſes vada tranſitu anguſto, quæ pertinent ad regionem Africæ, ſic enim prædicant partem eſſe Alexandriæ dimidiam Africæ; ſatiſque diu inter ipſos eſt expectatum, ab vtris tranſeundi fieret initium propterea quod, eo qui intraſſent ad explicandam claſſem, & ad receptum, ſi durior accidiſſet caſus, impeditiores fore videbantur. Rhodijs nauibus præerat Euphranor, animi magnitudine, ac virtute magis cum noſtris hominibus, quam cum Græcis comparandus. Cæſar illum adhortatus, atque omnibus laudibus proſecutus, dat ſignum pugnæ. progreſſas. vltra vadum quatuor Rhodias naues circumſiſtunt Alexandrini; atque in eas impetum faciunt. Suſtinent illi, atque arte ſollertiaque ſe explicant; ac tantum doctrina potuit, vt in diſpari numero nulla tranſuerſa hoſti obijceretur, nullius remi detergerentur; ſed ſemper, venientibus aduerſę ocurrerent.

rerent. interim ſunt reliquæ conſecutæ: tum neceſſario diſceſſum ab arte eſt, propter anguſtias loci; atque omne certamen in virtute conſtitit. Itaque hoc animo eſt decertatum, vt neque maritimis, nauticiſque ſollertia atque ars præſidium ferret neque numero nauium præſtantibus multitudo prodeſſet: neque flexi ad virtutem ex tanta multitudine viri virtuti noſtrorum poſſent adæquari Capitur hoc prælio quinqueremis vna cum defenſoribus remigibuſq; & deprimuntur tres, noſtris incolumibus omnibus; reliquæ propinquam fugam ad Oppidum capiunt; quas protexerunt ex molibus, atque ædificijs imminentibus, & noſtros adire propius prohibuerunt. *Hirtius, ſiue Oppius de bello Alex.*

Dein paucitati ſubueniendum ratus arte, ne à Malabaribus circumueniri poſſet; tormentis, qua parte virium longè præſtabat, eminus rem gerere inſtituit, atque ob id ipſum ex alto directis in prælium nauibus, leni Auſtro flante ſimul & venti beneficium, & congrediendi arbitrium hoſti præripuit. Ac primo ſtatim certamine, cum in ſyluam adeo denſam irrita nulla propemodum ab Luſitanis incideret plaga: neque ex tanto interuallo vel tormenta ferrea, quibus tum vtebantur hoſtes, vel ſulphurei pulueris ollæ, vel ſagittarum imber noſtros admodum læderent; multæ paſſim omnis generis naues hoſtium aut depreſſæ, aut in littus eiectæ. Ac diſſipatis demum ordinibus, quod antea conſultò vitarat Almeida, pugnam è propinquo conſeruit. Prætoria nauis erat hoſtium, tum aluei magnitudine, tum armatorum frequentia inſignis. In hanc harpagonibus ferreis comprehenſam Almeida cum fortiſſimis aliquot bellatoribus incredibili pene auſu tranſilijt; tantoque ardore animi, & corporis dimicatum eſt; vt è ſexcentis propemodum armatis, quot eam tuebantur ſuperfuerit nemo, exceptis ijs, qui nandi peritia freti, ſe in pelagus præcipites dederant. Pari conatu, verum ſucceſſu diſſimili, Nonnius Vaſcus, modica naui & exigua militum manu, multo maiorem, & propugnatoribus inſtructam ferme quingentis inuaſerat, cumque pauci à pluribus circumuenti premerentur, extremo iam in diſcrimine laborantibus victor Almeida ſubuenit; nec modo ſuos è periculo eripuit

ſed

ſed etiam naui hoſtium, trucidato, vel depulſo præſi-dio potitus eſt. Inde iam certa victoriæ inclinatio ad Chriſtianos facta, & Laurentius haud cunctanter inſecutus trepidam ac pauentem hoſtium claſſem; aliquot inſuper naues partim expugnauit partim tormentorum ictibus perforatas demerſit; palatæ aliæ contento curſu Calecutum maxime repetentes, cum longinqua fuga, tum quod eas terror ipſe longè lateque diſtulerat, ex imminenti clade euaſerunt. Almeida tribus circiter hoſtium millibus cæſis, ſex tantum è ſuorum numero deſideratis (quæ res diuinum auxilium ſine vlla dubitatione monſtrauit) captiuas trahens onerarias nouem, ingenti parta præda ſimul & gloria, Cananoris portum, cuius vrbis in conſpectu res erat geſta, magna cum totius populi, ac Regis ipſius gratulatione, ſoſpes introijt.

*P. Maffæus hiſt. indic. l. 3.*

At verò vbi ventum eſt ad pugnæ locum Actiaca olim victoria ab Cæſare Octauiano relata percelebrem: inſtructa vtrinque acie, ipſe apud Marci Antonij Columnæ triremem in media claſſe, ſuam conſcendit, ponè adſtantibus duabus reliquis Genuenſibus. Ac poſt effuſam eminus ſagittarum, pilarumque procellam, concurrentibus iam nauigijs, Alexander in Muſtapham exercitus Quæſtorem intentus, eius triremem, quanta vi poteſt, inuadit, conſertiſque manibus eam longè validiorem, quam putauerat, expertus eſt. Aerarium illa vehebat, eoque prætorianis militibus ſupra trecentos, pleriſque veteranis, ac pugnaciſſimis firmata erat. Quumque diutius ancipiti Marte pugnaretur, ſignis modò illatis, modò repulſis; pudore ſimul, iraque accenſus Alexander, arrepto (cui vibrando aſſueuerat) pręgrandi gladio, in hoſtilem triręmem ſaltu ſe proijcit: ac furenti ſimilis circumducto vtraque manu ferro, latam per hoſtium ſtragem aperuit militibus ſuis viam, exemplo, ac periculo Ducis vſque adeo incitatis, vt iam promptiſſimis quibuſque Turcarum cæſis, reliqui deditionem facile pararent, niſi aduecto illuc valida cum triremi Scanderiæ Præfecto, auctis hoſtium copijs, viribuſque, redintegrata paululum fuiſſet pugna. Sed recentes àtergo milites vna ex Alexandri triremibus ſubmittente, quum Victorum impetum

non

non vltra ſuſtinerent hoſtes,confoſſo multis vulneribus Muſtapha, ſaucioque Scanderiæ Præfecto, mox etiam capto; non modo Quæſtoria illius triremi,ſed huius etiam auxiliari nauigio Alexander potitus eſt: tanta militum ſuorum præda, vt complures fuerint, qui Sultaninorum ( monetæ genus eſt haud minoris aureo Venetorum nummo ) duo millia, aliqui etiam tria ex naui ſanè.Quæſtoria ſecum abſtulerint.præter ea quæ reliquæ duæ per ſe triremes, ex triremibus hoſtium duabus,totidemque biremibus expugnatis, captiſque ſpolia, & manubias reportarunt.

*P. Famianus de bello Belg. dec. 1. lib. 9.*

# CONCHÆ, MARGARITÆ, CORALLIA, AMBRA.

MArgaritas legunt plurimas, maximaſque Conchæ ſunt, in quibus hoc genus lapidum requiritur,quæ certo anni tempore luxuriante conceptu, ſitiunt rorem velut maritum, cuius deſiderio hiant.Et cum lunares maximè liquuntur aſpergines, oſcitatione quadam hauriunt humorem concupitum. Sic concipiunt, grauideque fiunt; & de ſaginæ qualitate reddunt habitus Vnionum. Nam ſi purum fuerit,quod acceperint, candicant orbiculi lapillorum: ſi turbidum, aut pallore langueſcunt, aut ruſo innubilantur. Ita magis de Cœlo, quam de mari, partus habent. Denique quoties excipiunt matutini aeris ſemen, fit clarius margaritum: quoties veſpere, fit obſcurius. Quantoque magis hauſerit, tanto magis proficit lapidum magnitudo. Si repente micauerit coruſcatio, intempeſtiuo metu comprimuntur,clauſæque ſubita formidine vitia contrahunt abortiuæ.

Aut

Aut enim per paruuli fiunt ſcrupuli, aut inanes. Conchis ipſis ineſt ſenſus, partus ſuos maculari timent. Cumque flagrantioribus radijs excanduerit dies, ne fuſcentur lapides ſolis calore, ſubſidunt, & ſe profundis ingurgitant, vt ab ęſtu vindicentur. Huic tamen prouidentię ætas opitulatur. Nam candor ſenecta diſperit, & grandeſcētibus Conchis flaueſcunt Margaritæ. In qua mollis eſt vnio, duratur euiſceratus. Numquam duo ſimul reperiuntur: Vnde Vnionibus nomen datum; vltra, ſemunciales inuentos negant. Piſcantium inſidias timent conchæ: inde eſt, vt aut inter ſcopulos, aut inter marinas cautes plurimum deliteſcant. Gregatim natant. Certa examini dux eſt. Illa ſi capta ſit, etiam quæ euaſerint, in plagas reuertuntur. *Solinus cap. 56.*

## *Corallium.*

QVantum apud nos Indicis Margaritis pretium eſt, de quibus ſuo loco ſatis diximus, tantum apud Indos corallio. Namque iſta perſuaſione gentium conſtant. Gignitur quidem, & in Rubro mari, ſed nigrius; item in Perſico vocatur Iace: laudatiſſimum in Gallico ſinu circa Stæchadas inſulas, & in Siculo circa Heliam, ac Drepanum; naſcitur & apud Grauiſcas, & ante Neapolim Campanię: maximeque rubens, ſed molle, & ideo vtiliſſimum Erythris. Forma eſt ei fruticis, color viridis. Baccæ eius candidæ ſub aqua ac molles: exemptæ confeſtim durantur, & rubeſcunt, quaſi corna ſatiua ſpecie atq; magnitudine. Aiunt tactu protinus lapideſcere, ſi viuat. Itaque occupari, euellique retibus, aut acri ferramento recidi. Hac de cauſa corallium vocitatum interpretantur. Probatiſſimum quammaximè rubens, & quam ramoſiſſimum, nec ſcabroſum, aut lapideum, vel rurſum inane, aut concauum. Autoritas Baccarum eius non minus Indorum viris quoque pretioſa eſt, quàm fęminis noſtris vnionis Indici. *Plinius hiſt. nat. l. 32. c. 2.*

*Ambra*

## *Ambra odoramentum.*

Extra ſinum ante fauces vtroque in littore, tum ad dexteram, tum ad lęuam non contemnenda electri vis, ſeu ambrę colligitur; non quidem illi ſimilis, quod apud nos in Septentrionis oris ex arboribus exſudat: ſed quod pręter vulgatum ambrę nomen, commune cum illo habeat nihil. Colori nullus eſt honos, ad odoramenta adhibitum magno in pretio eſt; vt pari æſtimatione cum auro pendatur. Vnde gignatur, incertum. Eſt illud tantum obſeruatum; maſſam liquidam in fundo maris, ſenſim concretam, cautibus adhæreſcere, coloremque induere ferrugineum, in atrum vergentem; albi etiam coloris non rarò inuenitur, maioris etiam pretij: è cautibus poſtmodum æſtu maris auulſam, quod piſcium, marinarumque auium eſcæ ſupereſt (incredibile eſt enim omne genus piſcium eius cibi quam ſit auidum) in littus eijci: ibi etiam à teſtudinibus, cancris, alijſq; eiuſmodi beſtiolis auidiſſimè vorari: exiguam omnino partem in vſum hominum relinqui.

*P. Sebaſt. Beretarius in Vita Ioſ. Anch. l. 1.*

## *Scylla, & Charybdis.*

PRoximum Italiæ promontorium, Rhegium dicitur, ideo quod græcè ab rupta hoc nomine pronuncientur. Nec mirum ſi fabuloſa eſt loci huius antiquitas, in quem res tot coiere miræ. Primum quod nusquam alias tam torrens fretum, nec ſolum citato impetu, verum etiam ſæuo: neque experientibus modò terribile, verum etiam procul viſentibus. Vndarum porrò inter ſe concurrentium tanta pugna eſt, vt alias veluti terga dantes vorticibus in imum deſidere, alias quaſi victrices ſublime ferri videas. Nunc hic fremitum feruentis æſtus, nunc illic gemitum in voragine deſidentis exaudias. Accedunt vicini, & perpetui Aetnæ montis ignes, & inſularum Aeolidum, veluti ipſis vndis alatur incendium. Neq; enim in tam anguſtis terminis aliter durare tot ſæculis

culis tantus ignis potuiſſet, niſi & humoris nutrimentis aleretur. Hinc igitur fabulæ Scyllam,& Charybdim peperere: hinc latratus auditos,hinc monſtri credita ſimulacra, dum nauigantes magnis verticibus pelagi deſidentis exterriti, latrare putant vndas, quas ſorbentis æſtus vorago collidit.
*Iuſtinus lib. 4.*

# P I S C E S.

## *Marinæ belluæ portentoſæ magnitudinis, & earum pugna.*

BAlænæ & in noſtra maria penetrant. In Gaditano Oceano non ante brumam conſpici eas tradunt, condi autem ſtatis temporibus in quodam ſinu placido,& capaci,mirè gaudentes ibi parere. Hoc ſcire orcas,infeſtam his belluam, & cuius imago nulla repræſentatione exprimi poſſit alia, quam carnis immenſæ dentibus truculentæ. Irrumpunt ergo in ſecreta,ac vitulos earum,& fœtas, vel etiamnum grauidas lancinant morſu,incuſſæque ceu Liburnicarum roſtris fodiunt. Illæ ad flexum immobiles, ad repugnandum inertes, & pondere ſuo oneratæ, tunc quidem & vtero graues, pariendiue pœnis inualidæ, ſolum auxilium nouere in altum profugere,& ſe toto defendere Oceano. Contra, orcæ occurere laborant, ſeſeque opponere, & cautium anguſtijs trucidare,in vada vrgere, ſaxis illidere. Spectantur ea prælia ceu mari ipſo ſibi irato, nullis in ſinu ventis, fluctibus verò ad anhelitus ictuſque quantos nulli turbines volnunt. *Plinius l. 9. nat. hiſt. c. 6.*

## *Delphinus.*

VElociſſimum omnium animalium, non ſolum marinorum, eſt delphinus ocyor volucre, ocyor telo; ac niſi multum infra roſtrum os illi foret medio

medio penè in ventre, nullus piſcium celeritatem eius euaderet. Sed affert moram prouidentia naturæ, quia niſi reſupini, atque conuerſi non corripiunt: quæ cauſa præcipuè velocitatem eorum oſtendit. Nam cum fame conciti, fugientem in vada ima perſecuti piſcem, diutius ſpiritum continuere, vt arcu emiſſi ad reſpirandum emicant: tantaque vi exiliunt, vt plerunque vela nauium tranſuolent. Agunt ferè coniugia: pariunt catulos decimo menſe, æſtiuo tempore, interim & binos: nutriunt vberibus, ſicut balęna: atque etiam geſtant fœtus infantia infirmos. Quin & adultos diu comitantur, magna erga partū caritate. Adoleſcunt celeriter, decem annis putantur ad ſummam magnitudinem peruenire: viuunt & tricenis quod cognitum præciſa cauda in experimentum. Abduntur tricenis diebus circa Canis ortum, occultanturque incognito modo: quod eo magis mirum eſt, ſi ſpirare in aqua nequeunt. Solent in terrā erumpere incerta de cauſa, & ſtatim tellure tacta moriuntur, multoque ocyus fiſtula clauſa. Lingua eſt hi s contra naturam aquatilium mobilis, breuis atque lata haud differens ſuillæ. Pro voce gemitus humano ſimilis, dorſum repandum, roſtrum ſimum. Qua de cauſa nomen Simonis omnes miro modo agnoſcunt, maluntque ita appellari. Delphinus non homini tantum amicum animal, verum & muſicæ arti, mulcetur ſymphoniæ cantu, & precipuè hydrauli ſono. Hominem non expaueſcit, vt alienum: obuiam nauigijs venit, alludit exultans, certat etiam, & quamuis plena præterit vela. *Plin. lib. 9. nat. hiſt. c. 8.*

## *Delphinus cum puero ludens.*

DIuo Auguſto Principe Lucrinum lacum inuectus pauperis cuiuſdam puerum, ex Baiano Puteolos in ludum literarium itantem, cum Meridiano immorans appellatum eum Simonis nomine, ſæpius fragmentis panis, quem ob id ferebat, allexiſſet, miro amore dilexit. Pigeret referre, ni res Mecænatis, & Flauiani, & Flaui Alfij, multorumque eſſet literis mandata. Quocumque diei tempore inclamatus à puero, quamuis occultus, atque abditus,

ex imo aduolabat: paſtuſque è manu præbebat aſcen-ſuro dorſum, pinnæ aculeos velut vagina condens: receptumque Puteolos per magnum æquor in ludum ferebat, ſimili modo reuehens pluribus annis: donec morbo extincto puero, ſubinde ad conſuetum locum ventitans, triſtis, & merenti ſimilis, ipſe quoque (quod nemo dubitaret) deſiderio expirauit.
*Plin. l. 9. nat. hiſt. c 8.*

Eſt in Africa Hipponenſis Colonia, mari proxima, adiacet nauigabile ſtagnum, ex hoc in modum fluminis æſtuarium emergit, quod vice alterna, prout æſtus aut repreſſit, aut impulit, nunc infertur mari, nunc redditur ſtagno Omnis hic ætas piſcandi, nauigandi, atque etiam natandi ſtudio tenetur: maximè pueri, quos ocium, luduſque ſolicitat: his gloria, & virtus altiſſimè prouehi: victor ille, qui longiſſimè vt littus, ità ſimul nantes relinquit. Hoc certamine puer quidam audentior cæteris in vlteriora tendebat: Delphinus occurrit, & nunc precedere puerum, nunc ſequi, nunc circuire, poſtremò ſubire, deponere, iterum ſubire, trepidantemque perferre primum in altum, mox flectit ad littus, redditque terræ, & æqualibus. Serpit per Coloniam fama, concurrere omnes ipſum puerum tanquam miraculum aſpicere, interrogare, audire, narrare. Poſtero die obſident littus, proſpectant mare, & ſi quid è mari ſimile, natant pueri, inter hos ille, ſed cautius. Delphinus rurſus ad puerum: fugit ille cum cæteris. Delphinus, quaſi inuitet, reuocet, exilit mergitur varioſque orbes implicat, expeditque. Hoc altero die, hoc tertio, hoc pluribus, donec homines innutritos mari ſubiret timendi pudor, accedunt, & alludunt, & appellant, tangunt etiam pertrectantque præeuntem. Creſcit audacia experimento maximè. Puer, qui primus expertus eſt, adnatantis inſilit tergo: fertur, referturq: Agnoſcunt ſe, ex mari puerum ille, è terra iſte, neuter timet, neuter timetur: huius fiducia, manſuetudo illius augetur, nec non & alij pueri dextera læuaq; ſimul eunt, hortantes, monenteſque ne timeat. Id quoque mirum, Delphinus alius tantum ſpectator, & comes: nihil enim ſimile, aut faciebat, aut patiebatur: ſed alterum illũ ducebat, reducebat, vt puerum ceteri pueri. Incredibile, tam verum tamen, quam priora,

Delphi-

Delphinum geſtatorem, colluſoremque puerorum in terram quoque extrahi ſolitum, areniſque ſiccatum vbi incaluiſſet, in mare reuolui. *Plinius iunior l. 9. epiſt. 33.*

## *Piſcis vaſtiſſimæ molis ingentem nauim violenter quaſſans.*

MAgnitudinis vaſtæ piſcis eſt in Africo Oceano, quem piſcem, à figura videlicet, acum appelant (Xiphiam ego fuiſſe crediderim) prælongo roſtro, & in mucronem deſinente; eodemque ita duro, atque hiſpido, vt ferrum deterat in modum limæ. Ex ijs belluis vna, dum ſubter fugientem prædam furibunda perſequitur, in aduerſam onerariam plenis euntem velis, toto impetu illata, in imas compages, pertuſo alueo, acutiſſimum caput infixit. Ex eo laqueo dum ſe ſe per vim conatur excutere: quamuis libratam ſuis ponderibus nauem adeo quatefecit, vt ſe in ſyrtim impactos nautæ non ſine horrore putauerint. Quo dein ex foramine, cum, ignaro quidnam eſſet rei magiſtro, ſentinam traheret, nauis: Cocini demum ſubducta, inſertum in carinam, vt dixi, plane cubitale roſtrum oſtendit: quod illico extractum, & in Luſitaniam argumenti, & miraculi cauſa, deinde tranſmiſſum eſt. *P. Maffeius l. 7. hiſt. indic.*

Claſſis nauium nouem duce Georgio Britto, dum ex Luſitania Indiam petit, roſtrata celſior Rhoterici Vaſæi Pereriæ, in medio curſu, repente, veluti fræno equus adducto, ita ſubſtitit magno cum aquæ ſonitu, ac motu, qualis, vbi in vada, & ſyrtes incurritur, edi conſueuit. Eo ipſo terrore perculſi nautæ, demiſſa vtrinque bolide, profundum ſine dubio mare comperiunt. Cum inflatis vento velis hæreret nauigium nihilominus; diſpiciendi cauſa (quod eſſet nox) admotis ad marginem luminibus; implexam alueo ingentem belluam vident. Carinæ centum, & quinq; dodrantium longitudine, applicauerat corpus; cauda gubernaculum illigarat; alis immanibus latera ad ſummum vſque cingebat: quas iam in alas per imprudentiam nonnulli manus inieceerant. Ad ſpectacu-

lum adeo tetrum ingenti videlicet horrore nautæ, militeſque perfuſi. vt vero dolij magnitudine, vaſto hiatu nouiſſime caput extulit; metu exanimati pæne omnes infernum profecto monſtrum diuinitus immiſſum credere, ad viua tot noxiorum corpora glutienda. Pauci, quibus in tanto diſcrimine mens, animuſque conſtiterat, conſultandi gratia in vnam partem ſecedunt. erant qui contis, iaculis, balliſtisque depellendum ſuaderent cetum: alij contra, nihil magis tali tempore vitandum aiebant; ne tantæ molis animal vulneribus irritatum, concuſſu ipſo, & agitatione violenta nauem euerteret. in ſumma inopia conſilij, cum nihil explicaretur; & maior in ſingula momenta terror inſtaret; ſuppliciter, ac demiſsè veniam, pacemque Dei, & cœleſtium expoſcere, atque ad vota, preceſque confugere placitum eſt. Neque ea irrita fuere. Sacerdos cum linteo, & ſtola, & ſigno Crucis in medium prodijt. ab eo ſacris carminibus, & exorciſmis delinita bellua (mirum dictu) nulla cuiuſque noxa relicto nauigio, cum è portentoſis narium fiſtulis ingentem reflaſſet aquæ vim, ſe ſe admodum placido lapſu in mare demiſit.

*P. Maffeius l. 7. hiſt. Indic.*

## *Echeneis piſcis vulgò Remora.*

TAmen omnia hæc pariterque eodem impellentia, vnus, ac paruus admodum piſciculus echeneis appellatus in ſe tenet. Ruant venti licet, & ſæuiant procellæ, imperat furori, vireſque tantas compeſcit, & cogit ſtare nauigia: quod non vincula vlla, non anchoræ pondere irreuocabili iactæ. Infrænat impetus & domat mundi rabiem nullo ſuo labore, non retinendo, aut alio modo, quam adhærendo Hæc tantilla eſt ſatis contra tot impetus, vt vetet ire nauigia. Sed armatæ claſſes imponunt ſibi turrium propugnacula, vt in mari quoque pugnetur velut è muris. Heu vanitas humana, cum roſtra illa ære, ferroque ad ictus armata ſemipedalis inhibere poſſit, ac tenere deuincta piſciculus. Fertur Actiaco Marte tenuiſſe prætoriam nauim Antonij propetantis circumire, & exhortari ſuos donec tranſiret in aliam.

Ideoque Cæſariana claſſis impetu maiore protinus venit. Tenuit & noſtra memoria Caij Principis ab Aſturá Antium remigantis: vt res eſt etiam auſpicalis piſciculus. Siquidem nouiſſimè tum in vrbe reuerſus ille Imperator, ſuis telis confoſſus eſt. Nec longa fuit illius moræ admiratio, ſtatim cauſa intellecta, cum è tota claſſe quinqueremis ſola non proficeret, exilientibus protinus qui id quærerent circa nauim, inuenere adhærentem gubernaculo, oſtenderuntque Caio indignanti hoc fuiſſe, quod ſe reuocaret, quadringentorumque remigum obſequio contra ſe interdiceret. Conſtabat peculiariter miratum, quomodo adhærens tenuiſſet, nec idem polleret in nauigium receptus. Qui tunc poſteaque videre eum, limaci magnæ ſimilem eſſe dicunt.
*Plinius l. 32. hiſt. nat. c. 1.*

## *Vitulus marinus.*

QVæ pilo veſtiuntur animal pariunt vt priſtis, balæna, vitulus. Hic parit in terra pecudum more: Secundo partus reddit initu. Canum modo cohæret: & parit nunquam geminis plures: educat mammis fœtum Nonante duodecimum diem deducit in mare, ex eo ſubinde aſſueſaciens. Interficiuntur difficulter, niſi capite eliſo. Ipſis in ſõno mugitus: vnde nomen vituli. Accipiunt tamen diſciplinam, voceque pariter, & viſu populum ſalutant, incondito fremitu: nomine vocati reſpondent. Nullum animal grauiore ſomno premitur. Pinnis, quibus in mari vtuntur humi quoque vice pedum ſerpunt. Pelles eorum etiam detractas corpori ſenſum æquorum retinere tradunt, ſemperque æſtu maris recedente inhorreſcere: præterea dextræ pinnæ vim ſoporiferam in eſſe ſomnoſque allicere ſubditam capiti. *Plinius l. 9. nat. hiſt. c. 13.*

## *Polypus.*

POlyporum multa genera: terreni maiores, quam pelagij: omnes brachijs, vt pedibus, ac manibus
 vtuntur:

viuuntur: cauda verò, quæ eſt biſulca, & acuta, in coitu. Eſt polypis fiſtula in dorſo, qua tranſmittunt mare: eamque modo in dexteram partem, modo in ſiniſtram transferunt. Natant obliqui in caput quod præ durum eſt ſufflatione viuentibus. Cætero per brachia velut acetabulis dipſerſis, hauſtu quodam adhæreſcunt, tenent Supini, vt auelli non queant. Vada non apprehendunt: & grandibus minor tenacitas. Soli mollium in ſiccum exeunt, dumtaxat aſperum, læuitatem odere. Veſcuntur conchyliorum carne, quorum conchas complexu crinium frangunt: itaque præ iacentibus teſtis cubile eorum deprehenditur. Et cum alioqui brutum habeatur animal, vt quod ad manum hominis adnatat, in re quodammodo familiari callet. Omnia in domum comportat dein putamina eroſa carne egerit, adnatanteſque piſciculos ad ea venatur. Colorem mutat ad ſimilitudinem loci, & maximè in metu. Ipſum brachia ſua rodere falſa opinio eſt. *Plinius l. 9. hiſt. nat. c. 29.*

## *Nautilus, ſiue Pompilus.*

INter præcipua autem miracula eſt, qui vocatur Nautilus, ſupinus in ſumma æquorum peruenit, ita ſe paulatim ſubrigens, vt emiſſa omni per fiſtulam aqua, velut exoneratus ſentina, facile nauiget. Poſtea prima duo brachia retorquens membranam inter illa miræ tenuitatis extendit. Qua velificante in aura, cæteris ſubremigans brachijs, media cauda, vt gubernaculo, ſe regit. Ita vadit alto, Liburnicarum ludens imagine: & ſi quid pauoris interueniat, hauſta ſe mergens aqua. *Plinius loco ſupracitato.*

## *Murices, & Conchæ.*

FIrmioris iam teſtę murices, & concharum genera: In quibus magna ludentis naturæ varietas, tot oculorum differentiæ, tot figuræ, planis, concauis, longis, lunatis, in orbem circum actis, dimidio orbe cæſis, in dorſum elatis, læuibus, rugatis, denticulatis, ſtriatis, vertice muricatim intorto, margine

in

in mucronem emiſſo, foris effuſo, intus replicato: Iam diſtinctione virgulata crinita, criſpa, canaliculatim, pectinatim, imbricatim vndata, cancellatim reticulata, in obliquum, in rectum expanſa, denſata, porrecta, ſinuata, breui modo ligatis, toto latere connexis, ad plauſum apertis, ad Buccinam recuruis. Nauigant ex his Veneriæ, præbentesque concauam ſui partem, & auræ opponentes, per ſumma æquorum velificant. *Plinius l. 9. hiſt. nat. c. 33.*

## *Vrtica.*

EQuidem & his ineſſe ſenſum arbitror, quæ nec Animalium, nec fruticum, ſed tertiam ex vtroque naturam habent, Vrticis, & ſpongijs: Vrticæ noctu vagantur noctuque mutantur. Carnoſæ frondis his natura: & Carne veſcuntur Vis prurito mordax eademque quæ terreſtris vrticæ. Contrahit ergo ſe quam maximè rigens, ac prænatante Piſciculo frondem ſuam ſpargit, complectenſque deuorat. Alias marcenti ſimilis, & iactari ſe paſſa fluctu algæ vice, contactos piſces attrituque Petræ ſcalpentes pruritum, inuadit. Eadem noctu pectines & echinos perquirit: Dum admoueri ſibi manum ſentit, colorem mutat, & contrahitur. tacta vredinem mittit, paulumque ſi fuit interualli, abſconditur. Ora ei in radice eſſe traduntur: Excrementa per ſumma tenui fiſtula reddi. *Plinius hiſt. nat. l. 9. c. 45.*

## *Teſtudo.*

TEſtudines tantæ magnitudinis indicum mare emittit vt ſingularum ſuperficie habitabiles caſas integant: atque inter inſulas Rubri præcipuè maris his nauigant cymbis, Capiuntur multis quidem modis, ſed maximè euectæ in ſumma Pelagi ante meridiano tepore blandito, eminente toto dorſo per tranquilla fluitantes: quæ voluptas liberè ſpirandi, in tantum fallit oblitas ſui, vt ſolis vapore ſiccato cortice, non queant mergi inuitæque fluitent opportunæ venantium prædæ. Ferunt & paſtum

egreſſas noctu, auideque ſaturatas. laſſari?atque vt remearint matutino ſumma in aqua obdormiſcere, id prodi ſtertentium ſonitu, tumque leuiter capi. Adnatare enim ſingulis ternos à duobus indorſum verti, tertio laqueum iniici, ſupinæ, atque ita ad terram à pluribus trahi. in Phænicio mari haud vlla difficultate capiuntur, vltroque veniunt ſtato tempore anni in amnem Eleutherum effuſa multitudine. Dentes non ſunt Teſtudini, ſed roſtri margines acuti, ſuprema parte inferiorem claudente pixidum modo. In mari conchylijs viuunt, tanta oris duritia, vt lapides comminuant. In terram egreſſæ in herbis pariunt oua, auium ouis ſimilia ad centena numero, eaque defoſſa extra aquas, & cooperta terra, ac pauita pectore, complanata incubant noctibus. Educant fœtus annuo ſpatio. *Plinius hiſt. nat. l. 9. c. 10.*

# INSVLÆ.

## *Inſulæ natantes.*

SIc euenit, vt in quibusdam ſtagnis ne lapides quidem peſſum eant. De ſolidis, & duris loquor. Sunt enim multi pumicoſi, & leues. ex quibus quæ conſtant Inſulæ in India natant. Theophraſtus eſt Auctor. Ipſe ad Cutylias natantem Inſulam vidi. Alia in Vadimonis lacu vehitur, alia in lacu Stationenſi. Cutyliarum Inſula, & arbores habet, & herbas nutrit, tamen aqua ſuſtinetur, & in hanc atque illam partem non tantum vento impellitur, ſed & aura. Nec vnquam illi per diem, & noctem in vno loco ſtatio eſt, adeo mouetur leui flatu. Huic duplex cauſa eſt. Aquæ grauitas medicatæ, ob hoc ponderoſæ, & ipſius Inſulæ materia vectibilis, quæ non eſt corporis ſolidi, quamuis arbores alat. Fortaſſe enim leues truncos frondeſque in lacu ſparſas pinguis humor apprehendit, ac vinxit. Itaque etiamſi quæ in illa ſaxa ſunt, inuenies aquoſa, & fiſtuloſa: qualia ſunt quę duratus humor efficit vtique circa medicatorum

fontium

fontium riuos, quæ vbi purgamenta aquarum coaluerunt, ex ſpuma ſolidantur. *Seneca lib. 3. nat. quæſt. c. 25.*

Exegerat proſocer meus, vt Amærina prædia ſua inſpicerem: hæc perambulanti mihi oſtenditur ſubiacens lacus nomine Vadimonis, ſimul quædam incredibilia narrantur. Perueni ad ipſum. Lacus eſt in ſimilitudinem iacentis rotæ circumſcriptus, & vndique æqualis, nullus ſinus, obliquitas nulla, omnia dimenſa, paria, & quaſi artificis manu cauata, & exciſa. Color cæruleo albidior, viridior, & preſſior ſulphuris odor ſaporque medicatus, vis qua fracta ſolidantur. Spatium modicum, quod tamen ſentiat ventos, & fluctibus intumeſcat. Nulla in hac nauis (ſacer enim eſt) ſed innatant inſulæ herbidæ, omnes arundine, & iunco tectæ: quæque alia fæcundior palus, ipſaque illa extremitas lacus affert. Sua cuique figura, vt modus cunctis, margo deraſus: quia frequenter vel littori, vel ſibi illiſæ terunt, teruntur que. Par omnibus altitudo, par leuitas: quippe in ſpeciem carinæ humili radice deſcendunt. Hæc ab omni latere perſpicitur, eadem aqua pariter ſuſpenſa, & merſa. Interdum iunctæ copulatæque, & continentis ſimiles ſunt: interdum diſcordantibus ventis digeruntur, nonnunquam deſtitutæ tranquillitate ſingulæ fluitant. Sæpe minores maioribus, velut cymbulę onerarijs adhereſcunt. Sæpe inter ſe maiores, minoreſque quaſi curſum, certamenque deſumunt. Rurſus omnes in eundem locum appulſæ, qua ſteterunt, promouent terram. Et modo hac, modo illac lacum reddunt, auferuntque. Auctum demum cum medium tenuere, non contrahunt. Conſtat pecora herbas ſecuta, ſic in inſulas illas, vt in extremam ripam procedere, ſolere nec prius intelligere mobile ſolum, quam littore abrepta, quaſi illata, & impoſita circumfuſum vndique lacum paueant. Mox quo tulerit ventus egreſſa, non magis ſe deſcendiſſe ſentire quam ſenſerint aſcendiſſe.

*Plinius iun. l. 8. epiſt. 20.*

## *Hiſpaniola inſula in America.*

Hiſpaniola tenebroſis quaquauerſum, denſiſque ſyluis littorum tenus prætexta: quæque iacent ante ſyluas aſperis rupibus, arduiſque montium præuallata iugis, eminus ad ſe tendentibus ab alto maris, ſpeciem Cimmerij cuiusdam, aut ſi quis triſtior eſt horroris præbet. cum interim Inſulæ penetralia ſimul ac intraueris, lætiſſima pulchritudine rideant. longitudo quæ protenditur ab Ocaſu Solis in Orientem, quingentis quadraginta paſſuum milibus: at latitudo qua ſpatioſior exiſtit, trecentis abſoluitur. Montes ditiſſimis auri venis redundant. Eſt hæc Inſula pleraque ſui parte propemodum ad luxuriem, bonæ telluris, ſaluberrimi cæli, frugum tam ſponte ſua, quam cultu naſcentium feraciſſima. Sacchari felicitate, prouentuque tanto, nuſquam vt gentium ſpiſſitudo proceritaſque cannarum iſtis certet: medullis arundinum tam confertis, vt vnius alicuius fiſtulę liquor excoctus, vicenas nonnunquam & tricenas explere phialas memoretur. Ad hæc ſaltus ingentes, lanæ ſatiuæ diuites, arbuſta maſtiches atque ſuccini, nemora viretaque germinum aromaticorum omnis generis copioſa. Pauciſſimis qui Boream reſpiciunt, tractibus exemptis, cæterorum Ver & Autumnus eſt aſſiduus: continua penè dierum noctiumque paritas. Nec vllo penitus menſe non indulgens annus eſt recentibus, temporique congruis fructibus in menſas ſecundas inferundis. Infra lunam inchoatam & exactam, certèque triceſimum intra diem à defixo ſemine, cucurbitæ, pepones, cucumeres: dimidio verò celerius braſſica, lactuca, beta, naſturtium, & id genus olera cætera vigent, & ad maturitatem perueniunt. fidem autem penè tranſcendit tritici, ſiliginiſque luxus: quarum frugum ſpicæ dodrante multo longiores, virili brachio ſpiſſiores habitioreſque, duo granorum millia per facilę claudunt in ſiliquis.

*P. Biſſelius Argon. l. 2. pun. 8.*

Inſula

## *Inſulæ fortunatæ fabuloſæ.*

PRoditum eſt à veteribus poetis eſſe quaſdam in Oceano inſulas, ad quas poſt mortem deferantur eorum animi, qui ſanctè religioſeque vixerint. ibi eos inter ſe iucundiſſimè ac ſuauiſſimè viuere. in amœniſſimo quodam prato, quod gemmea florum naribuſque gratiſſimorum varietate perpetuò diſtinctum picturatumque ſit nunquam non illic ridere cælum, frondere arbores pubeſcere herbas, nitere omnia: ſpirare aſſidue molliſſimos fauonios, quorum flabellis arborum comæ leuiter ventilatæ placidiſſimo murmure auribus blandiantur. eo accedere innumerabilem vim ac copiam immortalium auicularũ, quæ vſq; & vſq; liquidiſſimos cantus tenui gutture funditantes, intimos audientium ſenſus incredibili voluptate permulceant. pratum ipſum perennibus riuulis variè interſecari, quorum aquula nitidiſſima ad verſicolores lapillos molliter fracta & alliſa ſuſurrum efficiat dulciſſimum. ita quà floſculorum ambroſios odores exhalantium ſuauitate, quà zephyrorum viridantibus arborum ramis illudentium ſibilo, quà volucrum concentibus, quà blando murmurantium riuulorum ſtrepitu beatas illas mentes indeſinenter hilarari. ergo alios ad Orphei, Amphioniſue lyram choreas agere. alios pſallere. alios corollas texere. alios in herba fuſos, quà tellus tremulis laurorum ac myrtorum opacatur vmbraculis, iucundiſſimos ſermones conſerere, humum ipſam opum ſuarum prodigam, ſine vllo cultu ter quotquot annis vbertate ſumma alimentorum copiam eis ſuggerere ac ſubminiſtrare.

*Muret us Var. lect. l. 5. c. 1.*

# FLVVII, TORRENTES, PONTES, FONTES.

## *Ganges.*

GAnges omnium ab ortu fluuius eximius à meridiana regione decurrit, & magnorum montiũ iuga recto alueo ſtringit. in eum obiectæ rupes inclinant ad orientem. Vtq; rubro mari accipitur findens ripas, multas arbores cum magna ſoli parte exorbet. Saxis quoque impeditur, quibus crebro reuerberatur vbi mollius ſolum reperit, ſtagnat inſulaſque molitur. Aceſines eum auget. Ganges decurſurum in mare intercipit, magnoque motu amnis vterque colliditur; quippe Ganges aſperum os influentis obijcit: nec repercuſſæ aquæ cedunt.
*Q. Curtius lib.* 8.

## *Tigris.*

SEd, & de Tigri ipſo dixiſſe conueniat. Oritur in regione Armeniæ maioris, fonte conſpicuo in planitie. Loco nomen Elongoſine eſt. Ipſe, qua tardior fluit, Diglito: vnde concitatur à celeritate, Tigris incipit vocari. Ita appellant Medi ſagittam. Influit lacum Arethuſam omnia illata pondera ſuſtinentem, & nitrum nebulis exalantem. Vnum genus ei piſcinum eſt, idque tranſcurrentis non miſcetur alueo, ſicut nec è Tigri piſces in lacum traſnatant. Fertur autem, & curſu, & colore diſſimilis tranſuectuſque occurrente Tauro monte in ſpecu mergitur: ſubterque lapſus, à latere altero eius erumpit. Locus vocatur Zoroanda. Eundem eſſe manifeſtum eſt, quod demerſa perfert. Alterum deinde tranſit La-

cum,

eum, qui Ioſpites appellatur: rurſuſque in cuniculos mergitur, & poſt 25. mill. paſ. circa Nymphæum redditur. *Plinius hiſt. nat. l. 6. c. 27.*

## *Nilus.*

NIlus incertis ortus fontibus, it per deſerta & ardentia: & immenſo longitudinis ſpatio ambulans, famaque tantum inermi quæſitu cognitus ſine bellis quæ cæteras omnes terras inuenere, originem (vt Iuba rex potuit exquirere) in monte inferioris Mauritaniæ non procul Oceano habet, lacu protinus ſtagnante, quem vocant Nilidem. Ibi piſces reperiuntur alabetæ, coracini, ſiluri, crocodilus quoque. Inde ob argumentum hoc, Nili ortus creditus Cæſareæ in Iſeo dicatus ab eo ſpectatur hodie. Præterea obſeruatum eſt, prout in Mauritania niues imbreſue ſatiauerint, ita Nilum increſcere. Ex hoc lacu profuſus indignatur fluere per arenoſa, & ſqualentia, conditque ſe aliquot dierum itinere. Mox alio lacu maiore, in Cæſarienſis Mauritaniæ gente Maſſæſylum erumpit & hominum cætus veluti circumſpicit iiſdem animalium argumentis: iterum arenis receptus conditur rurſus 20. dierum deſertis ad proximos Æthiopas: atq; vbi iterum ſenſerit hominem proſilit fonte (vt veriſimile eſt) illo, quem Nigrim vocauere. Inde Africam ab Æthiopia diſpeſcens, vtiamſi non protinus populis, feris tamen, & beluis frequens ſyluarumque opifex medios Æthiopas ſecat cognominatus Aſtapus, quod illarum gentium lingua ſignificat aquam è tenebris profluentem. *Plinius hiſt. nat. l. 5. c. 9.*

## *Nilus, & eius Cataracta.*

NIlus ante ortum Caniculæ augetur medijs æſtibus vltra æquinoctium. Hunc nobiliſſimum amnem natura extulit ante humani generis oculos, & ita diſpoſuit, vt eo tempore inundaret Aegyptum quo maximè vſta feruoribus terra vndam altius traheret, tantum hauſtura, quantum ſiccitati annuæ

ſufficere

ſufficere poſſet. Nam in ea parte, quæ in Æthiopiam vergit, aut nulli imbres ſunt, aut rari, & qui inſuetam aquis cæleſtibus terram non adiuuent. Proinde ſterilis annus, aut fertilis eſt, prout ille magnus influxit, aut parcior. Vnde creſcere incipiat, ſi comprehendi poſſet, cauſæ quoque incrementi inuenirentur. Nunc verò magnas ſolitudines peruagatus, & in paludes diffuſus gentibus ſparſus, circa Philas inſulam primum ex vago & erante colligitur. Hanc Nilus magnus magis quàm violentus, egreſſus Æthiopiam, arenaſque per quas iter ad commercia Indici maris eſt, prælabitur. Excipiunt autem cataractæ, nobilis inſigni ſpectaculo locus: ibi per arduas exciſaſque pluribus locis rupes Nilus inſurgit, & vires ſuas concitat. frangitur enim occurrentibus ſaxis, & per anguſtias eluctatur: vbicunque vincit, aut vincitur, fluctuat, & illic excitatis primum aquis, quas ſine tumultu leni alueo duxerat, violentus & torrens per malignos tranſitus proſilit diſſimilis ſibi; quippe ad id lutoſus & turbidus fluit. At vbi in ſcopulos cautium intrauit, ſpumat: & illi non ex natura ſua, ſed ex iniuria loci color eſt. Tandem eluctatus obſtantia in vaſtam altitudinem ſubito deſtitutus cadit, cum ingenti circumiacentium regionum ſtrepitu. *Seneca natur. quæſt. lib. 4. c. 2.*

## *Marſias.*

MEdia illa tempeſtate mœnia interfluebat Marſias amnis, fabuloſis Græcorum carminibus inclitus; fons eius ex ſummo montis cacumine excurrens, in ſubiectam petram magno ſtrepitu aquarum cadit. inde diffuſus circumiectos rigat campos liquidus, & ſuas dumtaxat vndas trahens. Itaque color eius placido mari ſimilis, locum poetarum mendacio fecit. Cæterum quandiu intra muros fluit, nomen ſuum retinet; at cum extra munimenta ſe euoluit, maiore vi, ac mole agentem vndas, lycum appellant.

*Q. Curtius lib. 3.*

Padus.

## *Padus.*

PAdus è gremio Veſuli montis, celſiſſimum in cacumen elati, finibus ligurum Vagiennorum viſendo fonte profluens, condenſque ſe ſe cuniculo, & in forouibienſium agro iterum exoriens, nulli amnium claritate inferior: Græcis dictus Eridanus, ac pœna Phaetontis illuſtratus: augetur ad Canis ortus liquatis niuibus, agris quàm nauigijs torrentior, nil tamen ex rapto ſibi vindicans, atque vbi liquit agros, vbertate largior, nec amnes tantum Apenninos, Alpinoſque nauigabiles capiens, ſed lacus quoque immenſos, in eum ſe ſe exonerantes, omni numero triginta flumina in mare Adriaticum defert. Celeberrima ex ijs. Apennini latere iactum Tanarum, Trebiam Placentinum, Tarum, Niciam, Gabellum, Scultennam, Rhenum; Alpium verò. Sturam, Morgum, Durias duas, Seſſiten, Ticinum, Lambrum, Adduam, Olium, Mincium. Nec alius amnium tam breui ſpatio maioris incrementi eſt.

*Plinius hiſt. nat. lib. 3. c. 16.*

## *Tiberis.*

TIberis antea Tybris appellatus, & prius Albula, è media ferè longitudine Apennini finibus Aretinorum profluit, tenuis primò, nec niſi piſcinis corriuatus, emiſſuſque nauigabilis, ſicuti Tinia, & Glanis influentes in eum, nouenorum ita conceptu dierum, ſi non adiuuent imbres. Sed Tiberis propter aſpera, & confragoſa, ne ſic quidem, præterquam trabibus verius quam ratibus, longè meabilis fertur, per centumquinquaginta millia paſſuum non procul Tiferno, Peruſiaque, & Ocriculo, Hetruriam ab Vmbris, ac Sabinis, mox citra tredecim millia paſſuum vrbis, Veientem agrum à cruſtumino, de in Fidenatem Latinumque à Vaticano dirimens; ſed infra Aretinum Clanim duobus, & quadraginta fluuijs auctus, præcipuis autem Nare, & Aniene, qui & ipſe nauigabilis Latium includit à tergo, nec minus tamen

aquis

aquis ac tot fontibus in Vrbem perductis: & ideo quamlibet magnarum nauium ex Italo mari capax, rerum in toto orbe naſcentium mercator placidiſſimus. Pluribus propè ſolus, quam cæteri in omnibus terris amnes, accolitur aſpiciturque villis. Nulliquè fluuiorum minus licet incluſis vtrinque lateribus: nec tamen ipſe pugnat, quamquam creber ac ſubitis incrementis, & nuſquam magis aquis quam in ipſa vrbe ſtagnantibus. *Plinius hiſt. nat. l. 3. c. 5.*

## *Tranſitus fluuij periculoſus.*

POſtquam Radirobanes ſpatia vndarum vidit tam ingenti campo porrecta, equum potu refectum paulo egit vlterius, fruſtra admonentibus qui aderant vaſtam in proximo latitudinem latere. Ille autem contemplatus ad quam breuiſſimè ripam ſinus vndarum ferrent, vtrinq; calcaribus impulit equum, qui iuba ferociter concuſſa dedit ſe protinus in vadas ſoloque eminens vertice incumbentem dominum ferre cœpit, qua iuſſus eſt. Vbi paulatim proceſſit in altum, omnibus qui id videbant, vt in miro & ſubito caſu diuerſa de eo iactantibus, nec dubitantibus quin periret. Iamque illum non viuere, ſed cadauer deferri fluctibus credebant, vtique poſtquam longè receſſerat, & tantum ex colore adhuc aliquid ſupra aquam eminere noſcitabatur. At Radirobanes, vt timorem latè circumſtans periculum, ita ſpem dabat validiſſimus equus, quem voce motiſque interdum habenis reuocabat ad virium memoriam: Cœpit tamen ægrius equus emoliri aquas ſpiritu, videbaturque deficere; cum in medijs fluctibus arena ſublimis, neque cadens veſtigio, natandi neceſſitatem opportunè, intermiſit. Stetit ergo diffiandis feſſus aquis, totoque pectore altior, tanquam laborem miraretur, ſe anhelitu leuabat. Sed Rex veritus ne exerciti nimio motu nerui poſt quietem rigerent, breues inducias ad reſpirandum fecit, adhucque calidas ſuffragines motis calcaribus egit in lacum. Suffecit animoſo equo concitum corpus, vadiſque & intentione natandi differentibus mortem ad ſupremam ripam vixit. Tunc liquēte ſpiritu vix moratus,

dum

dum dominus ſine lapſu deſcenderet,ſe in arena explicuit. *Barclaius Argen. lib. 4.*

Tunc omnes tanquam in arena capto conſilio, de ripa deſilimus in fluuium.& primus in periculo, qui primus in periculi ſuadela fuerat: vndis, lumborum tenus, immerſus, àmbabus manibus frutices comprehendit. Atque nunc quidem altior, nunc depreſſior, modò corporis dimidio ſuperior, interdum ſupra ſcapulas, & ad colli confinia demerſus, vtroque pede, ſtrenuè natatum adiuuante tam præceps promouebat negotium. Tum relictis, quæ primò prehenderat viminibus,ex alijs ad alia ſurſum verſum ſe tranſijciebat, irrequieto corporis ſubſultu. Quod autem auctor operis, & conſilij, ſub hominum oculis;idem omnes, ad illius exemplum compoſiti, naniter agebamus; vrinatoria penè temeritatè viam, cæcos inter fluctus, nobis aperturi. Par omnium labor, par clamor, & alacritas, inuicem hortantium, increpitantiumque; nunc voce, nunc ſcreatu,ſubinde plauſibus, atque ſibilis, & ſi quibus alijs ſignorum ſtimulis ardor incitaretur. Omnes in idem intenti negotium; ſed non ijſdem, ſicut ego reor,affectibus cum alij quidem verò magnanimitatis ſenſu geſtirent; complures autem (& inter hos ego quoque meuſque Pedioſa, ſi bene ſuſpicor pectora,formidine trepidantia, ioco diffingerent, atque verbis coacta fortitudine ſimulatis.Non eſt (mihi credite) non eſt omnino calamus, qui cum arte poſſit; neque ſermo, qui cum facundiæ dignitate ſe ſperet expreſſurum quantum tunc molis, quantum luctæ, ſit exhauſtum medijs in vndis; cum ſupra continuam defatigationem,nos etiam ſarcinæ noſtræ, veſtimentaque ſcapulis innexa degrauarent: cum mador fluuij cum temporis hybernus rigor, intolerando gelu corpora ſtupefaceret;cum ſpumæ, cum alga ,cum lutum,& profluentis ſqualor,oculos atque capita cooperiret; cum deceptis frequenter lippitudine proſpectibus,deſtinata ſemel vimina prehenſuras manus eluderent, atque præterirent; cum creberrimè ſiccæ,vel arentes virgulæ profirmis ac viridibus arreptæ, defringerentur; fractæque ſimul molem corporum in gurgites abriperent. In quò ſanè tanta ſalutis erat, & interitus vicinia,nihil vt ad perniciem promptius eſſet ac certius,

tius, quam paruula modo cunctatio; remedij contra vix quidquam aliud, quam incredibilis celeritas in ſarmentis recentiſſimis comprehendendis. Id porrò contingere nulli poterat, abſque corporum agilitate dexterrima, ſubſilientium, ac reſultantium, ſemperq; de frondibus priſtinis ad frondes, & ſpes nouas tranſfugientium. Inter quæ tamen ſinguli gurgites nos admonebant, ineuitabilis fati, quod nos maneret; tam vtique ſpatioſo fluminis æquore ſexcentorum iam funerum ſepulchro. quod enim alijs ante nos exitio fuiſſet; idem, & nobis eſſe poſſe; quotieſcumque natantum aliquis petræ radices, & virgarum faſcem de manibus omiſiſſet. Id tandem è noſtro numero duobus euenit, quos virgultorum, æquo longius diſtantium, attactu fruſtratos, ſub oculis noſtris repentinus hauſit interitus; haud abſq; gemitu noſtro. nec enim facultas erat, neque conſilium, ſuccurrendi periclitantibus: quippè nemine noſtrum non ſuiſmet malis occupato. Suam vnuſquiſque Scyllam, ſuas Symplegadas vitare, totiſque niſibus excutere magnũ opus habebat. *P. Biſſelius Argon. l. 8. pun. 3.*

## *Fluminum & fontium vis admirabilis.*

Nec aquarum natura à miraculis ceſſat. In Ciconum flumine, & in Piceno lacu Velino lignum deiectum lapideo cortice obducitur: & in Surio Colchidis flumine adeo vt lapidem plerumque durus adhuc integat cortex. Similiter in flumine Silaro vltra Surrentum, non virgulta modo immerſa verum & folia lapideſcunt, alias ſalubri potu eius aquæ. Patauinorum aquis calidis herbæ virentes innaſcuntur, Piſanorum ranę. In Dodone Iouis fons cum ſit gelidus, & immerſas faces extinguat: ſi extinctæ admoueantur, accendit. In Illyrijs ſupra fontem frigidum expanſæ veſtes accenduntur. Iouis Ammonis fons interdiu frigidus, noctibus feruet. In agro Pitinate trans Apenninũ fluuius Nouanus omnibus ſolſtitijs torrens, bruma ſiccatur. In faliſco omnis aqua pota candidos boues facit: In Bœotia amnis Melas oues nigras: Cephiſſus ex eodem lacu profluens albas. In Carrinenſi Hiſpaniæ agro duo fontes iuxta fluunt,

luunt, alter omnia reſpuens, alter abſorbens. In Comenſi iuxta Larium lacum fons largus horis ſingulis ſemper intumeſcit ac reſidet. Iam omnes fontes æſtate quam hyeme gelidiores eſſe quem fallit? Onera in aqua facilius moueri Inania vaſa haud facilius quam plena extrahi. Pluuias ſalinis aquas vtiliores eſſe quam reliquas: nec fieri ſalem, niſi admixtis dulcibus. Marinas tardius gelare, celerius accendi. *Plinius hiſt. nat. l. 2. c. 103.*

## *Flumen ſe ſe alicubi occultans, alicubi retegens.*

EX ipſis radicibus montium Ziobetis amnis effunditur, qui tria fere ſtadia in longitudinem vniuerſus fluit: deinde ſaxo, quod alueolum interpolat, repercuſſus, duo itinera velut diſpenſatis aquis aperit. inde torrens, & ſaxorum per quæ incurrit, aſperitate violentior, terram præceps ſubit per CCC ſtadia conditus labitur, rurſuſque velut ex alio fonte conceptus editur, & nouum alueum intendit, priore ſui parte ſpatioſior: quippe in latitudinem XIII. ſtadiorum diffunditur; rurſuſque angnſtioribus coercitus ripis iter cogit: tandem in alterum amnem cadit. Rhidago nomen eſt. Incolæ affirmabant, quæcumque demiſſa eſſent in cauernã quæ propior eſt fontem, rurſus vbi aliud os amnis aperitur, exiſtere. *Q. Curtius l. 6.*

## *Fluuius exundans.*

NVm iſtic quoque immite, & turbidum Cœlum? hic aſſiduæ tempeſtates, & crebra diluuia. Tiberis alueum exceſſit, & demiſſioribus ripis altè ſuperfunditur (quamquam foſſa, quam prouidentiſſimus imperator fecit, exhauſtus premit valles) innatat campis, quaque planum ſolum, pro ſolo cernitur. Inde, quæ ſolet flumina accipere, & permiſſa deuehere, velut obuius retrocogit, atque ita alienis aquis operit agros, quos ipſe non tangit. Anio delicatiſſimus

mus amnium, ideoque adiacentibus villis, velut inuitatus, retentuſque magna ex parte nemora, quibus inumbratur, & fregit, & rapuit. Subruit montes, & decidentium mole pluribus locis clauſus dum amiſſum iter quærit, impulit tecta, ac ſe ſuper ruinas euexit, atque extulit. Viderunt hi, quos excelſioribus terris illa tempeſtas non deprehendit, alibi diuitum apparatus, & grauem ſupellectilem, alibi inſtrumenta ruris: ibi boues, aratra, rectores: hic ſoluta, & libera armenta: atque inter hæc arborum truncos, aut villarum trabes atque culmina, variè, latèque fluitantia. Ac ne illa quidem loca malo vacauerunt, ad quæ non aſcendit amnis. Nam pro amne imber aſſiduus, & deiecti nubibus turbines, proruta opera, quibus preciosa rura cinguntur, quaſſata, atque etiam decuſſa monimenta. Multi eiuſmodi caſibus debilitati, obruti, obtriti, & aucta luctibus damna.

*Plin. lib. 7. epiſt. 17.*

## *Aquæ campis furioſa eluuione ſuperfuſæ.*

ITaque dum Veſuuius per maritimam oram cinere, flammiſque bacchatur per e maria debellaturus: ex alio latere, quo Palmæ, Nolæque campos deſpectat, ingentem aquarum vim magno impetu cæpit effundere. Sæuijt hæc quà rabies ignis defecerat, quicquid flammarum voracitati ſubductum fuerat, demolitura. Namque in agros effuſa omnia longè latèque demerſit; vt æquora camporũ tranſijſſe videcentur in maria. Primò vijs occluſis aquæ ad quindecim palmorum altitudinem aſſurrexere, æmulatione quadam ingentium fluuiorum, quæ quamuis non multo poſt detumuerint, non tamen tranſiri vado poterant à mirantibus, vnde tam ſubito nouus hic fluuius erupiſſet. Coniurauerat non cum flammis modo, ſed cum aquis etiam cinis, qui plurimus torrentis alueo, ferebatur. Horrent adhuc circumfuſo cinere arborum fibræ, non ſine ſuſpicione perustarum radicum. ſpe quoque proximæ colligendæ vindemiæ penè perdita. Hæc dubia pernicies, & futura proſpi-

proſpiciens : illa certior, & cum præſenti iactura. Aquæ cum eodem quo flammæ impetu quaſi certatim è monte decurrerent, atque obſtantes arbores, glebas, trabes, cæmenta, ſaxa alueo iam tumidiore conuoluerent; non in mapalia ſolum & tuguriola, ſed in domos etiam ac tecta irrupere. & iam tabulatis effractis in cellas vinarias intruſæ, dolia vino pretioſo abundè plena ruptis compagibus exonerauere. Natabant pauimenta vino: & inter aquas iam rubeſcentes amnis purpureus excurrebat, labore lucròque præteritæ vindemiæ vna cum vini riuis effuſo. Neque ea ſolum lues ab aquis fuit; nam per agros villæ caſæque deturbatæ: per pagos non paucæ domus deiectæ, aliæ obſeſſæ: itinera obſtructa: commercia ſublata: quaſi perruptis obicibus Eridanus, aut Danubius exundaſſet. *P. Recupitus de Veſuu. incen.*

Vt reliquias infelicis Campaniæ Veſuuius deleret, quidquid aquarum vel à cælo acceperat, vel in conceptaculis habuit, illud omne in ſubiectos campos effudit, tanquam noſtrum vnum ſitiret exitium. ex quo tanta facta eſt aquarum eluuio, vt cum ab hominum ſtrage deceſſeris, non multum hæc altera calamitas cedat incendio. Illud verò quam horribile ac ſimile prodigio? cum infinita materies eſſet egeſta, ne inanitatem, cõmunem vniuerſitatis hoſtem admitteret natura extruſo aere, Veſuuius mare ipſũ quod per cauas ſpecus, quas habet immenſas, exſorbuerat, & tanquam per fiſtulam quandam, atque ſiphonem attraxerat, ſtatim vna cum exuſtis viſceribus euomuit, atque impetu natantium gregem per arua diffudit, conchilia in primis, oſtreas, ſepias extra pelagi ſepta. quid hòc in natura vel perturbatius, vel ærumnoſius fieri potuit? Cælum imbres deuoluebat maximos, ac perpetuos; Mons non modo ignis aquarumque ſuarum fontes emittebat, ſed ipſum pelagus exhauriebat. nulla erat iam terræ, mariſque diſcretio: vnius fluenti alueo nec tamen vnius generis, Campania obruebatur. miſtim ex eodem cratere montis defundebantur aquæ, flammæque; omnia fluctus operiebat; fumabant tamen omnia interim, atque ardebant. inſtabat torrens altè inundans, ferebatque ſecum cinerem, vt ſignificaret ad interitum ſe excurrere; efferebat ſe ſuper ruinas domorum, atque oppidorum;

dorum; glomerabat ſecumq; rapiebat non modo an-noſas atque ingentes arbores radicitus euulſas, ſed eius magnitudinis cantes, quæ conuectari plauſtris haud poſſent. quicquid erat obuium, hauriebat. innatabat omne fere genus animantium, ſiue cicurum, ſiue ſilueſtrium; conuoluti etiam globi ſerpentium è latebris extracti. direpta item horrea, exhauſtæ vinariæ cellæ, vaſtati qui flammis ſuperſuerant agri, euerſę domus, caſtella pagi, oppida integra demerſa.

*P. Maſculus de Veſuu. l. 1.*

## Pons ligneus flumini impoſitus.

Itaque etſi ſumma difficultas faciundi pontis proponebatur, propter latitudinem rapiditatemque fluminis; tamen id ſibi contendendum, aut aliter non tranſducendum exercitum, exiſtimabat. rationem igitur pontis hanc inſtituit. Tigna bina ſeſquipedalia, paulum ab imo præacuta, dimenſa ad altitudinem fluminis, interuallo pedum duorum inter ſe iungebat. hæc cum machinationibus immiſſa in flumine defixerat, fiſtucisque adegerat, non ſublicæ modo directa ad perpendiculum, ſed prona, ac faſtigiata, vt ſecundum naturam fluminis procumberent; his item contraria duo ad eundem modum iuncta interuallo pedum quadragenum ab inferiore parte contra vim, atque impetum fluminis conuerſa ſtatuebat: hæc vtraque bipedalibus trabibus immiſſis, quantum eorum tignorum iunctura diſtabat, binis vtrinque fibulis ab extrema parte diſtinebantur; quibus diſcluſis, atque in contrariam partem reuinctis, tanta erat operis firmitudo, atque ea rerum natura, vt quo maior vis aquæ ſe incitauiſſet, hoc artius illigata tenerentur. hæc directa materia iniecta contexebantur, ac longurijs, cratibuſque conſternebantur. ac nihilo ſecius ſublicæ ad inferiorem partem fluminis obliquæ adigebantur, quæ pro ariete ſubiectæ, & cum omni opere coniunctæ vim fluminis exciperent, & aliæ item ſupra pontem mediocri ſpatio: vt ſi arborum trunci, ſiue naues deijciendi operis cauſa, eſſent à barbaris miſſæ, his defenſoribus earum vis diminueretur, neu ponti nocerent. Diebus X. quibus materia

cæpta

excepta eſt comportari, omni opere effecto exercitus transducitur. *Cæſar de bello Gall l. 5*

Res erat huiuſmodi. Apud Marianam arcem terna primum tigna à ripa æqualiter diſtantia, inter ſe verò quinque pedum interuallo, mira expeditaque machinatione in flumen defixa ſunt. Poſt hæc, tigna totidem abiuncta à primis vndecim pedibus, & inter ſe quinque, ſuccedebant, Ab his diſtabant tredecim pedibus terna alia; atque ab his alia terna, vndecim pedum ſpatio recedebant, atque in hunc modum, alia atque alia veluti iuga, alterno vndecim, ac tredecim, pedum interuallo diſcreta continuo ductu in fluminis latitudinem protendebantur, euſque dum aluei altitudine, aquarumque incitatione arbores quantumuis proceras non admittente, terminauere hanc palationis, ſeu ſepti partem trabes duodecim, altæ pedibus ſeptuaginta in flumen quadrata ferè forma immiſſę, caſtelli materia futurę. Atque hęc omnium quæ dixi tignorum capita, trabibus in longitudinem ſuperiectis, inter ſe iuncta, & aſſeribus tranſuerſarijs cancellatim intecta ſtratum pontis, & ſolum fuere. Iam, extrorſum in medio interuallo, quod erat inter ſingula tignorum iuga, ſingulæ trabes quinque pedibus à iugis diſtantes in aquas impactæ ſunt; quæ binis trabibus, tanquam brachijs, bina ex aduerſo tigna comprehendebant, ij cuncumque conformantes molem contranitentibus trabibus colligabant; idque in ſingulis iugis ex vtraque palationis parte ſeruatum eſt. Adhuc exterius, ex vtraque etiam parte alia trabium ſeries, ea quæ terno ordine iuncta ſunt tigna reſpicientium, ab iiſque viginti pedum ſpatio diſtantium, percurrebat Ab imo harum trabium circa aquæ ſuperficiem grandes ſublicæ atollebantur, quæ ſubter cuneos tranſmiſſæ, inque medium decuſſatim concurrentes, ceu confibulæ, interna tigna connectebant, atque adeo machinationem omnem mirè firmabant. Rebus ita diſpoſitis ſuper medio tignorum ſtrato contabulata eſt pontis via elatis ad latera pro vallo ſolidis aſſibus, fidiſque contra ictum maioris ſclopi pedes quinq; altis, ac bipedali loricula ſuperaddita. Simili contabulatione caſtellum deſtinatum armorum ſedes, in extrema palatione communitum eſt; ſed pontis via, duodecim pedes lata, homines

octo

octo pariter incedentes admittebat;quum ſtationem hominũ fermè quinquaginta[caſtellum caperet], quadraginta pedes latum, longum quinquaginta duos. Porrò quo tempore pars hæc pontis ex Flandriæ ora ducebatur, eodem ex altera ripa, apud Philippæam arcem pars altera pontis,& ad pontis extrema caſtellum,ſedes pariter armorum, eadem planè machinatione fabrefacta ſunt,niſi quod ab hac Brabantiæ parte,quoniã altitudo aluei patiebatur, longius multo producta palatio eſt, fuitq;longitudo eius nongentorum pedum;quum altera ad oppoſitam oram ducentos omnino pedes non excederet; atque vtraque hæc lignorum ſepta STECCATAM milites appellauere; Reſtabat pars media,maiorque fluminis adhuc aperta; patebatque eiuſmodi ſpatium inter vtrumque ligneum caſtellum pedibus amplius mille ducentis,& quinquaginta. Quò loco, quum immenſæ altitudinis, ac rapiditatis eſſet amnis,eoq; nullas ſibi quacunque ſiſtucatione infigi trabes, ſublicaſque ſuſtineret,decreuerat Alexander interiectis nauibus locum occupare,miſſis,qui Dunquercà, ſi qua eſſent nauigia ad ſe deueherent.*P. Famianus de bello Belgico Dec. 2.l.6.*

## *Clitumnus fons.*

VIdiſti ne aliquando Clitumnum fontem? ſi nondum, & puto nondum, alioqui narraſſes mihi. Vide, quem ego ( pænitet tarditatis ) proxime vidi.Modicus collis adſurgit antiqua cupreſſu nemoroſus,& opacus. Hunc ſubter fons exit,& exprimitur pluribus venis, ſed imparibus, eluctatuſque facit gurgitem, qui lato gremio pateſcit purus,& vitreus vt numerare iactas ſtipes, & relucentes calculos poſſis. Inde non loci deuexitate, ſed ipſa ſui copia, & quaſi pondere impellitur.Fons adhuc,& iam ampliſſimum flumen, atque etiam nauium patiens, quas obuias quoque,& contrario niſu in diuerſa tendentes tranſmittit, & perfert, adeò validus,vt illà quà properat, ipſe tanquam per ſolum planum remis non adiuuetur, idem ægerrimè remis, contiſque ſuperetur aduerſus. Iucundum vtrunque per iocum, ludumque fluitantibus, vt flexerunt curſum laborem

otio,

otio, otium labore variare. Ripæ fraxino multa, multa populo veſtiuntur. Quas perſpicuus amnis velut merſas viridi imagine adnumerat. Rigor aquę certauerit niuibus, nec color cedit.
*Plinius iunior l. 8. epiſt. 8.*

## *Fons æſtuoſus.*

Attuli ex patria pro munuſculo quæſtionem, altiſſima iſta eruditione digniſſimam. Fons oritur in monte, per ſaxa decurrit, excipitur cænatiuncula manu facta; Ibi paululum retentus, in Larium lacum decidit. Huius mira natura. Ter in die ſtatis auctibus, ac diminutionibus creſcit, decreſcitque, Cernitur id palam, & cum ſumma voluptate deprehenditur. Iuxta recumbis, & veſceris. Atque etiam ex ipſo fonte (nam eſt frigidus) potas. Interim ille certis, dimenſiſq; momentis vel ſubtrahitur, vel adſurgit. Anulū, ſeu quid aliud ponis in ſicco, alluitur ſenſim, ac nouiſſimè operitur, detegitur rurſus, paulatimq; deſeritur Si diutius obſerues, vtrumq; iterum, ac tertio videas. Spiritus ne aliquis occultior os fontis, & fauces modò laxat, modò includit, prout illatus incurrit, aut deceſſit expulſus. An quæ Oceano natura, fonti quoque? quaque ille ratione aut impellitur, aut reſorbetur, hac modicus hic humor vicibus alternis ſupprimitur, vel egeritur? An vt flumina, quæ in mare deferuntur, aduerſantibus ventis, obuioque æſtu retorquentur: ita eſt aliquid, quod huius fontis excurſum per momenta repercutiat? *Plinius iunior l. 4. epiſt. vlt.*

## *Fons artificioſus in ſublime aquam eiaculans.*

In medio fons æſtuabat intra marmoreum cratera, è cuius labro caducus, veli inſtar tenuiſſimi expandebatur, demittebaturque in ſubiectam piſcinam; quam circum syphunculi plures expreſſi micabant è ſolo, atque in cratera reciproci miſcebant ſuauiſſimum murmur. *P. Famianus lib. 2. prol. 3.*

Fons erat non plus aquis notabilis, quam arte ſignorum, quæ illic hoſpiti Coccalo aiebant Dædalum poliuiſſe. Aquæ in altitudinem redeuntes originis, per varias fiſtulas atque formas micabant, mox in ſubiectum alueum recidentes, feruebant ipſo tumultu labendi, reddebantque colorem mari ſimillimum. In medio Galatea, tamquã in pelage lugebat recens extinctum Acim, qui iacebat in littore, & tanquam inciperet ſolui in flumen, duos fontes ore ſoluebat & vulnere. *Barclaius Argen- l.* 1.

## *Fons è ſaxo ſcaturiens.*

QVò ſimul ventum eſt, ecce fonticulus: incerto primum ſonitu, velut è longinquo ſtrepens, repente noſtros ante pedes gratiſſimo ſpectaculo procubuit Eius ſcaturigo de ſcopulo propinquo modeſtis deſultibus prorumpens, in ſubiectam ſcrobem conchæ ſimillimam effundebatur: elegantia naturæ mirabili, tanquam artis ingenio marginatam Huius crepido floſculis circumquaque variata, viuoque gramine; ſimul arborum frondibus impendentibus amœniſſimum frigus cum vmbris & odoribus ſpargebat. Ergo fontis circum oram omnes in orbem & coronam ſtrati; quanquam nec dum exterſo ſudore, nulla ſalubritatis cura, largiter omnes haurimus: ac per vices inter ſe ſibi ſuccedentium, frigidæ ductibus ad ſatietatem indulgemus; tanto bibaciores, quanto per tot iam horas ad reperiendum laticem intentiores. Indaginis itaque tædium potus copia, quaſi fœnoris quadam exactione penſabat: auara voluptate, neminique non ignoſcenda; tanta præſertim liquoris fluentis illecebra. Nec enim calamus eſt, qui poſſit illius omnia bona comprehendere: non perſpicuum aquæ nitorem, cryſtallo quouis & adamante translucidiorem: non influentis in guttura lenitatem: non hauſtus dulciſſimum ſaporem: non frigoris blandam temperiem: non deniq; commendatam euentu ſalubritatem.

*P. Biſſelius Argen. l.* 4. *n.* 4.

## *Fons è ſublimi defluens.*

ECce namque! dum omnium inopes, irritique, cum ſolis ardoribus, atque vitæ tedijs luctamur; repentè poſt ſyluas ad itineris noſtri ſiniſtrum latus, cliuoſior terra primum in montes; paullatim deinde celſius, aſperiuſque ſaxoſas in Alpes exſurgere; tum longiſſimo rupium dorſo procurſans, cæpit vndequaque fontibus, & vndarum delapſu ſcaturire. Sed vnus, præ cæteris omnibus, riuus admiratione multa cunctos ſuſpenderat. Is, è ſcopulo præcellentis altitudinis exortus, latice copioſo primum ipſius ſaxi planitiem inundat. Ab hac deinde, per abſciſſa, penituſque derupta præcipitia deiectus in petram aliam priori petræ ſubiunctam, non aliter atque conſulto præparatum in craterem, coit. Indè tertiam in rupem ſuperioribus longè depreſſiorem, collectus; in ſaxoſam latitudinem, menſæ ritu conſtratam diffunditur. Idem autem poſteaquam ſtagnante vado deſedit; extra crepidines quidquid redundat, molliter egerit, inque canalem lapideum geminum, bipartitis lapſibus euoluit. Eorum canalium alter laxus, ac ſpatioſus; poſteaquam longo ſulci tractu, per caua rupis, aquas inoffenſas deuexit, ſub ipſum finem denique, ſe ipſo celſius exſurgens, & cuſpidatim in puppis morem ſe ſe ſurrigens violentiſſimo curſus propulſu, vacuum in aërem erumpit, ac figura quadam cæleſtis arcus exilit. Nam, prætterquam quod etiam in huius pellucida lympha colores ludunt, fulgore ſolis incenſi; fornix hic aquaticus primam ſui partem, velut Iridis pedem in ſcopuli fine defigit. Altera verò ſui parte peracto iam hemicyclo, ripis ſummontanis incidit: ibique profluentem orditur.

*P. Biſſelius Argon. l. 4. n. 6.*

## *Fons fœdus & limoſus.*

TAndem enim ad pedes circiter ſeptenos demiſſo foſſionis labore, ſcatebra cæpit affluere. Verum nequando nobis vllum naturæ, cæliue benefi-

cium, ſine facibus affunderetur; eam fatorum inſ
diam quam itinere reliquo toto ſenſimus, etiam i
hoc fonte guſtauimus. Erat enim quantuſcumqu
ſcatebat humor; turbidus, craſſus, lutulentus, ac præ
ter hæc marcido putore luridus, & inſuauis. Ad ſum
mum! inſipidus latex; ac ſi verum confiteri volumus,
cloaca verius, aut ſtygia ſalſugo, quam fons, aut Are
thuſa Sicula: cadauer denique potius, & tabum vnda
rum, quam Scaturigo, venaque viuentium Aquarum.
Sed ſcilicet, ante cupiditatem neceſſitas fuit: Qua
proinde nos perpellente, conſultius eſt viſum; etiam
deterrimis potius refici, quam per ſuperbum faſti
dium cum extremis incommodis conflictari. Suſtuli
mus igitur verius, quam hauſimus truſta paluſtria,
quodque ſpes eſſet cum tempore defæcata fontana
limum in fundo deſeſſurum; omnes, ac totos p.lcos
nuda repleuimus. *P. Biſſelius Argon. l. 9. n. 8.*

*Alias deſcriptiones fluminum vide apud Plinium, qui Boryſthenem deſcribit l.4.c.12. Iſtrum ibidem; Iordanem l.5. c.15. Indum.l.6.c.20.*

*Apud Pomp. Melam, qui l.2.c.3 deſcribit Rhenum; l.3. c. 1. Garumnam, & Tanaim l.6.c.6.*

*Apud Q. Curtium, qui l.5.deſcribit Medum.*

# TERRESTRIA.

## *Terra.*

vniuerſa c...
...lida ...

...& qu...
...vel terarū...
...q...

enere dicam,qui quaſi cultores terræ conſtituti non
ıtiuntur eam nec immanitate belluarum efferari,
:c ſtirpium aſperitate vaſtari,quorumque operibus
gri, inſulæ littoraque collucent diſtincta tectis, &
bibus? *Cicero l. 2. de nat. Deor.*

Cum ſatiatos ſpectaculo ſupernorum in terram
culos deieceris, excipiet te alia forma rerum, ali-
rque mirabilis.Hinc camporum in infinitum paten-
um fuſa planicies. Hinc montium magnis,& niuali-
us ſurgentium iugis erecti in ſublime vertices, de-
ctus fluminum, ex vno fonte in Orientem Occiden-
mque defuſi amnes,& ſummis cacuminibus nemo-
ı nutantia,& tantum ſyluarum cum ſuis animalibus,
iumque concentu diſſono. Varij vrbium ſitus, &
cluſæ nationes locorum difficultate, quarum aliæ
in erectos ſubtrahunt montes, aliæ ripis lacu,val-
bus, palude, circunfunduntur: adiuta cultu ſeges,&
rbuſta ſine cultore fertilia, & riuorum leuis inter
rata diſcurſus,& amæni ſinus,& littora in portum
ecedentia, ſparſæ tot per vaſtum inſulæ,quæ inter-
entu ſuo maria diſtinguunt. Quid lapidum gemma-
ımque fulgor, & inter rapidorum torrentium are-
as,aurum interfluens, & in medijs terris,medioque
rſus mari nitentes ignium faces, & vinculum terra-
um Oceanus continua... ...ntium triplici ſinu
cindens, & ingenti li... ...ns.
*Seneca in lib. de conſ...*

Sequitur terra,cu... ...ræ partium, exi-
nia propter merit... ...idimus maternæ
enerationis, ſic ... ...cælum Dei, quæ
no... ...es ex... ...ſemelque editos
...r. ...is, indulgens,& in
...æ coacta generat?
...ſaporeſque? quos
...s? quam bona fide
...i cauſa alit? Aduer-
...grati ſumus, quaſi
...contumelias ſeruiat
...t freta admittamus,
...lapide,fruge omnibus
...viſcera, auri argentiq;
venas,

venas,& actis, ac plumbi metalla fodientes, gemmas etiam & quoſdam paruulos quærimus lapides ſcrobibus in profundum actis. viſcera eius extrahimus, vt digito geſtetur gemma quam petimus.
*Plinius l. 2. nat. hiſt. c. 63.*

Terra hæc mortalium altrix, in media mundi parte collocata, quà læta ſegetibus eſt, quà dumetis ac rupibus hiſpida, quà ſalebris atque arenis arida, quà proximis fontibus vliginoſa, quà ſiluis obducitur, quà circumiectis clauditur montibus, quà vaſto patentique aperitur mari.
*P. Tar. Gallutius to. 1. or. 6.*

Aſpicitis in media mundi ſede locatam terram, nutibus in ſe ſuis vndique conglobatam, florum, herbarum, frugum, arborum infinita prope multitudine, atque inſatiabili varietate conueſtitam. Aſpicitis fontium perennitates, liquores amnium pellucidos conſtantiſſime decurrentium in mare; ripas viridiſſimo ſemper habitu diſtinctas, abſconditas, abſtruſaſque penitus auri venas illas inexhauſtas; infinitam lapidum, gemmarum, marmoris vim quæ tam ſæpe ſuffoſſa, tamen ſemper, ac ſubinde reficitur: beſtiarum tum cicurum, tum ſilueſtrium, & ferarum innumerabilia genera, ſuo inter ſe paſtu ſegregata, ſua ſocietate conuenientia: auium emodulatiſſimos, & certis prope legibus inflexos ad numerum cantus: hominem omnibus hiſce præſidentem, & præfectum operibus, cuius ingenio, cultuque impendentium altitudines montium, camporum immenſitates, aſperitates ſaxorum, paſſim, atque vbique collucent.
*P. Tar. Gallutius to. 2. or. 1.*

## *Terræmotus.*

MAxima ergo cauſa eſt, propter quam terra moueatur, ſpiritus natura citus, & locum è loco mutans. Hic quandiu impellitur, & in vacanti ſpatio latet, iacet, innoxius, nec circumiectis moleſtus eſt. Vbi illum extrinſecus ſuperueniens cauſa ſollicitat, compellitq; & in arctũ agit, ſcilicet adhuc cedit tantũ & vagatur. Vbi erepta diſcedendi facultas eſt, & vndique obſtitit, tunc

Magno,

*Magno, cum murmure montis*
*Circum clauſtra fremit.*

quæ diu pulſata conuellit, ac iactat: eo acrior; quo cum valentiore mora luctatus eſt. Deinde quum circa perluſtrauit omne quod tenebatur, nec potuit euadere, inde quò maximè impactus eſt, reſilit, & aut per occulta diuiditur, ipſo terræ motu raritate facta, aut per nouum vulnus emicuit. Ita eius vis tanta non poteſt cohiberi, nec ventum tenet vlla compages: ſoluit enim quodcunque vinculum, & omne onus fert ſecum, infuſuſque per minima, laxamentum ſuperat, indomita naturæ potentia liberat, vtique concitatius ſibi ius ſuum vindicat. Spiritus verò inuicta res eſt: nihil enim erit quod

*Luctantes ventos, tempeſtateſque ſonoras*
*Imperio premat, ac vinclis, & carcere frenet.*

*Seneca nat. quæſt. l. 6. c. 18.*

Nunquam intremiſcunt terræ, niſi ſopito mari, cæloque adeò tranquillo, vt volatus auium non pendeant, ſubtracto omni ſpiritu qui vehit: nec vnquã niſi poſt ventos conditos ſcilicet in venas; & cauernas eius occulto afflatu. Neque aliud eſt in terra tremor, quàm in nube tonitruum. Nec hiatus aliud, quàm cum fulmen erumpit, incluſu ſpiritu luctante, & ad libertatem exire nitente. Variè itaque quatitur, & mira eduntur opera, alibi proſtratis mænibus, alibi hiatu profundo hauſtis, alibi egeſtis molibus, alibi emiſſis amnibus, nonnunquam etiam ignibus, calidiſue fontibus, alibi aduerſo fluminum curſu. Præcedit verò comitaturque terribilis ſonus, alias murmur ſimilius mugitibus, aut clamori humano, armorumue pulſantium fragori, pro qualitate materiæ excipientis, formaque vel cauernarum vel cuniculi, per quem meat, exilius graſſante in anguſto, eodem rauco in recuruis reſultante, in duris fremente, in humidis fluctuante & ſtagnantibus: item fremente contra ſolida. Itaque & ſine motu ſæpe editur ſonus. Nec ſimplici modo quatitur vnquam, ſed tremit vibratque. *Plinius l. 2. nat. hiſt. c. 79 & 80.*

Primo lucis exortu ad diem nonum Cal. Septembris concreti nubium globi nigrantium, lætam paulo ante cæli ſpeciem confuderunt, & amandato Solis ſplendore, nec contigua vel oppoſita cernebantur,

Ita oculorum obtutu præſtricto, humo inuolutæ craſſæ caliginis ſqualor inſedit. Deinde velut numine ſummo fatales contorquente manubias, ventoque ab ipſis excitante cardinibus, magnitudo furentium incubuit procellarum: cuius impetu pulſorum auditus eſt montium gemitus, & eliſi littoris fragor: hæcque ſecuti typhones atque preſteres cum horrifico tremore terrarum ciuitatem & ſuburbana funditus euerterunt. Et quoniam accliuitate collium ædes pleræque vehebantur, aliæ ſuper alias concidebant reclangentibus cunctis ſonitu ruinarum immenſo. Interim clamoribus varijs excelſa culmina reſultabant, quæritantium coniugum liberoſque, & ſi quid neceſſitudinis arctè conſtringit. Poſt horam denique ſecundam, multo ante tertiam, aer iam ſudus, & liquidus latentes retexit funereas ſtrages, nonnulli enim ſuper ruentium ruderum vi nimia conſtipati, ſub ipſis interiere ponderibus. Quidam collo tenus aggeribus obruti, cum ſupereſſe poſſent ſi qui iuuiſſent, auxiliorum inopia necabantur. Alij lignorum extantium acuminibus fixi pendebant. Vno ictu cæſi complures paulo ante homines, tunc promiſcuæ ſtrages cadauerum cernebantur. Quoſdam domorum inclinata faſtigia intrinſecus ferebant intactos, angore, & inedia conſumendos: inter quos Ariſtænetus affectatam regens diæceſim, curans vicaria poteſtate, quam Conſtantius ad honorem vxoris Euſebiæ Pietatis cognominarat, animam hoc caſu cruciatam diutius exhalauit. Alij ſubita magnitudine oppreſſi, ijſdem adhuc molibus conteguntur. Colliſis quidam capitibus vel humeris præſectis aut cruribus, inter vitæ mortiſque confinia, aliorum adiumenta paria perferentium implorantes, cum obteſtatione magna deſerebantur. *Ammian. Marcell. lib. 17.*

Grauis & publica calamitas eſt terrarum commotio & ſubſultus: montes diuidit, puteos obturat, ſaxa dirumpit, diſſipat ædificia, emouet ſubſtructiones, extirpat ſtirpes, obruit animantes, homines ex timoris magnitudine lymphatos reddit. Amnes in alium curſum contorquentur ac deflectuntur, aut abſorbentur, aut exareſcunt, & in eos mare influit. Nonnunquam noua, vti nouæ inſulæ, noui montes excitantur. Totæ regiones contremiſcunt, totæ vrbes,

inſulæ, montes in imum hauriuntur, vt aliquando nullum ſuperſit veſtigium. Sed eum ipſum affuturũ monent, & præcurrunt ſilentium cæli, ac tempeſtatum, ſeu maris quietiſſimus ſtatus (non enim vnquã terræ tremeſiunt, teſte Plinio, niſi ſopito mari, cæloq; adeo tranquillo, vt volatus auium non pendeant, ſubtracto omni ſpiritu qui vehit: nec vnquam niſi poſt ventos, condito ſcilicet in venas, & cauernas occultas flatu: neque aliud eſt in terra tremor, quam in nube tonitruum) ſubitò citrà flatum tumeſcens fluctus; crepitantia ædificia. Præterea in puteis aqua turbida, cum tetri odoris afflatu.

*P. Pontanus vol. 3. par. 1. prog.* 13.

Primum de improuiſo mugire ſolum vehementer, poſt fremitus maris audiri horribilis. Terra ſublime tolli, ædificia ſurſum erigi; erecta partim ruere, & conquaſſari, partim velut in ſumma tempeſtate, huc atque illuc commota nutare: loca pura mirificè agitari; materies ædificiorum frangi, lateres, & lapides, collidi, horum omnium fragor incredibilis audiri. Tantus excitari puluis, vt non videre, non alloqui, non videre quemquam per eum liceret. Extra domos paſſim vagabantur, quod inde agitatis tectis, tabulatiſque, & in ſe cornuentibus parietibus vel tamquam præcipites darentur, vel ruinis aut mutilarentur, aut ſepelirentur. Etiam arbores radicitus vellebantur. Qui lapidibus aut lignis læſi iacebant, nec viuere poterant, nec mori, quod cupiebant. Qui euaſerant, eorum pars magna viſebatur inſigniter attrita; alij fractis cruribus alij humeris, non nulli ceruicibus multi ſanguinem reijciebant. Nulla fuit grauis calamitas, quam illi homines non experirentur. Vbi ceſſauit terræmotus, fuit qui ruinas conſcendens vocem viuę mulieris acciperet, habentis infantem, quem vna ſecum lacte ſuo ſuſtentabat. Coraſius mons ita concuſſus eſt, vt eius culmina ſubſidere, & conuulſa in ipſam ciuitatem cadere viderentur. Subſedere præterea alij montes, & aquæ, vbi antea viſæ fuerant nunquam, extiterunt; contra, nonnullæ vbi fluxerant, deſtiterunt. *P. Pontanus ex Dione in Traiano vol. 3. p. 1. prog. 13.*

Londinum præcipuè motus ille concuſſit. Inſolitum ijs regionibus malum etiam ſi magnitudine non

excelluiſſet, poterat inſigne exiſtimari. ſubſultare ſolum, nutare tecta, penè diſcedere ſub pedibus diſtracta humus, horrendo corruentium ædificiorum fragore miſceri omnia, neque innoxiæ ruinæ erant. Tectorum caſu, decuſſorumque ſaxorum mole obtriti mortales aliquot plures vulnerati; omnes vſque adeo exterriti, vt omnibus vrbis locis alienatis à ſenſu animis trepidarint primo homines, mox vel in morem lymphatorum domo ſe eijcientes tota vrbe pauidi excurrerint, vel ad preces, & vota conuerſi inſtans, vti rebantur, exitium deprecari ſint.

*Paulus Bombinus in vita Edmundi Campiani c.59.*

Fortaſſe non deerit quiſpiam, qui hunc terræmotum non tam ſpiritibus deliteſcentibus, quam flammis prodeuntibus tribuendum putet; ſed cum ea nocte, quæ præceſſit eruptionem incendij, terra in vicinia maximè non ſemel mouerit, profecto à lucta ſpirituum, qui incluſi latebant terræmotum factum neminem latet, deinde primo qui occurrit obice, diffracto (ictus quidem verticem petebat, ſed aberrauit in latus) ſtatim illi velut agmine facto quà data porta ruunt, armati flamma, ignitaque inſtructi materia. ſed dum vna omnes ſine mora euadere conantur, anguſtiore oſtio præ tantis copijs, vehementius quati mons cœpit, atque conuelli. igitur & qui adhuc tamquam ira quadam perciti claudebantur ignei halitus, & qui iam cum impetu prodibant, terram quatiebant. hi verò cum erumperent, circumfuſum aerem impellebant, voluminibuſque flammarum protrudebant, ex qua rareſcentis aeris colliſione horribilis ille tremor in feneſtris præſertim vitreis fuit: porrò terræ comotio perpetuaque vibratio in hac vrbe, ac finitimis locis non niſi ex conſenſione continentis cum Veſuuio accid.bat; partibus videlicet inter ſe nexis, & communi coagmentatione compactis. *P. Maſculus de Incen. Veſu. l.3.*

Primus terror, terræmotus, Præluſerat futuræ cladi paucis ante diebus cæca quædam montis obmurmuratio; quę à nonnullis nocturno ſilentio animaduerſa, nec vulgata, metu, vel diſſimulato, vel ſpreto. Tum nocte, quæ incendium prægreſſa eſt, terremotus identidem auditi, ſed tenues, quaſi leues quædam velitationes ante prælium. Demum, erumpente flam-

ma,

ma, ingens fragor è cacumine montis acceptus. quem, tanquam tubæ clangor pugnam prænunciaſſet, terræmotus excepere adeò crebri; vt non multi, ſed vnus per dies multos continenti ductus halitu videretur. Nutare perpetuò ſolum ſæpiſſimè ſucuſſari, frequenter etiam ſubſultare: idque ea, quæ ſecuta eſt, nocte circa primam horam, & quintam, poſtridie circa decimam ſeptimam tanto impetu, vt Vrbem ſuis diuellendam ſedibus putaremus: neque moueri tecta, ſed euerti. Nemò certè fuit pectoris adeò ſaxei, quin saxis, terraque trementibus contremuerit.
*P. Recupitus deincen. Veſuu.*

## *Terræmotus in mari.*

VT in Cambaiana littora ventum eſt (nam eam in primis regionem explorare placuerat) in ſumma repentè malacia, ſilentibus ventis, ab imo fluctus intumuit; inde naues inter ſe nutare; crepitare compages; tabulata concuti cæpta. Nautæ, ſubito pauore icti, cum in Syrtes illatam haud dubie claſſem crederent in ſumma perturbatione rerum omnium, alij bolidem demittere, alij ad exhauriendam ſentinam, vel ad clauũ tenendum accurrere. Sapientiores alij, circumſpectare fugam, atque doliola ac tabulas ad enatandum arripere. Ipſe Imperator initio nequaquam expers timoris ac ſollitudinis fuit: ſed mox comperto eum eſſe terræmotum (quem nauigantes quoque ſentire non dubium eſt) ad ſocios hilari fronte conuerſus; Adeſte animis, inquit, viri aduentu noſtro perterritus Cambaianus Oceanus intremit.
*P. Maffeius hiſt. Ind. lib. 3.*

Fons erat non plus aquis notabilis, quam arte ſignorum, quæ illic hoſpiti Coccalo aiebant Dædalum poliuiſſe. Aquæ in altitudinem redeuntes originis, per varias fiſtulas atque formas micabant, mox in ſubiectum alueum recidentes, feruebant ipſo tumultu labendi, reddebantque colorem mari ſimillimum. In medio Galatea, tamquã in pelage lugebat recens extinctum Acim, qui iacebat in littore. & tanquam inciperet ſolui in flumen, duos fontes ore ſoluebat & vulnere. *Barclaius Argen. l. 1.*

## *Fons è ſaxo ſcaturiens.*

QVò ſimul ventum eſt, ecce fonticulus: incerto primum ſonitu, velut è longinquo ſtrepens, repente noſtros ante pedes gratiſſimo ſpectaculo procubuit Eius ſcaturigo de ſcopulo propinquo modeſtis deſultibus prorumpens, in ſubiectam ſcrobem conchæ ſimillimam effundebatur: elegantia naturæ mirabili, tanquam artis ingenio marginatam Huius crepido floſculis circumquaque variata, viuoque gramine; ſimul arborum frondibus impendentibus amœniſſimum frigus cum vmbris & odoribus ſpargebat. Ergo fontis circum oram omnes in orbem & coronam ſtrati; quanquam nec dum exterſo ſudore, nulla ſalubritatis cura, largiter omnes haurimus: ac per vices inter ſe ſibi ſuccedentium, frigidæ ductibus ad ſatietatem indulgemus; tanto bibaciores, quanto per tot iam horas ad reperiendum laticem intentiores. Indaginis itaque tædium potus copia, quaſi fœnoris quadam exactione penſabat auara voluptate, nemini que non ignoſcenda; tanta præſertim liquoris fluentis illecebra. Nec enim calamus eſt, qui poſſit illius omnia bona comprehendere: non perſpicuum aquæ nitorem, cryſtallo quouis & adamante translucidiorem: non influentis in guttura lenitatem: non hauſtus dulciſſimum ſaporem: non frigoris blandam temperiem: non deniq; commendatam euentu ſalubritatem.

*P. Biſſelius Argon. l. 4. n. 4.*

## *Fons è ſublimi defluens.*

ECce namque! dum omnium inopes, irritique, cum ſolis ardoribus, atque vitæ tedijs luctamur; repentè poſt ſylvas ad itineris noſtri ſiniſtrum latus, cliuoſior terra primum in montes; paullatim deinde celſius, asperiuſque ſaxoſas in Alpes exſurgere; tum longiſſimo rupium dorſo procurſans, cæpit vndequaque fontibus, & vndarum delapſu ſcaturire. Sed vnus, præ cæteris omnibus, riuus admiratione multa cunctos ſuſpenderat. Is, è ſcopulo præcellentis altitudinis exortus, latice copioſo primum ipſius ſaxi planitiem inundat. Ab hac deinde, per abſciſſa, penituſque derupta præcipitia deiectus in petram aliam priori petræ ſubiunctam, non aliter atque conſulto præparatum in craterem, coit. Indè tertiam in rupem ſuperioribus longè depreſſiorem, collectus; in ſaxoſam latitudinem, menſæ ritu conſtratam diffunditur. Idem autem poſteaquam ſtagnante vado deſedit; extra crepidines quidquid redundat, molliter egerit, inque canalem lapideum geminum, bipartitis lapſibus euoluit. Eorum canalium alter laxus, ac ſpatioſus; poſteaquam longo ſulci tractu, per caua rupis, aquas inoffenſas deuexit, ſub ipſum finem denique, ſe ipſo celſius exſurgens, & cuſpidatim in puppis morem ſe ſe ſurrigens violentiſſimo curſus propulſu, vacuum in aerem erumpit, ac figura quadam cæleſtis arcus exilit. Nam, præterquam quod etiam in huius pellucida lympha colores ludunt, fulgore ſolis incenſi; fornix hic aquaticus primam ſui partem, velut Iridis pedem in ſcopuli fine defigit. Altera verò ſui parte peracto iam hemicyclo, ripis ſummontanis incidit: ibique profluentem orditur.

*P. Biſſelius Argon. l. 4. n. 6.*

## *Fons fœdus & limoſus.*

TAndem enim ad pedes circiter ſeptenos demiſſo foſſionis labore, ſcatebra cæpit affluere. Verum nequando nobis vllum naturæ, cæliue benefi-

cium, ſine fæcibus affunderetur; eam fatorum inuidiam quam itinere reliquo toto ſenſimus, etiam in hoc fonte guſtauimus. Erat enim quantuſcumque ſcatebat humor; turbidus,craſſus,lutulentus, ac præter hæc marcido putore luridus,& inſuauis. Ad ſummum! inſipidus latex;ac ſi verum confiteri volumus, cloaca verius, aut ſtygia ſalſugo, quam fons,aut Arethuſa Sicula:cadauer denique potius,& tabum vndarum, quam Scaturigo, venaque viuentium Aquarum. Sed ſcilicet, ante cupiditatem neceſſitas fuit: Qua proinde nos perpellente, conſultius eſt viſum;etiam deterrimis potius refici, quam per ſuperbum faſtidium cum extremis incommodis conflictari. Suſtulimus igitur verius, quam hauſimus fruſta paluſtria, quodque ſpes eſſet cum tempore defæcata fontana limum in fundo deſeſſurum; omnes, ac totos pileos nuda repleuimus. P. *Biſſelius Argon. l. 9. n. 8.*

*Alias deſcriptiones fluminum vide apud Plinium,qui Boryſthenem deſcribit l.4.c.12. Iſtrum ibidem;Iordanem l.5. c.15. Indum.l.6.c.20.*

*Apud Pomp.Melam,qui l.2.c.3 deſcribit Rhenum;l.3. c. 1.Garumnam, & Tanaim l.6.c.6.*

*Apud Q. Curtium, qui l.5.deſcribit Medum.*

# TERRESTRIA.

## *Terra.*

AC principio terra vniuerſa cernatur locata in media ſede mundi,ſolida,& globoſa,& vndiq; ipſa in ſe ſe nutibus ſuis conglobata;veſtita floribus, herbis,arboribus, frugibus. Quorũ omniũ incredibilis multitudo inſatiabili varietate diſtinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium,riparum veſtitus viridiſſimos,ſpeluncarum concauas altitudines, ſaxorum aſperitates,impendentium montium altitudines, immenſitateſque camporum. Adde etiam reconditas auri argentique venas,infinitamque vim marmoris. quæ verò & quam varia genera beſtiarum vel circurum vel ferarum?

qui volucrum lapſus atque cantus? qui pecudum paſtus? quæ vita ſylueſtrium? Quid iam de hominum genere dicam, qui quaſi cultores terræ conſtituti non patiuntur eam nec immanitate belluarum efferari, nec ſtirpium aſperitate vaſtari, quorumque operibus agri, inſulæ littoraque collucent diſtincta tectis, & vrbibus? *Cicero l. 2. de nat. Deor.*

Cum ſatiatos ſpectaculo ſupernorum in terram oculos deieceris, excipiet te alia forma rerum, aliterque mirabilis. Hinc camporum in infinitum patentium fuſa planicies. Hinc montium magnis, & niualibus ſurgentium iugis erecti in ſublime vertices, deiectus fluminum, ex vno fonte in Orientem Occidentemque defuſi amnes. & ſummis cacuminibus nemora nutantia, & tantum ſyluarum cum ſuis animalibus, auiumque concentu diſſono. Varij vrbium ſitus, & ſeclusæ nationes locorum difficultate, quarum aliæ ſe in erectos ſubtrahunt montes, aliæ ripis lacu, vallibus, palude, circunfunduntur: adiuta cultu ſeges, & arbuſta ſine cultore fertilia, & riuorum leuis inter prata diſcurſus, & amæni ſinus, & littora in portum recedentia, ſparſæ tot per vaſtum inſulæ, quæ interuentu ſuo maria diſtinguunt. Quid lapidum gemmarumque fulgor, & inter rapidorum torrentium arenas, aurum interfluens, & in mediis terris, medioque rurſus mari nitentes ignium faces, & vinculum terrarum Oceanus continuationem gentium triplici ſinu ſcindens, & ingenti licentia exæſtuans. *Seneca in lib. de conſol. ad Mar.*

Sequitur terra, cui vni rerum naturæ partium, eximia propter merita cognomen indidimus maternæ venerationis. ſic hominum illa, vt cælum Dei, quæ nos naſcentes excipit, natos alit, ſemelque editos ſuſtinet ſemper. Hæc benigna, mitis, indulgens, & in vſus mortalium ſemper ancilla, quæ coacta generat? quæ ſponte fundit? quos odores, ſaporeſque? quos ſuccos, quos tactus? quos colores? quam bona fide creditum fænus reddit? quæ noſtri cauſa alit? Aduerſus hanc naturæ partem tamen ingrati ſumus, quaſi non ad delicias quaſque, non ad contumelias ſeruiat homini. In maria iacitur, aut vt freta admittamus, eroditur aquis, ferro, ligno, igne, lapide, fruge omnibus cruciatur horis. Penetramus in viſcera, auri argentiq;

venas,& æris, ac plumbi metalla fodientes, gemmas etiam & quoſdam paruulos quærimus lapides ſcrobibus in profundum actis. viſcera eius extrahimus, vt digito geſtetur gemma quam petimus.
*Plinius l. 2. nat. hiſt. c. 63.*

Terra hæc mortalium altrix, in media mundi parte collocata, quà læta ſegetibus eſt, quà dumetis ac rupibus hiſpida, quà ſalebris atque arenis arida, quà proximis fontibus vliginoſa, quà ſiluis obducitur, quà circumiectis clauditur montibus, quà vaſto patentique aperitur mari.
*P. Tar. Gallutius to. 1. or. 6.*

Aſpicitis in media mundi ſede locatam terram, nutibus in ſe ſuis vndique conglobatam, florum, herbarum, frugum, arborum infinita prope multitudine, atque inſatiabili varietate conueſtitam. Aſpicitis fontium perennitates, liquores amnium pellucidos conſtantiſſime decurrentium in mare; ripas viridiſſimo ſemper habitu diſtinctas, abſconditas, abſtruſaſque penitus auri venas illas inexhauſtas; infinitam lapidum, gemmarum, marmoris vim quæ tam ſæpe ſuffoſſa, tamen ſemper, ac ſubinde reficitur: beſtiarum tum cicurum, tum ſilueſtrium, & ferarum innumerabilia genera, ſuo inter ſe paſtu ſegregata, ſua ſocietate conuenientia: auium emodulatiſſimos, & certis prope legibus inflexos ad numerum cantus: hominem omnibus hiſce præſidentem, & præfectum operibus, cuius ingenio, cultuque impendentium altitudines montium, camporum immenſitates, aſperitates ſaxorum, paſſim, atque vbique collucent.
*P. Tar. Gallutius to. 2. or. 1.*

## *Terræmotus.*

MAxima ergo cauſa eſt, propter quam terra moueatur, ſpiritus natura citus, & locum è loco mutans. Hic quandiu impellitur, & in vacanti ſpatio latet, iacet, innoxius, nec circumiectis moleſtus eſt. Vbi illum extrinſecus ſuperueniens cauſa ſollicitat, compellitq; & in arctũ agit, ſcilicet adhuc cedit tantũ & vagatur. Vbi erepta diſcedendi facultas eſt, & vndique obſtitur, tunc

*Magno,*

*Magno, cum murmure montis*
*Circum clauſtra fremit.*

quæ diu pulſata conuellit, ac iactat: eo acrior; quo cum valentiore mora luctatus eſt. Deinde quum circa perluſtrauit omne quod tenebatur, nec potuit euadere, inde quò maximè impactus eſt, reſilit, & aut per occulta diuiditur, ipſo terræ motu raritate facta, aut per nouum vulnus emicuit. Ita eius vis tanta non poteſt cohiberi, nec ventum tenet vlla compages: ſoluit enim quodcunque vinculum, & omne onus fert ſecum, infuſuſque per minima, laxamentum ſuperat, indomita naturæ potentia liberat, vtique concitatius ſibi ius ſuum vindicat. Spiritus verò inuicta res eſt: nihil enim erit quod

*Luctantes ventos, tempeſtateſque ſonoras*
*Imperio premat, ac vinclis, & carcere frænet.*

*Seneca nat. quæſt. l. 6. c. 18.*

Nunquam intremiſcunt terræ, niſi ſopito mari, cæloque adeò tranquillo, vt volatus auium non pendeant, ſubtracto omni ſpiritu qui vehit: nec vnquã niſi poſt ventos conditos ſcilicet in venas; & cauernas eius occulto afflatu. Neque aliud eſt in terra tremor, quàm in nube conſtruum. Nec hiatus aliud, quàm cum fulmen erumpit, incluſo ſpiritu luctante, & ad libertatem exire nitente. Variè itaque quatitur, & mira eduntur opera, alibi proſtratis mœnibus, alibi hiatu profundo hauſtis, alibi egeſtis molibus, alibi emiſſis amnibus, nonnunquam etiam ignibus, calidiſue fontibus, alibi aduerſo fluminum curſu. Præcedit verò comitaturque terribilis ſonus, alias murmur ſimilius mugitibus, aut clamori humano, armorumue pulſantium fragori, pro qualitate materiæ excipientis, formaque vel cauernarum vel cuniculi, per quem meat, exilius graſſante in anguſto, eodem rauco in recuruis reſultante, in duris fremente, in humidis fluctuante & ſtagnantibus: item fremente contra ſolida. Itaque & ſine motu ſæpe editur ſonus. Nec ſimplici modo quatitur vnquam, ſed tremit vibratque. *Plinius l. 2. nat. hiſt. c. 79 & 80.*

Primo lucis exortu ad diem nonum Cal. Septembris concreti nubium globi nigrantium, lætam paulo ante cæli ſpeciem confuderunt, & amandato Solis ſplendore, nec contigua vel oppoſita cernebantur,

ita oculorum obtutu præſtricto, humo inuolutas craſſæ caliginis ſqualor inſedit. Deinde velut numine ſummo fatales contorquente manubias, ventoque ab ipſis excitante cardinibus, magnitudo furentium incubuit procellarum: cuius impetu pulſorum auditus eſt montium gemitus, & eliſi littoris fragor: hæcque ſecuti typhones atque preſteres cum horrifico tremore terrarum ciuitatem & ſuburbana funditus euerterunt. Et quoniam accliuitate collium ædes pleræque vehebantur, aliæ ſuper alias concidebant reclangentibus cunctis ſonitu ruinarum immenſo. Interim clamoribus varijs excelſa culmina reſultabant, quæritantium coniugum liberoſque, & ſi quid neceſſitudinis arctè conſtringit. Poſt horam denique ſecundam, multo ante tertiam, aer iam ſudus, & liquidus latentes retexit funereas ſtrages, nonnulli enim ſuper ruentium ruderum vi nimia conſtipati, ſub ipſis interiere ponderibus. Quidam collo tenus aggeribus obruti, cum ſupereſſe poſſent ſi qui iuuiſſent, auxiliorum inopia necabantur. Alij lignorum extantium acuminibus fixi pendebant. Vno ictu cæſi complures paulo ante homines, tunc promiſcuæ ſtrages cadauerum cernebantur. Quoſdam domorum inclinata faſtigia intrinſecus ferebant intactos, angore, & inedia conſumendos: Inter quos Ariſtænetus affectatam regens diœceſim, curans vicaria poteſtate, quam Conſtantius ad honorem vxoris Euſebiæ Pietatis cognominarat, animam hoc caſu cruciatam diutius exhalauit. Alij ſubita magnitudine oppreſſi, ijſdem adhuc molibus conteguntur. Colliſis quidam capitibus vel humeris præſectis aut cruribus, inter vitæ mortiſque confinia, aliorum adiumenta paria perferentium implorantes, cum obteſtatione magna deſerebantur. *Ammian. Marcell. lib. 17.*

Grauis & publica calamitas eſt terrarum commotio & ſubſultus: montes diuidit, puteos obturat, ſaxa dirumpit, diſſipat ædificia, emouet ſubſtructiones, extirpat ſtirpes, obruit animantes, homines ex timoris magnitudine lymphatos reddit. Amnes in alium curſum contorquentur ac deflectuntur, aut abſorbentur, aut exareſcunt, & in eos mare influit. Nonnunquam noua, vti nouæ inſulæ, noui montes excitantur. Totæ regiones contremiſcunt, totæ vrbes, inſulæ,

inſulæ, montes in imum hauriuntur, vt aliquando nullum ſuperſit veſtigium. Sed eum ipſum affuturũ monent, & præcurrunt ſilentium cæli, ac tempeſtatum, ſeu maris quietiſſimus ſtatus (non enim vnquã terræ tremefiunt, teſte Plinio, niſi ſopito mari, cæloq; adeo tranquillo, vt volatus auium non pendeant, ſubtracto omni ſpiritu qui vehit: nec vnquam niſi poſt ventos, condito ſcilicet in venas, & cauernas occultas flatu: neque aliud eſt in terra tremor, quàm in nube tonitruum) ſubitò citrà flatum tumeſcens fluctus; crepitantia ædificia. Præterea in puteis aqua turbida, cum tetri odoris afflatu.

*P. Pontanus vol. 3. par. 1. prog. 13.*

Primum de improuiſo mugire ſolum vehementer, poſt fremitus maris audiri horribilis. Terra ſublime tolli, ædificia ſurſum erigi: erecta partim ruere, & conquaſſari, partim velut in ſumma tempeſtate, huc atque illuc commota nutare: loca pura mirificè agitari; materies ædificiorum frangi, lateres, & lapides, collidi, horum omnium fragor incredibilis audiri. Tantus excitari puluis, vt non videre, non alloqui, non videre quenquam per eum liceret. Extra domos paſſim vagabantur, quod inde agitatis tectis, tabulatiſque, & in ſe corruentibus parietibus vel tamquam præcipites darentur, vel ruinis aut mutilarentur, aut ſepelirentur. Etiam arbores radicitus vellebantur. Qui lapidibus aut lignis læſi iacebant, nec viuere poterant, nec mori, quod cupiebant. Qui euaſerant, eorum pars magna viſebatur inſigniter attrita; alij fractis cruribus alij humeris, non nulli ceruicibus multi ſanguinem reijciebant. Nulla fuit grauis calamitas, quam illi homines non experirentur. Vbi ceſſauit terræmotus, fuit qui ruinas conſcendens vocem viuę mulieris acciperet, habentis infantem, quem vna lecum lacte ſuo ſuſtentabat. Coraſius mons ita concuſſus eſt, vt eius culmina ſubſidere, & conuulſa in ipſam ciuitatem cadere viderentur. Subſedere præterea alij montes, & aquæ, vbi antea viſæ fuerant nunquam, extiterunt; contra, nonnullæ vbi fluxerant, deſtiterunt. *P. Pontanus ex Dione in Traiano vol. 3. p. 1. prog. 13.*

Londinum præcipuè motus ille concuſſit. Inſolitum iis regionibus malum etiam ſi magnitudine non

excelluiſſet, poterat inſigne exiſtimari. ſubſultare ſolum, nutare tecta, penè diſcedere ſub pedibus diſtracta humus, horrendo corruentium ædificiorum fragore miſceri omnia, neque innoxiæ ruinæ erant. Tectorum caſu, decuſſorumque ſaxorum mole obtriti mortales aliquot plures vulnerati; omnes vſque adeo exterriti, vt omnibus vrbis locis alienatis à ſenſu animis trepidarint primo homines, mox vel in morem lymphatorum domo ſe eijcientes tota vrbe pauidi excurrerint, vel ad preces, & vota conuerſi inſtans, vti rebantur, exitium deprecari ſint.

*Paulus Bombinus in vitâ Edmundi Campiani c. 59.*

Fortaſſe non deerit quiſpiam, qui hunc terræmotum non tam ſpiritibus deliteſcentibus, quam flammis prodeuntibus tribuendum putet; ſed cum ea nocte, quæ præceſſit eruptionem incendij, terra in vicinia maximè non ſemel mouerit. profectò à lucta ſpirituum, qui incluſi latebant terræmotum factum neminem latet, deinde primo qui occurrit obice, diffracto (ictus quidem verticem petebat, ſed aberrauit in latus) ſtatim illi velut agmine facto quà data porta ruunt, armati flamma, ignitaque inſtructi materia. ſed dum vna omnes ſine mora euadere conantur, anguſtiore oſtio præ tantis copijs, vehementius quati mons cœpit, atque conuelli. igitur & qui adhuc tamquam ira quadam perciti claudebantur ignei halitus, & qui iam cum impetu prodibant, terram quatiebant. hi verò cum erumperent, circumfuſum aerem impellebant, voluminibuſque flammarum protrudebant, ex qua rareſcentis aeris colliſione horribilis ille tremor in feneſtris præſertim vitreis fuit: porrò terræ comotio perpetuaque vibratio in hac vrbe, ac finitimis locis non niſi ex conſenſione continentis cum Veſuuio accid.bat; partibus videlicet inter ſe nexis, & communi coagmentatione compactis. *P. Maſculus de Incen. Veſu. l. 3.*

Primus terror, terræmotus, Præluſerat futuræ cladi paucis ante diebus cæca quædam montis obmurmuratio; quę à nonnullis nocturno ſilentio animaduerſa, nec vulgata, metu, vel diſſimulato, vel ſpreto. Tum nocte, quæ incendium prægreſſa eſt, terremotus identidem auditi, ſed tenues, quaſi leues quædam velitationes ante prælium. Demum, erumpente flam-

ma,

ma, ingens fragor è cacumine montis acceptus, quem, tanquam tubæ clangor pugnam prænunciaſſet, terræmotus excepere adeò crebri; vt non multi, ſed vnus per dies multos continenti ductus halitu videretur. Nutare perpetuò ſolum ſæpiſſimè ſucuſſari, frequenter etiam ſubſultare: idque ea, quæ ſecuta eſt, nocte circa primam horam, & quintam, poſtridie circa decimam ſeptimam tanto impetu, vt Vrbem ſuis diuellendam ſedibus putaremus: neque moueri tecta, ſed euerti. Nemò certè fuit pectoris adeò ſaxei, quin ſaxis, terraque trementibus contremuerit.
*P. Recupitus de incen. Veſuu.*

## *Terræmotus in mari.*

VT in Cambaiana littora ventum eſt (nam eam in primis regionem explorare placuerat) in ſumma repentè malacia, ſilentibus ventis, ab imo fluctus intumuit; inde naues inter ſe nutare; crepitare compages; tabulata concuti cæpta. Nautæ, ſubito pauore icti, cum in Syrtes illatam haud dubie claſſem crederent in ſumma perturbatione rerum omnium, alij bolidem demittere, alij ad exhauriendam ſentinam, vel ad clauū tenendum accurrere. Sapientiores alij, circumſpectare fugam, atque doliola ac tabulas ad enatandum arripere. Ipſe Imperator initio nequaquam expers timoris ac ſollitudinis fuit: ſed mox comperto eum eſſe terræmotum (quem nauigantes quoque ſentire non dubium eſt) ad ſocios hilari fronte conuerſus; Adeſte animis, inquit, viri aduentu noſtro perterritus Cambaianus Oceanus intremit.
*P. Maffeius hiſt. Ind. lib. 8.*

# QVATVOR TERRÆ PARTES.

## *Aſia.*

TRibus hanc è partibus tangit Oceanus ita nominibus vt locis differens. Eous ab Oriente, à Meridie Indicus, à Septentrione Scythicus Ipſa ingenti ac perpetua fronte verſa ad Orientem, tantum ibi ſe in latitudinem effundit, quantum Europa, & Africa, & quod inter ambas pelagus immiſſum eſt. Inde cum aliquatenus ſolida proceſſit ex illo Oceano, quem Indicum diximus, Arabicum mare, & Perſicum, ex Scythico Caſpium recipit: & ideo qua recipit anguſtior. Rurſus expanditur, & fit tam lata, quam fuerat. Deinde cum iam in ſuum finem, aliarumque terrarum confinia deuenit, media noſtris æquoribus excipitur: reliqua altero cornu pergit ad Nilum, altero ad Tanaim. Ora eius cum alueo Nili amnis ripis deſcendit in pelagus, & diu ſicut illud incedit, ità ſua littora porrigit. Deindè fit venienti obuiam, & primum ſe ingenti fronte ad Helleſponticum fretum extendit: ab eo iterum obliquat ad Boſphorum; Iterumque ad Ponticum latus curua, aditum Mæotidos tranſuerſo margine attingit.

*Pompon. Mela l. 1. c. 2.*

## *Africa.*

IN diuiſione orbis terræ plerique in parte tertia Africam poſuere, pauci tantummodo Aſiam & Europam eſſe: ſed Africam in Europa: ea fines habet ab Occidente, fretum noſtri maris, & Oceani: Ab ortu Solis decliuem latitudinem, quem locum Catabathmon incolæ appellant, mare ſæuum importuo-

ſum,

ſum, ager frugum fertilis, bonus pecori, arbori infœcundus: Cœlo terraque penuria aquarum: genus hominum ſalubri corpore, velox, patiens laborum: pleroſque ſenectus diſſoluit, niſi qui ferro aut beſtijs interiere, nam morbus haud ſæpè quemquã ſuperat. Ad hoc malefici generis plurima animalia.
*Saluſtius de Bello Iugur.*

Africa ab Orientis parte Nilo terminatur pelago à cæteris: breuior eſt quidem quam Europa, quia nec vſquam Aſiæ., & non totius huius littoribus obtẽditur. Longior tamen ipſa, quam latior, & qua ad fluuium attingit, latiſſima. Vtque indè procedit, ità media præcipuè in iuga exurgens, pergit incurua ad occaſum; faſtigiatque ſe molliter, & ideo ex ſpatio paulatim adductior. Vbi finitur, ibi maximè anguſta eſt. Quantum incolitur eximiè fertilis. Verum quod pleraque eius inculta, & aut arenis ſterilibus obducta, aut ob ſitim Cæli terrarumque deſerta ſunt, aut infeſtantur multo ac malefico genere Animalium: vaſtã eſt magis, quam freqnens. Mare quo cingitur, à Septentrione lybicum, à meridie Aethiopicum, ab Occidente Atlanticum dicimus. Ab ea parte, quæ lybico adiacet, proxima Nilo prouincia, quam Cyrenas vocant deinde cui totius regionis vocabulo cognomen inditum eſt, Africa. Cætera Numidæ, & Mauri tenent. *Pom. Mela. lib. 1. c. 4.*

## *Europa.*

EVropa terminos habet ab Oriente Tanaim, & Mæotida, & Pontum, è meridie reliqua noſtri maris ab Occidente Atlanticum, à Septentrione Britannicum Oceanum, Ora eius, forma littorum, à Tanai ad Helleſpontum, qua ripa eſt dicti amnis, qua flexum paludis ad Boſphorum redigit, qua ponto, Propontidi, & helleſponto latere adiacet, contrarijs littoribus Aſiæ non oppoſita modo, verum etiam ſimilis eſt. Inde ad fretum nunc vaſtè retracta, nunc prominens tres maximos ſinus efficit, totidemque in altum ſe magnis frontibus euehit. Extra fretũ ad Occidentem inæqualis admodum præcipuè media, qua procurrit ad Septentrionem, niſi vbi ſemel iterumq;

grandi receſſu abducitur, penè vt limite extenta eſt. Mare, quod primo ſinu accipit Aegæum dicitur: quod ſequenti, in ore, Ionium, Adriaticum interius: quod vltimo nos Tuſcum, Graij Tyrrhenum perhibent, *Pompon. Mela l.1. c.3.*

## *America.*

VLtra cognitum noſtris hominibus ac ſcriptoribus terrarum hemiſphærium, quod Europęus, Aſiaticus, & Africanus mundus inſedit: ad Occidentis excurſum; alterius eſt Heſmiphærij terreſtris ſpatium; immani profundo, Regnis, & Inſulis occupatum, currente per medium æquatore circulo, ſic, vt medium diſſecet; illiuſque dimidium alterum ad Septentriones, alterum autem (æqua propemodum portione) pertineat ad Auſtri plagas. Huius tantæ molis magnitudo, capacitaſque qua terræ continentis, quaque pelagi finibus & ambitu cenſa; pœnè cæterum omnem, maioribus noſtris compertum orbem æquat; Vnde velut in æmulationem veteris, Superiore memoria noui nomen orbis accepit. Longitudo (ſi metiaris à freti Magellanici flexibus, ad vſque fretum Anianum) bis mille quadringentorumque milliarium eſt magnorum; quibus itinera Germani metiuntur; ſiue noſtram quis Geometriam malit; quatuor millium octingentarum leucarum. Altitudo potius à promontorio fortunæ tracta, lineis rectis, ad promontorium Bretonicum nouæ Franciæ, bis mille ſexcentarum leucarum eſt. Circumluitur, ab ortu Solis, in hemicycli ferè formam Atlantico Mari: pariique propemodū ſpatio, (ſed obuerſa figura) cingitur America mari Zurio, ſeu pacifico, qua vergit in Occidentem. Ab Auſtro terris vrgetur, & clauditur, quas vulgus incognitas appellat; interfluente freto Magellanico cæteroque quod ad Antarctum iacet mari; qua maximè coit in anguſtum, plagas Aquilonares ingens in polum Arcticum vaſtitas extendit; continens, an fluens, adhuc incertum; propter horridam quæ noſtrorum acceſſus abſterret barbariem, Cæterum America, cum vtrinque procurrerit intra ſe ſe, ſuique velut vmbilicum in medio repererit: ar-

ctatis

ſtatis marium & continentis faucibus Iſthmũ efficit, longitudine cæteris omnibus nobiliorem; ſed latitudine diſparem, ac variantem. Cuius contractiſſimum comperimus interuallum, inter auriferæ Caſtiliæ duas Vrbes, è regione ſemet reſpicientes, Panamam, & Nombrediosam. Ibi ſe nouus orbis partitur, alterum ſui dimidium in Aquilones, alterum in Auſtros diſpeſcens. *P. Io: Biſſelius Argon. Amer. l 12. num. 2. & 8.*

# RELIGIONIS, PROVINCIÆ, REGNA.

## *Italia.*

NEc ignoro, ingrati ac ſegnis animi exiſtimari poſſe meritò, ſi breuiter atque intranſcurſu, ad hunc modum dicatur terra, omnium terrarum alumna eadem & parens numine Deûm electa, quæ cælum ipſum clarius faceret, ſparſa congregaret imperia, ritusque molliret, & tot populorum diſcordes feraſque linguas, ſermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret, breuiterque vna cunctarum gentium in toto orbe patria fieret. Sed quid agam? Tanta nobilitas omnium locorum, quos quis attigerit? tanta rerum ſingularum populorumque claritas tenet. Vrbs Roma, vel ſola in ea, & digna tam feſta ceruice facies, quo tandem narrari debet opere? Qualiter Campanię ora per ſe, felixque illa, ac beata amænitas? vt palam ſit vno in loco gaudentis opus eſſe naturæ. Iam verò tota ea vitalis ac perennis ſalubritatis cæli temperies eſt, tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxij ſaltus, tam opaca nemora, tam munifica ſyluarum genera, tot montium afflatus, tanta frugum, & vitium olearumq; fertilitas, tam nobilia pecori vellera, tot opima tauris colla, tot lacus, tot amnium, fontiumque vbertas to-

tam

tam eam perfundens, tot maria, portus, gremiumque terrarum commercio patens vndique & tanquam ad iuuandos mortales, ipſa auide in maria procurrens. Neque ingenia ritusque ac viros, & lingua manuque ſuperatas commemoro gentes. Ipſi de ea iudicauere Græci, genus in gloriam ſuam effuſiſſimum, quotam partem ex ea appellando Græciam magnam.

*Plinius lib. 3. nat. hiſt. c. 5.*

De homine ſatis dictum habeo. Nunc, vt ad deſtinatum reuertamur, ad locorum commemorationem ſtilus dirigendus eſt, atque adeo principaliter in Italiam, cuius decus iam in Vrbe contigimus. Sed Italia tanta cura ab omnibus dicta eſt, præcipuè à Marco Catone, vt iam inueniri non poſſit, quod non veterum autorum præſumpſerit diligentia, largiter in laudem excellentis terræ materia ſuppetente, dum ſcriptores præſtantiſſimi reputant locorum ſalubritatem, cæli temperiem, vbertatem ſoli, aprica collium, opaca nemorum, innoxios ſaltus, vitium olearumq; prouentus, ouilia pecuaria, tot amnes lacus tantos, bifera violaria: inter hæc Veſeuum flagrantis animæ ſpiritu vaporantem, tepentes fontibus Baias, colonias tam frequentes, tam aſſiduam nouarum vrbium gratiam tam clarum decus veterum oppidorum quæ primum Aborigines, Arunci, Pelaſgi arcades, ſiculi, totius poſtremò Græciæ aduenæ, & in ſumma victores Romani condiderunt. Ad hæc littora portuoſa, oraſque habet patentibus gremijs, commercio orbis accõmodatas. *Solinus cap. 8.*

Ergò in toto orbe, & quacunque cæli conuexitas vergit, pulcherrima eſt omnium, rebuſque merito principatum naturæ obtinens, Italia rectrix parenſque mundi altera, viris, fæminis, ducibus, militibus, ſeruitijs, artium præſtantia, ingeniorum claritatibus, iam ſitu ac ſalubritate cæli atque temperie, acceſſu cunctarum gentium facili littoribus portuoſis, benigno ventorum afflatu (etenim contingit recurrentis poſitio in partem vtiliſſimam, & inter ortus occaſuſq; mediam) aquarum copia, nemorum ſalubritate, montium articulis, ferorum animalium innocentia, ſoli fertilitate, pabuli vbertate. Quicquid eſt quo carere vita non debeat, nuſquam eſt præſtantius: fruges, vinum, olea, vellera, lina, veſtes, iuuenci. Ne equos

quidem

quidem in trigarijs præferri vllos vernaculis animaduerto. Metallis auri, argẽti, æris, ferri, quandiu libuit exercere, nullis ceſſit: & ijs nunc in ſe grauida, pro omni dote varios ſuccos, & frugum pomorumque ſapores fundit. Ab ea exceptis Indiæ fabuloſis, proximè quidem duxerim Hiſpaniam quacunque ambitur mari. *Plinius nat. hiſt. l. vlt. c. vlt.*

## *Campania.*

OMnium non modo Italia, ſed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga eſt. nihil mollius cælo: denique bis floribus vernat. nihil vberius ſolo: ideo Liberi, Cereriſque certamen dicitur nihil hoſpitalius mari. Hic illi nobiles portus, Caieta, Miſenus, & tepentes fontibus Baię, Lucrinus, & Auernus quædam maris otia. Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Maſſicus, & pulcherrimus omnium Veſuuius Ætnæi ignis imitator. Vrbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, & ipſa caput vrbium Capua, quondam inter tres maximas Romam, Carthaginemque numerata. *L. flormi lib. 1. cap. 16.*

## *Germania.*

GErmania hinc ripis eius vſque ad Alpes, è meridie ipſis Alpibus; ab Oriente Sarmaticarum confinio gentium; quà Septentrionem ſpectat oceani-co littore obducta. Qui habitant, immanes ſunt animis, atque corporibus, & ad inſitam feritatem vaſtè vtraque exercent, bellando animos, corpora ad conſuetudines laborum maximo frigore nudi agunt, antequam puberes ſint, & longiſſima apud eos pueritia eſt. Viri ſagis velantur, aut libris arborũ, quamuis ſæua hyeme nandi non patientia: tantũ illis, ſed ſtudiũ etiã eſt. bella cum finitimis gerunt, cauſas eorũ ex libidine acceſſunt. neq; imperitandi, prolatandiq; quę poſſident (nam ne illa quidem enixè colunt) ſed vt circa ipſos quæ iacent, vaſta ſint. Ius in viribus habent; adeo vt ne latrocinij quidẽ pudeat: tantum hoſpitibus boni, miteſque ſupplicibus. Terra ipſa multis impedita flu-

minibus, multis montibus aſpera, & magna ex parte ſiluis ac paludibus inuia. Paludum Sueſſa, Meſia, & Melſiagum maximæ. Siluarum Hercinia, & aliquot ſunt quæ nomen habent; ſed illa dierum ſexaginta iter occupans, vt maior alijs, ita & notior, Amnium in alias gentes exeuntium Danubius & Rhodanus: in Rhenum Mœnus, & lupia: in Oceanum Amiſius Viſurgis & Albis clariſſimi.

*Pomp. Mela lib. 3. c. 3.*

Germania amœniſſima, cultiſſima, fructuoſiſſima, rebus omnibus præcellentiſſima eſt, quæ vel ad vſum vitæ requiruntur, vel aliqua in laude omnium ſuffragijs ſententijſque ponuntur. Poſita eſt ſub cælo mitiore, vt nec frigore nimio rigeat, nec vratur caloreз: quæ duæ res faciunt, vt parum habitabiles, parumq; frequentes ſint oræ illæ, in quibus dominantur ac ſæuiunt. Noſtra autem regio populorum hominumque propter cæli clementiam, ac ſalubritatem quam dixi, ditiſſima eſt, & venenatis beſtijs, quæ ex immoderatis caloribus procreantur, quibus etiam fruges vitiantur, propemodum caret; nec alia progignit, ex quorum vſu pernicies humanæ vitæ comparetur. licet ambulare milliaribus multis per viridantia, & florifera prata, per quæ fluitant rauco cum murmure ſtrepitantes riuuli, per opaca nemora, per frondoſas ſyluas, per vmbroſas valles. Occurrunt tot irrigui, & per quàm feraces horti, colles aprici, montes excelſi, nobiliſſimi amnes, liquidiſſimi fontes, thermæ ſaluberrimæ. Quid dicam de tam multis, vel potius innumerabilibus oppidis; de florentiſſimis, pulcherrimis, ampliſſimiſque vrbibus; de caſtellis, de vicis; de arcibus montanis & campeſtribus, quibus mirum dictu quantopere ornetur, & illuſtretur Germania. Templa haud ſcio an vſpiam aut plura, aut magnificentiora viſantur: quod quidem mihi etiam ad amœnitatem, ſplendoremque patriæ noſtræ videtur pertinere. *P. Fontanus vol. 3. par. 1. progymn. 32.*

## *Hiſpania.*

PYrenæus primo hinc in Britannicum procurrit oceanum, tum in terras fronte conuerſus Hiſpaniam

niam irrumpit, & minore eius parte ad dexteram excluſa trahit perpetua latera continuus, donec per omnem prouinciam longo limite immiſſus, in ea litora quæ Occidenti ſunt aduerſa perueniat, Ipſa Hiſpania, niſi quà Gallias tangit, pelago vndique incincta eſt: vbi illis adhæret maximè anguſta, paulatim ſe in noſtrum mare & oceanum extendit, magis magiſque latior ad Occidentem abit, ac fit ibi latiſſima. Viris equis, ferro, plumbo, ære, argento, auroque tam abundans, & adeo fertilis, vt ſicubi ob penuriam aquarum effœta, & ſui diſſimilis eſt, linum tamen aut ſpartum alat. *Pom. Mela lib. 2. c. 6.*

Nam primum tibi mater Hiſpania eſt, terris omnibus terra felicior, cui excolendæ atque adeo ditandæ impenſius quam cæteris gentibus ſupremus ille rerum fabricator indulſit, quæ nec auſtrinis obnoxia æſtibus, nec Arctois ſubiecta frigoribus, media fouetur axis vtriuſque temperie: quæ hinc Pyrenæis montibus, illinc Oceani æſtibus, inde Tyrrheni maris littoribus coronata, naturæ ſolertis ingenio velut alter orbis includitur. Adde tot egregias ciuitates, adde culta inculta que omnia vel fructibus plena, vel gregibus: adde auriferorum opes fluminum, adde radiantium metalla gemmarum. Scio fabulas poetarum auribus mulcendis repertas aliqua nonnullis gentibus attribuiſſe miracula, quę dum ſint vera, ſunt ſingula: nec iam excutio veritatem. ſint vt ſcribitur Gargara prouentu læta tritici. Meuania memoretur armento, Campania cenſeatur monte Gaurano Lydia prędicetur amne Pactolo, dum Hiſpanię vni quicquid laudatur aſſurgat. Hæc duriſſimos milites, hæc expertiſſimos duces, hæc facundiſſimos oratores, hæc clariſſimos vates parit. Hæc iudicum mater, hæc principum eſt. *Lat. Pacatus in paneg. Theod.*

## Gallia.

O Gallia tot virorum fortium, tot egregiorum principium, tot ſummorum Pontificum, qui tanta cum laude Eccleſiæ Dei præfuerunt, parens. Tu ne illa es, quæ ſuſceptam à Chriſti & Apoſtolorum diſcipulis fidem nunquam poſtea deſerueras? quæ

quæ non à tuis tantum, ſed ab aliorum quoque finibus hæreticos, alioſque hoſtes nominis Chriſtiani tam ſæpe depuleras? quæ Europam, Africam, Aſiam geſtis pro Chriſti fide bellis nobilitaueras? quæ violatam ab alijs Sedis Apoſtolicæ dignitatem tam ſæpe reſtitueras, tam firmis præſidijs ſepſeras, tam multis ornamentis affeceras? quæ Vrbem Romam ab imminenti direptionis & excidij periculo tam ſæpe liberaueras? *Muretus to. 1. or. 22.*

Nimirum in ore iſto maieſtatis, indoliſque pleniſſimo intueri mihi videor ipſam pene Galliam, belli paciſque magiſtram artium, Heroum ſemper altricem, ſemper imperatoribus fœtam, aſſiduo Regum ac Ducum partu nunquam effœtam. Illam inquam in ipſa Religionis arce ſub aſpectum mihi venire Galliam puto, in cuius armatæ ſinum tam ſæpe hac ex ſede factioſorum conſpiratione deiecta viſa eſt quondam Roma cum ſuo capite conuolare. fama enim perhibentur, & litteris illi veſtri barbarorum euerſores, & terrarum domini potentiſſimi, quorum regnis extorres olim Vrbe Pontifices excepti ſunt, opibus recreati, manibus & famulatu domū perducti, armato milite Romam reducti, auctoritate atque imperio Chriſtianæ Reipub. clauo, ipſiſque propemodum cæli clauibus reſtituti.
*P. Tarq. Gallutius to. 1. or. 17.*

## *Belgium.*

Belgium quod & Flandria, portio quidem Europæ perexigua eſt, quippe quæ non multum excedat quintam Italiæ partem, nec vltra milliaria circiter mille ambitu protendatur, tamen haud ſcio, an facile vlla ſit vſpiam regio aut ditior, aut frequentior: cum non minus fructuum è Belgio ſuo Princeps, quā Angliæ Rex ampliſſima ex Inſula (ſi demas Sacrorum ſpolia) percipere conſueuerit: & vrbes in ea ſiue mœnibus clauſæ, ſiue clauſis magnitudine propemodum pares; ſuper trecentas & quinquaginta cenſeantur: pagi verò maiores vltra ſex millia & trecentos numerentur: vt nihil de minoribus vicis arcibuſque loquar, quibus ſupra omnem numerum conſitus

conſitus eſt Belgicus ager. Iam hominum virtus, operum molitio, varietas, copia quantum anguſtias belgici tractus egreditur? Nuſquam militia aut ingenioſior, aut affluentior, aut diuturnior. Planè vt aperto hic ludo accurrentes vndique populos erudire mars ad bellum videatur. Quæ verò ignota marium littora, quaſque deſinentis mundi oras ſcrutata non eſt Belgarum nautica? Nimirum quanto illos natura intra fines terræ contractiores incluſit: tanto ampliores ipſi ſibi aperuere Oceani campos, quos ſubigerent incolerentq; Belgij velut pomœria prolatantes. At lanificia atque texturæ non implent modo, quanta eſt, Europam: ſed longè latèque per Africę, Aſiæq; populos circumferunt quotidie Belgium: ipſique ad Occidentem Indi ex laneis ac lineis opificijs Belgicarum nomina vrbium didicere. Demum tata admiramur hodie machinamenta, quæ Belga aut non inuenerit, aut non abſoluerit. *P. Famianus dec. 1. lib. 1.*

## *Sicilia.*

INſulam Tyrrheni freti regnatricem Siciliam, quæ vt miraculo ſit nationibus alijs, in aquis viuens, ab ignibus animatur; abunde contra hoſtium incurſus prouidentiſſima natura muniuit, cui pro foſſa dedit mare circumfluens, pro turre imminentem deſuper Aetnam, ac peruigilibus flammis excubantem. Neque opus hoc propugnaculum habet igniarijs armari tormentis, terrenisue fulminibus circumuallari: quando ſuis mons ipſe viſceribus amore patriæ ſuccenſis, atque ad eam defendendam libenter effuſis improuiſo fulgure, tonitruque horribili vel in medijs vndis inimicæ claſſi minitatur incendium. Et iuſtiſſimus quidem fuit in ea propugnanda inſula naturæ conatus; quæ non ſolum eſſet ex antiquo præconio horreum Populi Romani, ſed etiam hortus ac delicium generis humani. Quamobrem non omnino mendacij rea facienda ſunt veterum commenta poetarum, quæ magiſtras voluptatum Syrenes in Sicilia, tanquam deliciarum in regno collocarunt: hoc potius nomine fabuloſa; quod in portu ſalutari nocentes effinxere delicias. *Ex Orat. de S. Roſalia.*

*Britan-*

## *Britannia ſiue Anglia.*

O Fortunata & nunc omnibus beatior terris Britannia, quæ Conſtantinum Cæſarem prima vidiſti. meritò te omnibus cæli ac ſoli bonis natura donauit,in qua nec rigor eſt nimius hyemis,nec ardor æſtatis:in qua ſegetum eſt tanta fœcunditas, vt muneribus vtriuſque ſufficiat & Cereris & Liberi: in qua nemora ſine immanibus beſtijs, terra ſine ſerpentibus noxijs: contra pecorum mitium innumerabilis multitudo lacte diſtenta, & onuſta velleribus. certè quod propter vitam diligitur, longiſſimæ dies, & nullæ ſine aliqua luce noctes,dum illa littorum extrema planities non attollit vmbras, noctiſque metam cæli & ſiderum tranſit aſpectus, vt ſol ipſe qui nobis videtur occidere, ibi appareat præterire.
*Eumenius in Paneg.Conſtant.*

## *Iaponia.*

QVem igitur vulgo Iaponẽ vocant,ex præcipuæ tres inſulę ſunt,circumfuſis alijs minoribus interfluo euripo diſiunctæ. Totius terræ longitudo ferme in ducentas, vt ferunt leucas excurrit: huic nequaquam reſpondet latitudo; decem tantum alicubi patet, ſummum triginta non amplius. de ambitu nondum certi proditum eſt. Iacet ab Aequatore in Arctum à trigeſimo gradu ad trigeſimum fere octauum. Ab Oriente obuerſa eſt nouæ Hiſpanię centum & quinquaginta leucarum interuallo. A Septentrione Scythas vel Tartaros, & alios ignotæ feritatis populos.Ab Occidente aſpicit Sinas, varia pro littorum flexu excurſuue diſtantia.A meridie vaſto mari interſuſo inexploratas habet terras. Tellus maxima ex parte niualis ac frigida,neque admodum ferax. Septembri menſe oryzam,quibuſdam etiam locis Maio triticum metunt,neque ex eo panes more noſtro.ſed genus quoddã offæ ſeu polentę conficiunt. Salubris cæli temperies: aquæ bonæ:calidas etiam alicubi medicos in vſus emicare cognitum eſt.

eſt. E terræ v iſceribus incolæ varia effodiunt metalla, & longinquas nationes ea merce polliciunt. Arbores vel ad amænitatem, vel ad fructum ſerunt haud abſimiles noſtris. Plurima verò varijs locis exſurgit cedrus, tantæ proceritatis, & craſſitudinis, vt inde fabri baſilicarum columnas & cuiuslibet quamuis capacis onerariæ malos efficiant. Ex animantium genere, oues, porcum, gallinam, anſerem, fœdaſque alias domi haud quaquam alunt Iaponij: ſi caro guſtanda ſit, ferina veſcuntur. Campos boum, & equorum militarium armenta: ſaltus atque dumeta, lupi, apri cuniculi, cerui pererrant. Butyrum neſciunt: oliuo carent: factitio vtuntur è cetis ad littus eiectis: pineas tædas, ac faces, alicubi etiam paleas ad lumen adhibet vulgus. Procera ſtatura, ſi cui contigerit, & decoro corporum habitu gloriantur. lenta pleriſque viuacitas: firmæ vires: in ſexageſimum vſque annum militaris ætas extenditur.

*P. Maffeius hiſt. Ind. lib. 12.*

## *Braſilia.*

IAm dudum ſatis ſuperque notum eſt Braſiliam in ea noui continentis eſſe parte, quam vulgò Peruuium appellant. Regio toto in hemiſphęrio Auſtrali ſita eſt, maximam partem in ea plaga, quam Zonam torridam dicunt: eius tamen non modica pars infra Capricorni tropicum demittitur, argenteo flumine, & Oceano illam quaſi tenuem in cuſpidem acuentibus. Initium capit à ſeptentrione duobus infra æquatorem gradibus, renditque in Auſtrum ad quinque & triginta. Ad Orientem quà Heſperijs Africæ littoribus obtenditur, immani tractu Oceano alluitur; ora ipſa maritima multis ſinibus quà maioribus, quà minoribus, æquis fermè inter ſe ſpatijs diſtributis ſerratæ frondis inſtar, quaſi atte diſciſſa tota. Accedunt crebra, & ingentia flumina latis admodum alueis, & ingenti aquarum mole labentia; quæ cum in mare ſe exonerant, patentes nauigijs & commodos pleraque, tum ad quietam ſtationem, tum ad flumen ſubeundum aperiunt ſinus. Intus ad Occidentem altiſſimis montibus includitur; qui eam perpetuo iugo

quaſi

quaſi ſinu complexi, videntur à reliquis Peruuij partibus auertere. Terra ferax & benigna, & grata amœnitate delectabilis; frondoſæ ſyluæ folijs nunquam deciduis perpetuò vernant: & quamuis ex ſpiſſa arborum vmbra, vallibus paludoſis, & vaſtis aquarum lacunis, vapores aſcendant cæli ſalubritati infeſti, qui in pluuiam, & rorem ſoluuntur, maximam tamen anni partem lenes ventorum flatus ſub meridiem à mari exsurgunt, qui in mediam vſque noctem ſpirantes, omnem cæli diſcutiunt grauitatem.

*P. Berettarius in Vita Ioſ. Anchieta l. 1.*

## *Sinarum regio.*

SInarum regio Aſiæ pars eſt vltima, ſpatio locorum, & oppidorum frequentia, nulli earum gentium ſecunda, quippe eius longitudo amplius quatercentum Leucarum, latitudo tercentum perhibetur; vrbibus autem habitatur ita frequentibus, vt ſuperante multitudine, etiam flumina ipſa diſtentis conſtrata nauigijs incolantur. Ab Oriente, ac Meridie Oceano cingitur: à Septentrionibus muro latiſſimo, ac pene infinito diuiditur ab ijs Aſiæ Scythis, quos vocamus Tartaros: ab Occidente vlteriorem ſpectat Indiam. Sinæ ipſi pacis, quam belli artibus aptiores, vnius Regis nutum intuentur. Nulli apud eos Reguli, nulli Dynaſtæ: Rex vnus in omnes æque dominatur. Is per præfectos prouincias adminiſtrans, ex his cognoſcit grauiora cuiuſque loci negotia. Præfectorum verò ſeminarium non aula, ſed Academia eſt. Quippe ipſorum legibus, Regis propinqui, ac neceſſarij prorſus abſtinent adminiſtratione regni. Ex Gymnaſijs viri eloquentia ſimul, iuriſque prudentia præſtantes delecti, vrbibus, ac Prouincijs, non vtique ſuarum ciuitatum aut gentium, præſunt. Deos vulgo adeo contemnunt, vt ſeu preces irritæ fuerint, ſeu grauior aliquis inciderit caſus, Deos ſuos penates tamquam ſeruos accipiant plagis.

*P. Turſellinus in Vita S. Franc. l. 5. c. 8.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*Regio*

## Regio amœniſſima ac fertiliſſima.

Regionis forma pulcherrima. Imaginare amphitheatrum aliquod immenſum, & quale ſola rerum natura poſſit effingere. Lata, & diffuſa planities montibus cingitur. Montes ſumma ſui parte procera nemora, & antiqua habent. Frequens ibi & varia venatio. Inde cæduæ ſyluæ cum ipſo monte deſcendunt. Has inter pingues, terrenique colles (neque enim facile vſquam ſaxum, etiamſi quæratur, occurit) planiſſimis campis fertilitate non cedunt, opimamq; meſſem ſerius tantum, ſed non minus percoquunt. Sub his per latus omne vineæ porriguntur, vnamque faciem longè, latèque contexunt. Quarum à fine, imoque quaſi margine arbuſta naſcuntur: prata inde, campique Campi quos non niſi ingentes boues, & fortiſſima aratra perfringunt: tantis glebis tenaciſſimum ſolum, cum primum proſecatur, aſſurgit vt nouo demum ſulco perdometur. Prata florida, & gemmea, trifolium, aliaſque herbas teneras ſemper, & molles, & quaſi nouas alunt. Cuncta enim perennibus riuis nutriuntur. Ibi aquæ plurimum, palus nulla: quia deuexa terra quidquid liquoris accepit, nec abſorbuit, effundit in Tyberim. Medios ille agros ſecat nauium patiens, omneſque fruges deuehit in vrbem, hyeme duntaxat, & vere. Aeſtate ſummittitur, immenſique fluminis nomen arenti alueo deſerit autumno reſumit. Magnam capies voluptatem, ſi hunc regionis ſitum è monte proſpexeris. Neque enim terras tibi, ſed formam aliquam eximiamque pulchritudinem pictam videberis cernere, ea varietate, ea deſcriptione, quocumque inciderint oculi, reficiuntur. *Plinius iunior l. 5. epiſt. 6.*

Grenouicum peruetuſta Regum Britannicorum domus eſt, millia quatuor ſub Londino ad Tameſis ripas. Mons imminet Regiæ modico ſupercilio ſubiectum oppidum fluuiumque deſpiciens. Breuibus tumulis in illum aſcenditur, verticemque ingenti ambitu planities extendit. forte in eum bene, et mane conſcenderam: & ſolitudo circum erat, vt nemo interpellare poſſet cogitationum ludum dulciſ-

ſima libertate errantium. Sed memorabilis amœnitas pene citius animum quam oculos diffudit, aſpectu non Britannia tantum ſed fortaſſe tota Europa pulcherrimo. Ingens planities aliquot ſuſpenſa colliculis, rurſus montes in orbem effuſi, neque cito caſtigabant oculos, neque illos per immenſum cœlum ſpargebant, tametſi lætiſſima vbertate in viciniam exſudat, & ad radices montis redeuntibus in gyrum fluctibus inſulã pene molitur. Paſſim totto alueo naues, & omnis generis onerariæ: vt proximas quidem totas aſpicerem, cæterum longius ſtantes, aut ſub altiori ripa ex malis antemniſque tanquam nudam & brumalem ſyluam cognoſcerem. Nihil illa plaga viridius. Paſcuorum vtilitas eam frugibus abſtulit: & vix alibi felicior in gramina terrarum luxuries. Priuatorum quoque fundos de more patrio perpetuæ foſſæ, & pleræque in marginibus arbores ſepiunt. maximè vias publicas altiſſimæ populi à lateribus tuentur, vt de monte deſpicienti perpetua facies hortorum videatur, ſaltuumque factorum ad ambulationis voluptatem. Præcipua eſt tam varia viriditas pene in diuerſos colores diſtributa; nam quæ longius abſunt velut cærula incumbentis cæli facies opacat: propiora denſiore fronde in arboribus nigra ſunt; vel humi herbarum tenui virore nitentia.

*Barclaius in Icone an. c. 2.*

Videre eſt temperatam aeris benignitatem, ita frigidam hyemem, vt ſæuire timeat ita calidam æſtatem, vt perpetuis fauonijs mitigetur: melius dicam, Ver perpetuum, Autumnum vberem. Non commemoro Solis ortum excipientes in vniuerſis collibus vites explicatas: in agris bene pinguibus ſegetes diffuſas: quocunque tuleris aſpectum ſyluas proceras; in ijs arbores tanto ordine quincuncem deſcribentes, vt non naturæ cauſa, non hominis induſtria, ſed Dei alicuius manu poſitæ & directæ videantur: quarum comæ dulciſſimis zephyrorum flabellis leniter ventilatæ placidiſſimo murmure auribus abblandiuntur. Huc accedit vis innumerabilis & copia gratiſſima auicularum, quæ vſque & vſque liquidiſſimos cantus tenui gutture fundirantes; intimos audientium ſenſus incredibili voluptate permulcent. Prætermitto prata perennibus Mæandris variè intertexta, quarum

aquula

aquula nitidiſſimâ ad diuerſi coloris lapillos molliter fracta, alliſaque ſuſurrum efficit dulciſſimum. *Ex Pal. Eloq. exerc. 7. lect. 4. pun. 2.*

## *Regio deſerta, inculta, & horrida.*

LOcorum aſperitas, hominum quoque ingenia durauerat. Gelidiſſimum Septentrionis axem ex magna parte ſpectant. Bactrianis ab Occidente coniuncti ſunt. Meridiana regio ad mare Indicum vergit. Tuguria latere primo ſtruunt. Et quia ſterilis eſt terra materiæ, in nudo etiam montis dorſo vſque ad ſummum ædificiorum faſtigium eodem laterculo vtuntur. Cæterum ſtructura latior ab imo, paulatim incremento in artius cogitur: ad vltimum in carinæ maximè modum coit. Ibi foramine relicto supernè lumen accipiunt. Ad medium vites, & arbores, ſi quæ in tanto terræ rigore durare potuerunt, obruunt. Penitus hieme defoſſæ latent. Cum hiems diſcuſſa aperire humum cæpit, cęlo, ſoliqne redduntur. Cæterum adeò altæ niues premunt terram gelu, & perpetuo penè rigore conſtrictæ, vt ne auium quidem, feræue vllius veſtigium exiſtat. Obſcura cæli verius vmbra, quam lux nocti ſimilis premit terram, vix vt quæ prope ſunt, conſpici poſſint. In hac tamen omnis humani cultus ſolitudine deſtitutus exercitus, quidquid malorum tolerari poteſt, pertulit, inopiam, frigus, laſſitudinem, deſperationem. *Q. Curtius lib. 7.*

## *Plaga terrarum torrida & arenoſa.*

PRimo Aethiopiam feruentiſſimam eſſe indicat hominum aduſtus color, & Troglodytæ quibus ſubterraneæ domus ſunt. Saxa velut igni ferueſcunt, non tantum medio, ſed inclinato quoque die: ardens puluis, nec humani veſtigij patiens: argentum replumbatur: ſignorum coagmenta ſoluuntur: nullum materiæ ſuperadornatæ manet operimentum. Auſter quoque qui ex illo tractu venit, ventus calidiſſimus eſt. Nullum ex his animalibus quæ latent bruma,

vnquam reconditur. Etiam per hyemem in ſummo & in aperto ſerpens eſt. *Seneca l. 4. nat. quæſt. c. 2.*

Iter expeditis quoque, & paucis vix tolerabile ingrediendum erat: terra cæloque aquarum penuria eſt: ſteriles arenæ iacent; quas vbi vapor Solis accendit, feruido ſolo exurente veſtigia, intolerabilis æſtus exiſtit: luctandumque eſt non tantum cum ardore & ſiccitate regionis, ſed etiam cum tenaciſſimo ſabulo, quod præaltum & veſtigio cedens ægrè moliuntur pedes. Ac primo quidem & ſequenti die tolerabilis labor viſus: nondum tam vaſtis nũ diſque ſolitudinibus aditis, iam tamen ſterili & emoriente terra. Sed vt aperuere ſe campi alto obruti ſabulo, haud ſecus quàm profundum æquor ingreſſi, terram oculis requirebant. Nulla arbor, nullum culti ſoli apparebat veſtigium. aqua etiam defecerat, quam vtribus cameli deuexerant, & in arido ſolo ac feruido ſabulo nulla erat. Ad hæc ſol omnia incenderat, ſiccaque & aduſta erant ora. *Q. Curtius lib. 4.*

Hæc prope vrbiũ ornamẽta, quæ ars Armuziæ congeſſit, fere totidem malis natura ibi cum arte perpetuo diſſidens facile compenſauit. Aeſtus in primis tanta vis, vt ardere omnia videantur; nuſquam alibi tantus, ne ſub ipſo quidem æquatore. quod ſanè mirum eſt, cum extra tropicos in zona ſit temperata. Tanta proinde eſt ſoli ſiccitas, quanta eſt meri ſalis ac ſulphuris; è quibus duobus tota inſula compoſita videri poteſt. Ipſos fluuios æſtate in ſalem, vt hyeme in glaciem ſua in Hollandia coire Gaſpar affirmat. inde è ſale colles, quibus alij, ſi aliquos exhauſeris, repente ſuccedunt. Eius acrimonia tanta eſt, vt quam carnem condiderit, prope exedat. Nec ſulphuris minor copia. ferunt olim toto ſeptennio arſiſſe: nec ita dudum montem vnum arſiſſe perhibent; hodieque montium vertices ignei coloris, aut calcem referentes incendium videntur confirmare.

*P. Nicol. Trigault. in Vita P. Gaſ. Barſai l. 2. c. 1.*

*Alias præterea regiones vt Græciam deſcribit Plinius l. 4. per multa capita.*

*Britanniam idem l. 4. c. 16. Corn. Tacitus in Vita Agric. Pomp. Mela l. 3. c. 2. Solinus c. 24. Barclaius in Icone anim. c. 4.*

*Aegyptum Plinius l. 5. c. 9. Solinus cap. 34.*

*Iudæam*

*Iudæam Plinius l.5.c. 12. & 13. Q. Curtius lib.5.*
*Poloniam & Lituaniam Iouius lib. 13. Muretus to. 2. orat. 18.*
*Scotiam Iouius lib. 11. Barclaius in Icone an. c. 4.*
*Moſcouiam Iouius lib. 13. Barclaius lo. cit. c. 8.*
*Tranſiluaniam idem lib. 17.*
*Cyprum Gratianus in lib. de bello Cyprio.*
*Indiam Q. Curtius lib. 8. Plinius l. 6. c. 17. Solinus cap. 13. P. Maffeius hiſt. ind. l. 1.*
*Taprobanam inſulam Plinius l. 6. c. 22. Solinus c. 54.*
*Malacam, olim auream Cherſoneſum P. Turſellinus in Vita S. Xauer. l. 2. c. 11.*
*Sinarum regionem P. Maffeius hiſt. ind. l. 6. P. Turſell. in Vita cit. l. 7. c. 15.*

# VRBES, ET OPPIDA.

## Roma.

ROmam tres portas habentem Romulus reliquit, aut (vt plurimas tradentibus credamus) quatuor. Mœnia collegere ambitu Imperatoribus, Cenſoribuſq; Veſpeſianis anno conditæ DCCCXXVIII. paſſuum XIII. M.CC. Complexa regiones quatuordecim, compita Larium CCLXV. Eiuſdem ſpatij menſura currente à milliario in capite Romani fori ſtatuto ad ſingulas portas, quę ſunt hodie numero triginta ſeptem, ita vt duodecim portæ ſemel numerentur prætereanturque ex veteribus ſeptem, quæ eſſe deſierunt, efficit paſſuum per directum XXX. M.DCC.LXV. Ad extrema verò tectorum cum caſtris prætorijs ab eodem milliario per vicos omnium viarum menſura colligit paulo amplius ſeptuaginta millia paſſuum. Quò ſi quis altitudinem tectorum addat, dignam profectò æſtimationem concipiat, fateaturque nullius Vrbis magnitudinem in toto Orbe potuiſſe ei comparari. Clauditur ab Oriente aggere Tarquinij Superbi inter prima opere mirabili. Namque cum muris æquauit, qua maximè patebat aditu plano. Cætero munita erat præcelſis mu-

ris, aut abruptis montibus, niſi quod expatiantia te-ﾠcta multas addidere Vrbes. *Plinius l. 3. hiſt. nat. c. 5.*

Circumſpice nunc tandem hanc Vrbem, atque in omnem eius partem oculos animumque conuerte. Vides eius amplitudinem, maieſtatem, ſplendorē, operam? quàm hæc ſunt ad vſum bona præclara ad aſpectum? non oſtendo tibi, vt olim, vrbem in montibus poſitam, cænaculis ſublatam atque ſuſpenſam; ſed magnam partem in plano explicatam loco, irrigatam fontibus, vijs amplis, ac perpetuis diuiſam, deſcriptis vicorum ordinibus, patefactis areis foriſque latiſſimis, tam multis ornatam ac diſtinctam domibus, templiſque, vt ipſa ornamentum quoddam, & templum totius orbis terræ, vti eſt, eſſe videatur. Quæ templa ædificata ſunt, non ex erarij viſceribus aut præda prouinciarum ſpoliatarum, cùm ſcilicet adminiſtrationis nomine pauper aliquis in diuitem ingreſſus prouinciam, pauperem diues relinquebat, ſed libenter collatis operis, opibus, hæreditatibus, pecunia: vt extent illa religionis, non ſuperſtitionis, magnificentiæ, non effuſionis; pietatis, non rapinarū monumenta. *P. Bencius orat. 2.*

Quid ergo plura commemorem? hæc ipſa excultrix omnium Ciuitas an non mundi perfectio eſt, conſumatioque terrarum? in quam vnam, vt Magni Conſtantini verbis vtar, vires omnes opifex rerum natura conſumpſerit: quippè cui mundum facere volenti ad primos Roma conatus exciderit. Vt ſanè ſicut complementum naturæ mundus eſt; ſic huius, & prima veluti delineatio, & ſuprema quaſi linea abſolutioque Roma meritò appellari poſſit. *P. Guiniſius allot. 7.*

Habet Roma, caput hoc Vrbium, innumerabilia quæ humanum ſupra faſtigium poſſint vnamquamq; ciuitatem amplificare. Si poſitum attendas, amæniſſimos vides circa colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges, ex maritimis commeatus accipiantur: mare, ad commoditates vicinū, ad pericula claſſium externarum ſatis remotum. quid plura? prouinciarum medium, Italiæ vmbilicū, atque ad incrementum vrbis, vt ille dixit, vnicè natum locum. Si externa magis, atque adiacentia circumſpicias, quæ agrorum bonitas? quæ frugū vbertas?

tas? quæ hortorum pulchritudo? quæ villarum frequentia? quæ celebritas ſuburbiorum? Si magis inſita, intimaque conſideres: quæ vrbis facies, quæ magnificentia ædium? quæ ſtructuræ templorum? quæ viarum amplitudo? quæ Ciuium humanitas? quæ copiæ quæ rerum omnium affluentia? quæ iudicia? quæ immunitas, quæ religio? Tecta ipſa Deus immortalis, ipſe parietinę, ac ſaxa, non ciuium attrita pedibus, quàm oſculis peregrinorum exesa, è remotiſſimis terræ finibus Ciuitates prouincias, regna ad ſe trahere ſua ſanctitate videntur.

*P. Tarquin. Gallut. to. 1. orat. 1.*

## *Roma Heroinæ ſpecie.*

NVlla immortalitatis dux aptior, quàm quæ gentium terrarúmque pene omnium imperium armis olim, nunc omnium planè religionis principatu adepta eſt. Oris illi ſpecies erat quæ Heroinam deceret, virili quàm muliebri propior, & eam tamen quantum auguſta ſeueritas patiebatur, formoſam dixiſſes. habitus militaris, pilum dextra, frenum ſiniſtra regebat, quadrigis enim inuehebatur. ferrum latere, cuius capulo geminas cæli claues ſuſpenderat. Thorace turtibus frequentibus depicto, Pontificiam capite thiaram ſuſtinebat. ſcuta, galeæ, acinaces, ſariſſæ cumulatim ad pedes hoſtium ſpolia iacebant.

*P. Bombinus in Veſt. Coll. Rom. par. 4.*

## *Roma Vetus.*

QVantam enim maieſtatem, quam formam putas fuiſſe pulcherrimæ huius Vrbis quantum decus viuentis ac vigentis: cum tantum, quantum videntes vix credimus, in ipſius cadauere atque adeo in ſepulcro appareat? cum ex eius reliquijs, ac rediuiuis, ex rutis inquam ac cæſis, ex parietinis excitentur, quæ aut principibus viris ædificantur domicilia, aut pijs cælitibus conſecrantur templa; quæ tum denique nonnihil habere videntur venuſtatis, cum antiquorum, quoad fieri poſſit vmbram aliquã

atque imaginem habent? Quid enim hoc loco narrem ampliſſimos circos, theatra ingentia, inſanas ſubſtructiones, excelſis ſuſtentatas columnis porticus, porticibus baſilicas, balneas cultu ſumptuque magnifico, ſigna ærea, lapidea, eburnea, maxima laxitate ædes, ac dignitate inſulas; in his aurata tecta ſola marmorea, bellicæ laudis victoriæque inſignia ac monumenta, impiorum numinum profana fana ac delubra, non egregijs modo locupletata picturis, ſed gemmis auroque fulgentia, eo ſplendore, atque opere, vt ars certare videretur cum materia? quid perfoſſos montes, æquatas valles ad fluminum deriuationes, ad aquarum ductus: qui, vt ſit hoc vnum exemplum inſtar omnium, vel à quadrageſimo milliario cum in eam excelſitatem extollerentur, vt omnibus eſſent Vrbis montibus altiores in Vrbem ipſam videntur aquas infudiſſe, diuitiarum flumine profuſo? erogata eſt enim in illud opus pecunia quaſi infinita: ter millies: qui numerus complectitur nouies illum reuera maximum decies centenum millium; eo ſumptu, atque opere, vt inuentus ſit qui diceret, nihil magis fuiſſe mirandum in toto orbe terrarum. Quid memorem immenſam aliquam, atque ad cælum extructam molem: cum omnes eiuſmodi fuerint, vt ad vnum quoduis explendum opus, operæ omnium hominum & manus ex omnibus terris deuictis, per multos annos videantur fuiſſe neceſſariæ? an non videntur hæc omnia, & alia, quæ pertermitto quamplurima, tot, & tanta, vt non alia pulchritudo, & magnitudo Vrbis extiterit, quam ſi mundus alius, vnum in locum, oſtentationis cauſa, & pompæ confluxerit? vt videatur merito imperator Conſtantinus Magni Conſtantini filius cum primum eam vidiſſet, templum orbis terræ magnificum appellaſſe, & famam accuſaſſe, quæ cum rebus narrandis affingat ſemper aliquid, quo faciat maius quod nunciat, in Roma ipſa contra faceret, in qua maiora omnia re, quam auditione viderentur.

*P. Bencius orat.* 1.

Videbant ſua mænia, quæ principio vix longurijs, ſublicijſque diſpoſitis, Palatino iugo fuerant vtcumque circumducta, non modo ſeptem illos occupaſſe colles, ſed ad duo, & quadraginta iam, producta

ducta milliaria omnes prope finitimorum terras eſſe complexa. Videbant anguſtam illam Romuli poſſeſſionem, quæ proxima Tyberis ripa coercebatur, ità longè, lateque prolatam, vt in ſuo iam imperio ſeptem, & triginta prouincias numerarent. Videbant perexiguam illam aduenarum, conuenarumque manũ, quæ Palatium olim inſederat, in tantam multitudinem excreuiſſe, vt ciues ſuos Roma tam implificata non caperet. Videbant quinque illa ſuburbia in longinquas exterorum terras excurrentia; videbant Capitolium prope aureum, Videbant Fora, Thermas, Templa, Baſilicas, Porticus columnis innixas immanibus; Videbant triumphales fornices, Theatra, Septiſolia, propylaea; videbant ipſas priuatorum ædes in modum prouinciarum extructas: videbant quę pro ſe quisque ſeruorum agmina duceret, quæ Principes effunderent in ludos munera, quas alendis militum copijs impenderent opes, quas colligerent è gentibus vniuerſis, populiſque diuitias. Hæc inquam intuebantur omnia, & ſimul illa tam parua ita magnæ Ciuitatis initia recordantes admiratione prope modũ, & ſtupore defixi, ſuę Natalem gloriæ reputabant. Hancine vrbem è magalibus illis extitiſſe? hanc è fortuito illo, atque inconſulto peregrinorum conuentu coaluiſſe Ciuitatem? tam ampla Principum, & priuatorum ædificia conſecuta eſſe tandem aliquando poſt Romuli caſas? tam ſplendida domorũ inſtrumenta, tam opulenta templorum donaria, tam magnas ſingulorum copias exagricolarum natas viliſſimo cenſu, atque ex errantium ſupellectili ruſticanorum. *P. Tarquin. Gallutius to. 2. or 4.*

Cuius fortitudinis, ac prudentię fuiſſe dicemus, Vrbem populorum omnium caput, ſuperſtitionis domicilium, florentem opibus, diffluentem delicijs, cultus religiones, ſanctitates, ac cæremonias exterorum irridentem, incredibili circumuallatam potentia efferatã armorũ aſſidua tractatione, diuturna geſtientem, ac pene luxuriantẽ fortuna, nouis inſtitutis condocefacere, imbuere ſacris, mitiſſimis cõformare moribus, imperio pene proſternere, ac proculcare? Quę fulmina, quæ tonitrua Vrbem hanc aeneam, adamantinis prope mænibus circumſeptam quatere, ac labefactare potuiſſent, niſi eas admouiſſet machinas,

& tormenta Paulus, quæ diu multumque minorum iam Vrbium expugnationibus exercitata, poſtremum ita facere periculum, vt regnorum, prouinciarum ciuitatum omnium deſecto capite, nihil pene ſuper eſſet amplius, quod vinceretur.
*P. Tarquin. Gallutius to. 2. or. 9.*

## *Romæ veteris veſtigia, & reliquiæ.*

HOc quoque priſtinæ gloriæ buſtum, hic vetuſtatis non dum euaneſcentis aſpectus, hæc in diſiectis male ſibi ſuperſtitis antiquæ famæ reliquijs ſepulcralis imago, magnis veterum nominibus, ac trophæis inſignita paſſim nonnullum ad imitationē generis in magnis ingenijs momentum habet. Nec ſanè parum eſſe dixerim, quicquid illud demum eſt, quod è parietinis hiſce prioris Vrbis intermortuæ cicatricibus, atque ex hoc ſemiſepulto Romæ cadauere generoſum quiddam & quaſi bellicum ſpirat. Quamuis enim in alto puluere victoriarum illa latè reſonans flamma conſederit; victorum tamen memoria, ſuorum funere triumphorū contecta, nec dum extincta, ſi paululum agitetur, intermicat, ac quodam quaſi vapore fugientis gloriæ recaleſcit cinis: vt quo te cunque conuerteris; ex hiſce monumentis præclara rerum memorabilium oculis obiecta ſpecies obuerſetur animis: quæ te quotidie maiorum tuorum propemodum vocibus appellet: ac velut ardentibus tædis, & dormientem excitet, nec patiatur conſiſtere vigilantem.
*P. Stephonius orat. 2. in fun. flam. Delph.*

## *Babylon.*

CÆterum ipſius Vrbis pulchritudo ac venuſtas, non regis modò, ſed etiam omnium oculos in ſemet haud immerito cōuertit. Semiramis eam condiderat, vel (vt plerique credidere) Belus cuius regia oſtenditur, murus extructus latereulo coctili, bitumine interlitus, ſpatium triginta, & duorum pedū latitudinem amplectitur. Quadrigæ inter ſe occurrentes

rentes ſine periculo commeare dicuntur, altitudo muri centum cubitorum eminet ſpatio. Turres denis pedibus, quam murus altiores ſunt Totius operis ambitus CCCLXVIII. ſtadia complectitur ſingulorum ſtadiorum ſtructuram ſingulis diebus perfectam eſſe memoriæ proditum eſt. Ædificia non ſunt admota muris, ſed fere ſpatium vnius iugeri abſunt. Ac ne totam quidem Vrbem tectis occupauerunt, per XC. ſtadia habitatur: nec omnia contigua ſunt, credo quia tutius viſum eſt, pluribus locis ſpargi. Cætera ſerunt, coluntque, vt ſi extrema vis ingruat obſeſſis alimenta ex ipſius Vrbis ſolo ſubminiſtrent. Euphrates interfluit, magnæque molis crepidinibus coercetur. Sed omnium operum magnitudinem circumueniunt cauernæ ingentes in altitudinem preſſæ ad accipiendum impetum fluminis: quod vbi appoſitæ crepidinis faſtigium exceſſit, Vrbis tecta corriperet, niſi eſſent ſpecus, locuſque qui exciperet. Coctili latereculo ſtructi ſunt: totum opus bitumine aſtringitur. Pons lapideus flumini impoſitus iungit Vrbem, hic quoque inter mirabilia Orientis opera numeratus eſt; quippe Euphrates altum limum vehit, quo penitus ad fundamenta iacienda egeſto, vix ſufficiendo operi firmum reperiunt ſolum. Arenæ autem ſubinde cumulatæ, & ſaxis quibus pons ſuſtinetur, annexæ morantur amnem, qui retentus acrius, quam ſi libero curſu mearet, illiditur. *Q. Curtius l. 5.*

## Syracuſæ.

VRbem Syracuſas maximam eſſe Græcarum Vrbium, pulcherrimamque omnium, ſæpè audiſtis: eſt iudices ita, vt dicitur: nam & ſitu eſt cum munito, tum ex omni aditu vel terra vel mari præclaro ad aſpectum: Et Portus habet propè in ædificatione, aſpectuque vrbis incluſos: Qui cum diuerſos inter ſe aditus habeant, in exitu coniunguntur, & confluunt. eorum coniunctione pars oppidi, quæ appellatur Inſula, mari disiuncta anguſto; ponte rurſum adiungitur, & continetur, ea tanta eſt vrbs, vt ex quatuor vrbibus maximis conſtare dicatur. Quarum vna eſt ea, quam dixi, Inſula: quæ duobus portubus cin-

cta, in vtriuſque portus oſtium, aditumque proiecta eſt; in qua Domus eſt, quæ Regis Hieroni fuit, qua Prætores vti ſolent. In ea ſunt ædes ſacræ complures, ſed duæ, quæ longe cæteris antecellunt; Dianæ vna, & altera, quæ fuit ante iſtius aduentum ornatiſſima. Mineruæ. in hac Inſula extrema eſt fons aquæ dulcis, cui nomen Arethuſa eſt, incredibili magnitudine pleniſſimus piſcium: qui fluctu totus operiretur, niſi mutatione, ac mole lapidum à mari diſiunctus eſſet. Altera autem eſt vrbs Syracuſis: cui nomen Acradina eſt: in qua forum maximum, pulcherrimæ porticus, ornatiſſimum Prytaneum, Ampliſſima eſt curia, templumque egregium Iouis olympij. Cæteræque vrbis partes vna lata via perpetua, multiſque tranſuerſis diuiſæ, priuatis ædificijs continetur. Tertia eſt vrbs, quæ, quod in ea parte fortunæ fanum antiquum fuit, tyche nominata eſt: in qua, & gymnaſium ampliſſimum eſt, & complures ędes ſacræ: coliturque ea pars, & habitatur frequentiſſimè. Quarta autem eſt vrbs: quæ quia poſtrema ædificata eſt, Neapolis nominatur: quam ad ſummam theatrum eſt maximum: præterea duo templa ſunt egregia, Ceteris vnum, alterum Liberi, ſignumq; Apollinis, qui theſmotes vocatur, pulcherrimum, & maximum: quod iſte ſi portare potuiſſet, non dubitaſſet auferre.

*Cicero act. 6. in Verrem.*

## *Venetiæ.*

VRbs eorum ampla atque magnifica, mercaturæ & rei naualis ſtudio à paruis initijs creuit. Sed ea propter incredibilem ſitus munitionem ante alias, & beata & admirabilis exiſtimatur, quod interfluentis Hadriæ paludibus cincta, nulliſque ob id opportuna hoſtium iniurijs, veteres theſauros domeſtica in pace cumulatos, periculoſis etiam temporibus conſeruauit. Nulli etenim à terra aditus, intercedente quadraginta ſtadiorum pelago, nulli penitus à mari ingreſſus propter cæca atque humilia vada vſu tantum indigenis nota, aut ingruentium barbarorum auaritiæ, aut magis ab alto claſſibus patuerunt.

tuerunt. Veneti homines in vniuerſum conſilio ſunt graues, ſeueri in iudicijs, & in aduerſa rerum fortuna conſtantes, in altera nunquam immodici. Omnibus cum idem ſit conſeruandæ libertatis, & augendi imperij incredibile ſtudium, in ſenatu liberè, & ſæpius acerrimè ſententias dicunt, nec quemquam temerè ex optimatibus, qui vel inſigni virtute, vel ſpiritu in gerendis rebus cæteris antecellat, nimio plus creſcere, vel collecta gratia potentem & clarum fieri patiuntur: Quibus inſtitutis dum ſeruitutis metu aliena virtute, quam ſua terreſtri in bello vti longe vtilius & tutius putant, togati omnes per octingentos amplius annos rempublicam nullis ferè inteſtinis ſeditionibus exagitatam adminiſtrarunt. Cæterum ipſa nobilitas totius maritimi negotij, & naualis diſciplinæ munera nauiter implet: Exutiſque togis arma deſumit. *Iouius lib. 1. hiſt.*

## *Neapolis.*

PRima cernitur in ipſo crateris aditu ad plagam aquilonarem Neapolis, vrbs regnorum propè æmulatrix, numero ciuium inter Italas facilè maxima, opportunitate mercium nobilè Europæ totius emporium, amænitate ſitus Bizantio non abſimilis: quippè mare procurrens, & alluentes vndas complectitur bis lunata in Semicirculum, omen deficientis fortunæ. Latere in campos excurrit: fronte iugis attollitur corona collium cincta, & ſi fas eſt dicere, Tyrrheni maris regina. Veſuuium à lęua proſpicit imminentem tantæ Vrbi, ſpectaturum, & ſpectandū. Indè inter beneficia cætera dulces manant aquæ, quæ partim obſtrictæ in riuos, atque in Regios aquæ ductus infuſæ ad Vrbanos puteos, fonteſque magna copia deriuantur, potu perbenignæ, ac ſalubres: partim labuntur in fluuium: qui ad Veſuuij pedes latiſſimos campos tortuoſis flexibus ambiens mira fertilitate perfundit: atque hinc, indè arboribus inumbratus, leni, & vix ſub aures cadente murmure, lapſuque placidiſſimo aquas in vicinum mare demittit. Amnis quidem perexiguus, & impar tanto monti progenies, ſed Poetarum carminibus, & Sebethi nomina

sic
et
no
n
de
n
Isti
pro
que
ser
nob
socc
pag
xim
rigi
facil

...uetus Rhodus. Huius vrbis olim ea fuiſ-
...l magnitudo, vel dignitas, vt Aſiæ Græ-
...iſſimas vrbes, & frequentia ciuium, &
...mque magnificentia facile cæteras om-
...aret. E ſummo iugo montis, quo terra
...ollis acceſſus eſt, perpetua publicarum,
...m ædium edificatione munita, pulcher-
...cripta protenditur in mare, deſcenſu fa-
...ue delabens ad eam oram alluentis ęſtus;
...um egregia molitione portum alterũ
...complectitur, quæ Coloſſus dicitur, ob
...agnitudinis ſtatuam, quam Chares ſta-
...ruxit. Coloſſon Gręci vocant ſignum im-
...oreum Soli ſacrum, & in oſtio per noctẽ
...do lumini, quo nautæ curſum ex alto di-
...tatum. Longum eſt cætera commemoran-
...l perilluſtria huius Vrbis ornamenta quæ
...fuiſſe memorantur; Vt Ariſtides nobiliſ-
...hiſtes vnum in locum congeſtum diceret;
...ſſet alibi diſperſum; cum hanc vrbem lau-
...m Orbem appellauit, nec dubitauit om-
...vrbibus anteferre. A ſummo mediam diui-
...uum vſque pertinens vna lata via perpetua
...anſuerſis alijs inciſa, priuatis ac publicis
...lluſtris; in qua forum maximum, perampla
...lcherrimæ porticus, ornatiſſimum Prita-
...emplum egregium Apollinis viſebatur, &
...anum perantiquum religioſiſſime cultum.
...mam viam Theatrum ex vna parte maximũ,
...a Gymnaſium omnis memorię longè nobi-
... celebrabatur Mnemoſynæ communiter, &
...æ ſacrũ, ingentibus collatitiæ pecuniæ ſump-
... Aſiæ Regulis exædificatum.

*...bonius Proſa 11.*

## *Mediolanum.*

...niant, licet ò Mediolanum, regijs quondam
...peris euocati lacus, deriuatis iugiter è ſuo
...lacidis amnibus, & nauigij patientibus, qui te
...labenti gyro, & lenocinanti ambitu complexi
... prodige mercimonijs beent. Regionum om-

nium

mine celebris fama maior, quam alueo Non procul hinc ad Veſuuij radices frequentibus pagis, caſtelliſque conſperſas celeberrima oppida, Herculanum, Pompeij, penè dixeram, ſed et deceptus recenti memoria priſtinæ fælicitatis. Dicendum potius, iam ſederunt, deſederunt; nunc vana nomina, & nihil præter cinerem, ac ruinas, documenta poſteris, Vrbes quoq; eſſe mortales Inde qua littus flectitur ad meridiem, viſuntur antiquæ Stabiæ, ſeu potius vmbræ antiquarum Secundum has, æſtiuæ deliciæ, Surrentum: cui breui ſpatio iungitur Maſſa Lubrenſis, peruetuſta Mineruæ ſedes, à qua Promontorium appellationem accepit. Hinc anguſtiſſimo, ac procelloſo freto diremptæ Capreæ, Inſula Tiberij domicilio, qui vrbem Seiano dilacerandam dederat, non tam nobilis, quam infamis nempè flagitiorum latebra. Hæc in auſtrum obuerſa, in altiſſimam ſe rupem attollens, certare videtur culmine cum Veſuuio, quem recta proſpectat è mari: ſed aſpectu ipſo humilior deprahenditur, & infra Veſuuium iugum.

*P. Recupitus de Veſuuio.*

## *Rhodus.*

IGitur eodem in loco, propterea quod præter cæteras eius regionis inſulas, victu facilis, ac perſalubris eſt; quà gelidiſſimis præterlabentium fluminum perennitatibus; quà mitiſſimis per ſtata tempora redeuntium ventorum aſpirationibus; quà maritimarum orarum portuoſis anfractibus ad inſignem ſpeciem, & propemodum ad luxum ludumq; ſinuatis; quà collium ac montium viridiſſimis, ac fructuoſiſſimis ſepimentis ad arcendos noxios afflatus iuſta per interualla dimenſis, ac veluti de induſtria obiectis; quà liquidiſſimi patentiſſimique cæli temperatione, clementia, ſalubritate; quà longè lateque diffuſa vel vbertate, vel amænitate camporum, faciliimum facto fuit vt eas ob cauſas eodem inquam in loco ſedes omnium nobilium artium, & commune nationum omnium emporium collocaretur. Iam verò totius inſulæ caput, eiuſdem nominis erat omni genere nobilitata laudis, fortunæ referta præmijs, præ-

diues ac peruetus Rhodus. Huius vrbis olim ea fuiſſe dicitur vel magnitudo, vel dignitas, vt Aſiæ Græciæque nobiliſſimas vrbes, & frequentia ciuium, & operum opumque magnificentia facile cæteras omnes vna ſuperaret. E ſummo iugo montis, quo terra marique mollis acceſſus eſt, perpetua publicarum, ac priuatarum ædium edificatione munita, pulcherrimeque deſcripta protenditur in mare, deſcenſu facili, ſenſimque delabens ad eam oram alluentis æſtus; vbi conceptum egregia molitione portum: altera pars vrbis complectitur, quæ Coloſſus dicitur, ob inuſitatæ magnitudinis ſtatuam, quam Chares ſtatuarius extruxit. Coloſſon Græci vocant ſignum immane marmoreum Soli ſacrum, & in oſtio per noctē ſuppeditando lumini, quo nautæ curſum ex alto dirigant excitatum. Longum eſt cætera commemorando perſequi perilluſtria huius Vrbis ornamenta quæ tam multa fuiſſe memorantur; Vt Ariſtides nobiliſſimus Sophiſtes vnum in locum congeſtum diceret; quicquid eſſet alibi diſperſum; cum hanc vrbem laudans paruum Orbem appellauit, nec dubitauit omnibus eam vrbibus anteferre. A ſummo mediam diuidit ad imum vſque pertinens vna lata via perpetua multis tranſuerſis alijs inciſa, priuatis ac publicis ædificijs illuſtris; in qua forum maximum, perampla Curia, pulcherrimæ porticus, ornatiſſimum Pritanæum, templum egregium Apollinis viſebatur, & fortunæ fanum perantiquum religioſiſſime cultum. Ad ſummam viam Theatrum ex vna parte maximū, ex altera Gymnaſium omnis memoriæ longè nobiliſſimum celebrabatur, Mnemoſynæ communiter, & Mineruæ ſacrū, ingentibus collatitiæ pecuniæ ſumptibus ab Aſiæ Regulis exædificatum.

*P. Stephonius Proſa 11.*

## *Mediolanum.*

VEniant, licet ò Mediolanum, regijs quondam imperis euocati lacus, deriuatis iugiter è ſuo ſinu placidis amnibus, & nauigij patientibus, qui te totum labenti gyro, & lenocinanti ambitu complexi effuſis prodigè mercimonijs beent. Regionum omnium

miue celebris fama maior, quam alueo Non procul hinc ad Veſuuij radices frequentibus pagis, caſtellisque conſperſas celeberrima oppida, Herculanum, Pompeij, penè dixeram, ſed et deceptus recenti memoria priſtinæ fælicitatis. Dicendum potius, iam ſederunt, deſederunt; nunc vana nomina, & nihil præter cinerem, ac ruinas, documenta poſteris, Vrbes quoq; eſſe mortales Inde qua littus flectitur ad meridiem, viſuntur antiquæ Stabiæ, ſeu potius vmbræ antiquarum Secundum has, æſtiuæ deliciæ, Surrentum: cui breui ſpatio iungitur Maſſa Lubrenſis, peruetuſta Mineruæ ſedes, à qua Promontorium appellationem accepit. Hinc anguſtiſſimo, ac procelloſo freto diremptæ Capreæ, Inſula Tiberij domicilio, qui vrbem Seiano dilacerandam dederat, non tam nobilis, quam infamis nempè flagitiorum latebra. Hæc in auſtrum obuerſa, in altiſſimam ſe rupem attollens, certare videtur culmine cum Veſuuio, quem recta proſpectat è mari: ſed aſpectu ipſo humilior deprahenditur, & infra Veſuuium iugum.

*P. Recupitus de Veſuuio.*

## Rhodus.

IGitur eodem in loco, propterea quod præter cæteras eius regionis inſulas, victu facilis, ac perſalubris eſt; quà gelidiſſimis præter labentium fluminum perennitatibus; quà mitiſſimis per ſtata tempora redeuntium ventorum aſpirationibus; quà maritimarum orarum portuoſis anfractibus ad inſignem ſpeciem, & propemodum ad luxum ludumq; ſinuatis; quà collium ac montium viridiſſimis, ac fructuoſiſſimis ſepimentis ad arcendos noxios afflatus iuſta per interualla dimenſis, ac veluti de induſtria obiectis; quà liquidiſſimi patentiſſimique cæli temperatione, clementia, ſalubritate; quà longè lateque diffuſa vel vbertate, vel amænitate camporum, facillimum facto fuit vt eas ob cauſas eodem inquam in loco ſedes omnium nobilium artium, & commune nationum omnium emporium collocaretur. Iam verò totius inſulæ caput, eiuſdem nominis erat omni genere nobilitata laudis, fortunæ referta præmijs, prædiues

diues ac peruetus Rhodus. Huius vrbis olim ea fuiſſe dicitur vel magnitudo, vel dignitas, vt Aſiæ Græciæque nobiliſſimas vrbes, & frequentia ciuium, & operum opumque magnificentia facile cæteras omnes vna ſuperaret. E ſummo iugo montis, quo terra marique mollis acceſſus eſt, perpetua publicarum, ac priuatarum ædium edificatione munita, pulcherrimeque deſcripta protenditur in mare, deſcenſu facili, ſenſimque delabens ad eam oram alluentis æſtus; vbi conceptum egregia molitione portum altera pars vrbis complectitur, quæ Coloſſus dicitur, ob inuſitatæ magnitudinis ſtatuam, quam Chares ſtatuarius extruxit. Coloſſon Græci vocant ſignum immane marmoreum Soli ſacrum, & in oſtio per noctē ſuppeditando lumini, quo nautæ curſum ex alto dirigant excitatum. Longum eſt cætera commemorando perſequi perilluſtria huius Vrbis ornamenta quæ tam multa fuiſſe memorantur; Vt Ariſtides nobiliſſimus Sophiſtes vnum in locum congeſtum diceret, quicquid eſſet alibi diſperſum; cum hanc vrbem laudans paruum Orbem appellauit, nec dubitauit omnibus eam vrbibus anteferre. A ſummo mediam diuidit ad imuum vſque pertinens vna lata via perpetua multis tranſuerſis alijs inciſa, priuatis ac publicis ædificijs illuſtris; in qua forum maximum, perampla Curia, pulcherrimæ porticus, ornatiſſimum Prytanæum, templum egregium Apollinis viſebatur, & fortunæ fanum perantiquum religioſiſſime cultum. Ad ſummam viam Theatrum ex vna parte maximū, ex altera Gymnaſium omnis memoriæ longè nobiliſſimum celebrabatur, Mnemoſynæ communiter, & Mineruæ ſacrū, ingentibus collatitiæ pecuniæ ſumptibus ab Aſiæ Regulis exædificatum.

*P. Stephonius Proſa 11.*

## *Mediolanum.*

VEniant, licet ò Mediolanum, regijs quondam imperiis euocati lacus, deriuatis iugiter è ſuo ſinu placidis amnibus, & nauigij patientibus, qui te totum labenti gyro, & lenocinanti ambitu complexi effuſis prodigè mercimonijs beent. Regionum omnium

mine celebris fama maior, quam alueo Non procul hinc ad Veſuuij radices frequentibus pagis, caſtellíſque conſperſas celeberrima oppida, Herculanum, Pompeij, penè dixeram, ſedent, deceptus recenti memoria priſtinæ fælicitatis. Dicendum potius, iam ſederunt, deſederunt; nunc vana nomina, & nihil præter cinerem, ac ruinas, documenta poſteris, Vrbes quoq; eſſe mortales Inde qua littus flectitur ad meridiem, viſuntur antiquæ Stabiæ, ſeu potius vmbræ antiquarum Secundum has, æſtiuæ deliciæ, Surrentum: cui breui ſpatio iungitur Maſſa Lubrenſis, peruetuſta Mineruæ ſedes, à qua Promontorium appellationem accepit. Hinc anguſtiſſimo, ac procelloſo freto diremptæ Capreæ, inſula Tiberij domicilio, qui vrbem Seiano dilacerandam dederat, non tam nobilis, quam infamis nempè flagitiorum latebra. Hæc in auſtrum obuerſa, in altiſſimam ſe rupem attollens, certare videtur culmine cum Veſuuio, quem recta proſpectat è mari: ſed aſpectu ipſo humilior deprahenditur, & infra Veſuuium iugum.

*P. Recupitus de Veſuuio.*

## *Rhodus.*

IGitur eodem in loco, propterea quod præter cæteras eius regionis inſulas, victu facilis, ac perſalubris eſt; quà gelidiſſimis præterlabentium fluminum perennitatibus; quà mitiſſimis per ſtata tempora redeuntium ventorum aſpirationibus; quà maritimarum orarum portuoſis anfractibus ad inſignem ſpeciem, & propemodum ad luxum ludumq; ſinuatis; quà collium ac montium viridiſſimis, ac fructuoſiſſimis ſepimentis ad arcendos noxios afflatus iuſta per interualla dimenſis, ac veluti de induſtria obiectis; quà liquidiſſimi patentiſſimique cæli temperatione, clementia, ſalubritate; quà longè latèque diffuſa vel vbertate, vel amænitate camporum, facillimum factu fuit vt eas ob cauſas eodem inquam in loco ſedes omnium nobilium artium, & commune nationum omnium emporium collocaretur. Iam verò totius inſulæ caput, eiuſdem nominis erat omni genere nobilitata laudis, fortunæ referta præmijs, præ-

diues

diues ac peruetus Rhodus. Huius vrbis olim ea fuiſſe dicitur vel magnitudo, vel dignitas, vt Aſiæ Græciæque nobiliſſimas vrbes, & frequentia ciuium, & operum opumque magnificentia facile cæteras omnes vna ſuperaret. E ſummo iugo montis, quo terra marique mollis acceſſus eſt, perpetua publicarum, ac priuatarum ædium edificatione munita, pulcherrimeque deſcripta protenditur in mare, deſcenſu facili, ſenſimque delabens ad eam oram alluentis ęſtus, vbi conceptum egregia molitione portum altera pars vrbis complectitur, quæ Coloſſus dicitur, ob inuſitatæ magnitudinis ſtatuam, quam Chares ſtatuarius extruxit. Coloſſon Gręci vocant ſignum immane marmoreum Soli ſacrum, & in oſtio per noctē ſuppeditando lumini, quo nautæ curſum ex alto dirigant excitatum. Longum eſt cætera commemorando perſequi periluſtria huius Vrbis ornamenta, quæ tam multa fuiſſe memorantur; Vt Ariſtides nobiliſſimus Sophiſtes vnum in locum congeſtum diceret, quicquid eſſet alibi diſperſum; cum hanc vrbem laudans paruum Orbem appellauit, nec dubitauit omnibus eam vrbibus anteferre. A ſummo mediam diuidit ad imum vſque pertinens vna lata via perpetua multis tranſuerſis alijs inciſa, priuatis ac publicis ædificijs illuſtris; in qua forum maximum, perampla Curia, pulcherrimæ porticus, ornatiſſimum Pritanæum, templum egregium Apollinis viſebatur, & fortunæ fanum perantiquum religioſiſſimè cultum. Ad ſummam viam Theatrum ex vna parte maximū, ex altera Gymnaſium omnis memoriæ longè nobiliſſimum celebrabatur, Mnemoſynæ communiter, & Mineruæ ſacrū, ingentibus collatitiæ pecuniæ ſumptibus ab Aſiæ Regulis exædificatum.

*P. Stephonius Proſa* 11.

## *Mediolanum.*

VEniant, licet ò Mediolanum, regijs quondam imperis euocati lacus, deriuatis iugiter è ſuo ſinu placidis amnibus, & nauigiji patientibus, qui te totum labenti gyro, & lenocinanti ambitu complexi effuſis prodigè mercimonijs beent. Regionum omnium

ſta, in vtriuſque portus oſtium, aditumque proiecta eſt: in qua Domus eſt, quæ Regis Hieroni fuit, qua Prætores vti ſolent. In ea ſunt ædes ſacræ complures, ſed duæ, quæ longe cæteris antecellunt; Dianæ vna, & altera, quæ fuit ante iſtius aduentum ornatiſſima. Mineruæ. in hac inſula extrema eſt fons aquæ dulcis, cui nomen Arethuſa eſt, incredibili magnitudine pleniſſimus piſcium: qui fluctu totus operiretur, niſi mutatione, ac mole lapidum à mari diſiunctus eſſet. Altera autem eſt vrbs Syracuſis: cui nomen Acradina eſt: in qua forum maximum, pulcherrimæ porticus, ornatiſſimum Prytaneum, Ampliſſima eſt curia, templumque egregium Iouis olympij. Cæteræque vrbis partes vna lata via perpetua, multiſque tranſuerſis diuiſæ, priuatis ædificijs continetur. Tertia eſt vrbs, quæ, quod in ea parte fortunæ fanum antiquum fuit, Tyche nominata eſt: in qua, & gymnaſium ampliſſimum eſt, & complures ędes ſacræ, coliturque ea pars, & habitatur frequentiſſimè. Quarta autem eſt vrbs: quæ quia poſtrema ædificata eſt, Neapolis nominatur: quam ad ſummam theatrum eſt maximum: præterea duo templa ſunt egregia, Ceteris vnum, alterum Liberi, ſignumq; Apollinis, qui theſmotes vocatur, pulcherrimum, & maximum: quod iſte ſi portare potuiſſet, non dubitaſſet auferre.

*Cicero act. 6. in Verrem.*

## *Venetiæ.*

VRbs eorum ampla atque magnifica, mercaturæ & rei nauális ſtudio à paruis initijs creuit. Sed ea propter incredibilem ſitus munitionem ante alias, & beata & admirabilis exiſtimatur, quod interfluentis Hadriæ paludibus cincta, nulliſque ob id opportuna hoſtium iniurijs, veteres theſauros domeſtica in pace cumulatos, periculoſis etiam temporibus conſeruauit. Nulli etenim à terra aditus, intercedente quadraginta ſtadiorum pelago, nulli penitus à mari ingreſſus propter cæca atque humilia vada vſu tantum indigenis nota, aut ingruentium barbarorum auaritiæ, aut magis ab alto claſſibus patuerunt.

tuerunt. Veneti homines in vniuerſum conſilio ſunt graues,ſeueri in iudicijs, & in aduerſa rerum fortuna conſtantes, in altera nunquam immodici. Omnibus cum idem ſit conſeruandæ libertatis,& augendi imperij incredibile ſtudium, in ſenatu liberè, & ſæpius acerrimè ſententias dicunt, nec quemquam temerè ex optimatibus,qui vel inſigni virtute,vel ſpiritu in gerendis rebus cæteris antecellat, nimio plus creſcere,vel collecta gratia potentem & clarum fieri patiuntur: Quibus inſtitutis dum ſeruitutis metu aliena virtute, quam ſua terreſtri in bello vti longe vtilius & tutius putant, togati omnes per octingentos amplius annos rempublicam nullis ferè inteſtinis ſeditionibus exagitatam adminiſtrarunt. Cæterum ipſa nobilitas totius maritimi negotij, & naualis diſciplinæ munera nauiter implet: Exutiſque togis arma deſumit. *Iouius lib. 1. hiſt.*

## *Neapolis.*

PRima cernitur in ipſo crateris aditu ad plagam aquilonarem Neapolis, vrbs regnorum propè æmulatrix, numero ciuium inter Italas facilè maxima, opportunitate mercium nobilè Europæ totius emporium, amænitate ſitus Bizantio non abſimilis. quippè mare procurrens,& alluentes vndas complectitur bis lunata in Semicirculum, omen deficientis fortunæ. Latere in campos excurrit: fronte iugis attollitur corona collium cincta,& ſi fas eſt dicere, Tyrrheni maris regina. Veſuuium à leua proſpicit imminentem tantæ Vrbi, ſpectaturum, & ſpectandū. Indè inter beneficia cætera dulces manant aquæ,quæ partim obſtrictæ in riuos, atque in Regios aquæ ductus infuſæ ad Vrbanos puteos, fonteſque magna copia deriuantur, potu perbenignæ, ac ſalubres:partim labuntur in fluuium: qui ad Veſuuij pedes latiſſimos campos tortuoſis flexibus ambiens mira fertilitate perfundit: atque hinc, indè arboribus inumbratus,leni, & vix ſub aures cadente murmure,lapſuque placidiſſimo aquas in vicinum mare demittit. Amnis quidem perexiguus, & impar tanto monti progenies, ſed Poetarum carminibus, & Sebethi nomine

mine celebris fama maior, quam alueo Non procul hinc ad Veſuuij radices frequentibus pagis, caſtellíſque conſperſas celeberrima oppida, Herculanum, Pompeij, penè dixeram, ſedenr, deceptus recenti memoria priſtinæ fælicitatis. Dicendum potius, iam ſederunt, deſederunt; nunc vana nomina, & nihil præter cinerem, ac ruinas, documenta poſteris, Vrbes quoq; eſſe mortales Inde qua littus flectitur ad meridiem, viſuntur antiquæ Stabiæ, ſeu potius vmbræ antiquarum Secundum has, æſtiuæ deliciæ, Surrentum: cui breui ſpatio iungitur Maſſa Lubrenſis, peruetuſta Mineruæ ſedes, à qua Promontorium appellationem accepit. Hinc anguſtiſſimo, ac procelloſo freto diremptæ Capreæ, Inſula Tiberij domicilio, qui vrbem Seiano dilacerandam dederat, non tam nobilis, quam infamis nempè flagitiorum latebra. Hæc in auſtrum obuerſa, in altiſſimam ſe rupem attollens, certare videtur culmine cum Veſuuio, quem recta proſpectat è mari: ſed aſpectu ipſo humilior deprahenditur, & infra Veſuuium iugum.

*P. Recupitus de Veſuuio.*

## *Rhodus.*

IGitur eodem in loco, propterea quod præter ceteras eius regionis inſulas, victu facilis, ac perſalubris eſt; quà gelidiſſimis præterlabentium fluminum perennitatibus; quà mitiſſimis per ſtata tempora redeuntium ventorum aſpirationibus; quà maritimarum orarum portuoſis anfractibus ad inſignem ſpeciem, & propemodum ad luxum ludumq; ſinuatis; quà collium ac montium viridiſſimis, ac fructuoſiſſimis ſepimentis ad arcendos noxios afflatus iuſta per interualla dimenſis, ac veluti de induſtria obiectis; quà liquidiſſimi patentiſſimique cæli temperatione, clementia, ſalubritate; quà longè latèque diffuſa vel vbertate, vel amænitate camporum, facillimum factu fuit vt eas ob cauſas eodem inquam in loco ſedes omnium nobilium artium, & commune nationum omnium emporium collocaretur. Iam verò totius inſulæ caput, eiuſdem nominis erat omni genere nobilitata laudis, fortunæ referta præmijs, prædiues

diues ac peruetus Rhodus.Huius vrbis olim ea fuiſſe dicitur vel magnitudo, vel dignitas, vt Aſiæ Græciæque nobiliſſimas vrbes, & frequentia ciuium,& operum opumque magnificentia facile cæteras omnes vna ſuperaret. E ſummo iugo montis, quo terra marique mollis acceſſus eſt, perpetua publicarum, ac priuatarum ædium edificatione munita, pulcherrimeque deſcripta protenditur in mare,deſcenſu facili,ſenſimque delabens ad eam oram alluentis ęſtus; vbi conceptum egregia molitione portum: altera pars vrbis complectitur, quæ Coloſſus dicitur, ob inuſitatæ magnitudinis ſtatuam, quam Chares ſtatuarius extruxit. Coloſſon Grçci vocant ſignum immane marmoreum Soli ſacrum, & in oſtio per noctē ſuppeditando lumini, quo nautæ curſum ex alto dirigant excitatum. Longum eſt cætera commemorando perſequi perilluſtria huius Vrbis ornamenta quæ tam multa fuiſſe memorantur; Vt Ariſtides nobiliſſimus Sophiſtes vnum in locum congeſtum diceret; quicquid eſſet alibi diſperſum; cum hanc vrbem laudans paruum Orbem appellauit, nec dubitauit omnibus eam vrbibus anteferre. A ſummo mediam diuidit ad imum vſque pertinens vna lata via perpetua multis tranſuerſis alijs inciſa, priuatis ac publicis ædificijs illuſtris; in qua forum maximum, perampla Curia, pulcherrimæ porticus, ornatiſſimum Pritanæum, templum egregium Apollinis viſebatur, & fortunæ fanum perantiquum religioſiſſime cultum. Ad ſummam viam Theatrum ex vna parte maximū, ex altera Gymnaſium omnis memorię longè nobiliſſimum celebrabatur, Mnemoſynæ communiter, & Mineruæ ſacrū, ingentibus collatitiæ pecuniæ ſumptibus ab Aſiæ Regulis exædificatum.

*P. Stephonius Proſa* 11.

## *Mediolanum.*

VEniant, licet ò Mediolanum, regijs quondam imperis euocati lacus, deriuatis iugiter è ſuo ſinu placidis amnibus, & nauigij patientibus, qui te totum labenti gyro, & lenocinanti ambitu complexi effuſis prodigè mercimonijs beent. Regionum omnium

ſtum ſuas in te opes comportantium, iumenta, & vehicula, itinerum anguſtijs penè ſtrangulata, ſpatia locorum ampliora, & campos inclament; properent ad inuidiam, ſollicita inſtitorum agmina; tibi terræ, & maria famulentur. Agedum pande viarum officinas; theſauros reclude; pateant animoſa armamentaria; magnificentia veſtium, & opulentiæ vis prætereuntibus inſidiata, nutantes oculos inuadat, & rapiat; rerum pulcherimarum theatra diem aperiant, claudantque earum aſpectu frangatur dies; mutilum tempus integret in commercio lucra: oſtenta merces ad pompam; exerce opificum manus; circumſtrepant auribus chalybum vulnera, tonent tormenta metallorum; fluant in luculentis aurificum clauſtris die noctuque auri, & argenti riuuli, diſcat nouus orbis in tuis plorare fornacibus; euoluant tabernæ diuites bombycum ſua ſibi prius ſepulcra elaborantium exuuias; fluctuent appenſa, leuiora auris lintea, & vela carbaſea; colludant ad venti ludibrium criſpiores amictus; laſciuiat aurum pretioſo in campo, Dædalea manu deductum in labyrintheos flexus, intercurrentibus, lento tramite, in obliquos errores, & reciprocos Mæandres argenti venis; cogant vnguenta rij penè iam ſiccos ſudare Arabes, & Sabæos emungant; pluat in te margaritis; Defleant Orientis incolæ ſuis a te littora ſpoliata diuitijs; minimè pudeat gemmeos in te ſpectabiles vndique lapillos, cæli ſidera ſcintillanti luce irritare, ingenia denique tuorū artificum excellentiſſima, eorumque opificia, licet generosè cum materia de nobilitate contendant, nunquam diſſociando connubio copulentur.

*P. Remondus in Paneg. D. Caroli.*

## *Papiæ, ſiue Ticinum*

Vidiſſes quam vt arbitror non vidiſti Ticini amnis ripæ impoſitam Ticini vrbem. Papiam iuniores vocant quaſi admirabilem, vrbem, ſaluberrimi aeris. Ecce iam tres hic æſtates egi, ita nuſquam quod meminerim, tàm crebris, & tam largis imbribus, tam paruis, rariſque tonitruis, tam nullis pene æſtibus, tam perpetuis, tamque ſuauibus auris alibi

vnquam

vnquam tempus, hoc egerim. Vidiſſes pulcherrim vrbem ſitus, Ciſalpinæ Galliæ, magnam partem Ligures tenent, gens, & olim potens, & noſtra ætate potentiſſima, horum hæc in medio eſt, & modicè extanti imperioſo quodam ſedens loco, ripæque leniter pendentis in margine, denſis turribus aſſurgit in nubila proſpectu vndique expedito, & libero, ſic vt neſciam, an vlli vrbium in plano ſedentium apertior ſit, atque iucundior; Nullo fermè flexu oris, hic vinoſa iuga alpium, hic frondentes Apennini colles, in oculis ſunt. Ticinus ipſe lætis flexibus deſcendens, & miſceri Pado properans, ima mœnia labendo prælabitur, ſuoque impetu, ſicut ſcriptum eſt lætificat ciuitatem, ripis ſaxeo præclari operis ponte coniunctis, amnis omnium lucidiſſimus, vt & fama loquitur & res probat, mirum quoq; celer in modum, quamuis huc, quaſi iam curſu feſſus perueniat, & famoſioris aquæ vicinate cunctantior, & aduentitijs riuis natiui aliquid nitoris amiſerit. Ad ſummam Sorgiæ noſtro tranſalpino ſimillimus, niſi quod hic maior, ille autem, & æſtate vicina fontis algentior, & hyeme repentior fluit. Vidiſſes præterea ex his vnam, in quibus tu multus, & ego vel nimius ſum, æneam ſcilicet atque inauratam ſtatuam equeſtrem; fori medio, quaſi curſu concito, cliui ſumma carpentem, tuis olim vt fama eſt ereptam Rauennatibus. Quam eius artis, picturæque doctiſſimi nulli aſſerunt ſecundam. Quodque vltimum facit, non rerum ordo, ſed temporum. Palatium ingens vrbis in vertice vidiſſes, ſtructuræ mirabilis, atque impenſæ, quæ magnanimus Galeax Vicecomes, hic minor, Mediolani atque huius, & multarum in circuitu regnator vrbium, erexit, vir in multis alios, in ædificandi magnificentia ſe ſe vincens.

*Petrarca epiſt. ſenil. lib. 5. epiſt. 1.*

## *Tyrus.*

AT illi loco ſatis ſiſi obſidionem ferre decreuerunt: namque vrbem à continenti quatuor ſtadiorum fretum diuidit, Africo maximè obiectum, crebros ex alto fluctus in littus euoluens; nec accipiendo

endo operi, quo Macedones continenti inſulam iungere parabant, quidquam magis, quàm ille ventus, obſtabat: quippe qui vix leni & tranquillo mari moles agi poſſunt. Præter hanc difficultatem haud minor alia erat: muros turreſque vrbis præaltum mare ambiebat. Non tormenta niſi è nauibus emitti, non ſcalæ mœnibus applicari poterant: præceps in ſaltum murus pedeſtre interceperat iter: naues nec habebat Rex, & ſi admouiſſet, pendentes & inſtabiles miſſilibus arceri poterant.
*Q. Curtius lib. 4.*

## *Vrbs in regno Sinarum egregia.*

SEd ipſarum præcipuè Vrbium pulchritudo mira, Nauigabilibus impoſitæ fluuijs, admodum profunda, & lata foſſa, mœnibuſque cinguntur, quadrati ab imo lapidis, lateritiæ ad ſummum ſtructuræ. lateres autem, ex eodem argillæ genere, quo porcellana vaſa, confecti. & calce optima interliti, in eam duritiem ac firmitatem breui tempore coaleſcunt vt ferramentis poſtmodum labefactari vix poſſint. craſſitudo mœnium, quatuor, & alicubi ſex capit homines: additis ad proſpectum pergulis, ac mænianis, & occultis ambulationibus, qua præfecti oblectationis cauſa pererrent: pomœrium, intra extraque, libero ad circuitũ ſpatio, ſenis in ordinem equitibus patet. Ad obliquos autem ictus, modico interuallo, turres, & propugnacula prominent, artificioſis contecta faſtigijs, & podijs elegantibus adornata. Ex ijs mænibus cum quædam ante bis mille annos conſtet extructa; nullam tamen in eis rimam, aut ſinum, aut labem aſpicias; adeo ſeuerè acriterque ſarta tecta ab regijs curatoribus exiguntur. Vrbis vero totius, ea ferme dimenſio eſt. Latiſſimæ viæ duæ ſe interſecantes, perpetuo tractu qui luſtrari oculis poſſit, præcipuas quatuor portas aperiunt præferratas, ornatu magnifico, adituq; ad aſpectũ præclaro. Ab hiſce rectis vijs, aliæ deinde aliæq; trãſuerſæ, priuata, & publica ædificia, vicoſque diſtingunt. Et ab vtroque latere viarum, excurrunt porticus, quæ commeantem plebem, & fabrum, atque inſtitorum apothecas ac tabernas, à tempeſta-
tum

tum iniuria vindicent. iam verò, è lapide triforés vt plurimum, & quidem ſummo artificio perfecti cum inſcriptionibus fornices paſſim viſuntur, quæ monumenta, magiſtratu abeuntes, regij præfecti relinquunt magiſtratibus autem ipſis, celeberrimo loco ſtant ampla, & operoſa prætoria, cultiſſimis hortis, capacibus piſcinis, fontibuſque pellucidis, & varijs aquarū deriuationibus ad omnem animi remiſſionem inſtructa. Nec deſunt auiaria, & ferarum ſepta, & operis topiarij tonſiles ſyluæ, lucique denſiſſimi, & diſtincta floribus prata: vt ſingulæ præfectorum domus oppidi propemodum inſtar obtineant. Priuatorum ædes, circa maritimam oram humiles. mediteraneis vero locis multiplici contignatione tolluntur. vel pictura decoratæ, vel opere albario candoris eximij. A primo ingreſſu panditur atrium, armarijs circumquaque diſpoſitis: in quibus inanium Deorum ſtatuæ collocantur. accedunt lacus pleni piſcium, ac penſiles horti. Materia in ædificationes vtuntur mirè læuigata, & certo lenocinij genere in auri colorem ac ſplendorem adducta. Pari læuore tegulum eſt, calce ſpiſſatum, atque commiſſum ad pluuias arcendas: durantque ſæculis tecta talia, extremis imbricibus è marmorato perelegantor elaboratis. ad ſingulas verò ianuas, viridi opacitate arbores ad lineam directæ conſurgunt, quarum gratiſſimo aſpectu, quaſi pabulo quodam, oculorum acies quamlibet fatigata reficitur. *P. Maffeius lib. 6. Hiſtor. Ind.*

## *Vrbs ad nutum Abaſſini Regis mobilis.*

Reperio Abaſſinum Imperatorem, cum res Imperij florerent. in caſtris & tentorijs habitare atque infinita hominum ſtipatum multitudine huc & illuc vagari ſolitum; cum imperatoria celſitudine & dignitate (ſicut olim Arabes, Perſæ, & Parthi) reputaret indignum in vrbibus commorari. Vbicunque tamen ponebat caſtra, vrbs derepente ex holoſerica varij generis, & coloris materia, vt ferunt, conſurgebat, qua nulla excæmento, & calce, ex latere ac ligno

multos

multos per annos ſtrui poſſet elegantior. Erant ſuis quæq; locis aptè diſpoſita: Nulla munerũ perturbatio, nulla in operibus confuſio. Nemo ignorabat ad quam cæli plagam haberet domicilium: vbi templa ſurgerent, ad quæ precandi cauſa vellet accedere; qua ad illa eſſet eundũ via. Latæ inibi erant plateæ, varijs ſemitis ac tramitibus interſectæ. Nõ deerant biuia triuia, & quadriuia; quiq; ad alios vſus vel actus in vrbibus, vel angiportus ſolent inſeruire. Viſebantur ædificia quædam, alicuius ſtraguli communione veluti muro, aut pariete coniuncta; alia proprio cincta circuitu, inſuliſque diſcreta. Vnum cauponæ locum, alium Xenodochia, diuerſum occupabant noſocomia. Ad pinſendam, ſubigendamq; farinam, & conficiendos panes, erant piſtrina, & loca cætera, quæ ad idem miniſterium neceſſaria. Ad ſuperfluos barbæ capitiſque capillos reſecandos, tonſtrinæ Ad efficienda, ac reficienda calceamenta, ſutrinæ. Multiplex tota vrbe forum; multiplex macellum. Variæ pergulæ, quibus ſinguli mercium diſcriminabantur genera, venum expoſita. Vt quæque ſors hominum officijs, ita locis vicique diſtinguebatur. Habebat iuuentus vbi ludere aut exercere ſe poſſet; ſiue de equorum pernicitate certando, hippodromos; ſiue imaginario prælio inter ſe concurrendo, catadromos; ſiue lucta vires experiũdo, palæſtras. Denique quidquid in magna ac bene conſtituta exigitur vrbe, id in ea reperiebatur; cuius tanta fuiſſe fertur magnitudo, vt à principali foro, quod vrbe erat in media, ad ipſum Imperatoris auguſtale lata rectaque via quatuor pænè milliaria continerentur. Solebat in editiori loco Imperatoris figi tabernaculum, vt ex eo, qui ad maius illud forum populi concurſus fieret, quoue ibi tumultu res agerentur, commodè conſpici poſſent. Aiunt vrbis huius dimetientem lineam ad decem ferè milliaria, ambientem ad triginta ſolitam excurrere. Vt ea ab vno loco mutaretur in alium, quod frequenter fiebat, præter infinitam baiulorum multitudinem, magnamque vim camelorum portandis oneribus comparatam, mulæ erant ad id munus plus decem mille clitellis inſtructæ; quæ tamen omnia tantæ machinæ vertendæ, vix ſufficiebant.

*P. Nicolaus Godignus lib. 1. cap. 9.*

DOMVS

# DOMVS PRIVATA, ET PVBLICA.

## *Domus.*

FInge conſtructam ab Artifice domum: iacta ſolidè altèque fundamenta, erectos ſublimè parietes: intus atria, periſtylia, gradationes, conclauia, thalamos, antithalamos, foris aperturas lumina, iugumenta, præcinctiones, faſtigiorum acroteria, ornamenta coronarum, ſubgrundationes, proiecturas, membra omnia ædificij ex Architecturæ legibus ita fabricata, vt altitudo ad perpendiculum, angulus ad normam, longitudo ad regulam lineamque reſpondeant. Finge præterea hanc domum exædificatam è marmore magnam partem fragili ac ruinoſo: ſtare, tegique è lignis intempeſtiuè cæſis, pandatione ſidentibus, odorem teterrimum exhalantibus; demum inſalubri ſub cælo deſcriptam aream, ipſamque domus faciem ad ætheris inclinationem obuerſam eſſe vnde nocentes ventorum aſpirationes, aurasque è paluſtri vicinitate nebuloſas intercipiat. Quid ergo; extructamne ex artis planè præſcripto domum affirmabis? Non opinor. Cur id, obſecro? Credo quia Architecturæ communes illæ quidem leges ſeruatæ ſunt, deprimendi ad ſolidum fundamenta, attollendi partiendique cum commenſu parietes, imponendi magnificè eleganterque tectum: ſed quia hæc ædificandæ domus præcepta in ea materia ſituque exhibita ſunt, quæ habitantium incolumitati, domus inquam fini repugnat; idcirco ædificiũ non fabrè planè factum eſſe concluditur, non minus verè, quam M. Vitruuius Mytilenem oppidum, vbi Auſter cum flat, homines ægrotant: cum Corus tuſſiunt: cum Septentrio, reſtituuntur in incolumitatem, ædificatum. vt voles, eleganter ac ſplendidè, poſi.

poſitum quidem certè non ſcitè, neque prudenter affirmat. *P. Famianus lib. 1. prol. 4.*

## *Domus deformis & ruinoſa.*

TEctum vides rimoſa vetuſtate fatiſcens: parietes ipſos defluentes, fuſcaque iam albitudine decolores: oris mei candorem dum æmulantur, amiſerunt ſuum: extra quicquid eſt in ædificio ſuperne Caſcos faunos architectos ſuos fuiſſe commemorat; d. ſpluuiatum opere diſperſo, coctilibus intectum imbricibus maiori iam ex parte confractis, aut emotis è loco paſſim ſtillicidia committit fœdus iniſſe dicitur cum pluuio Ioue; ne Ioue tonante, vel fulgente fluminis afflatu conflagret; ideo qui cö ortum incendium illico reſtinguat, aquam ad manum habet. vbi vero conſudauerit:

*Pacatumque nitet diffuſo lumine cælum:*

vt concameratum optemus, ſublaquear hoc perilluſtre facit: dehiſcentibus aſſeribus, luxatiſque ſubſcudibus quaſi ſtellatum, peruias pertegulas, & putridã contignationẽ infuſo die. Stragulam tantum veſtẽ. & aulęanulla deſideramus. Sed noſti quæ? parietina cãpanica, ſed araneę: ne quære quàm tenui ſtamine pertexta ſint: lunæ radios, Solis pectines craſſiores d xeris. Videlicet ex hoc filo poetica textrina ventorum, vmbrarum, ſomniorum indumenta conficit.
*P. Stephonius Proſa 16.*

## *Domus regia.*

PRope fontis allapſum domus regia eſt, ædificata non humanis manibus, ſed diuinis arti bus. Iam ſcir: s ab introitu primo Dei cuiuſpiam luculentum & amænum videre te diuerſorium. Nam ſumma laquearia citro & ebore curioſè cauata, ſubeunt aureæ columnæ, parietes omnes argenteo cælamine conteguntur, beſtijs & id genus pecudibus occurrentium ob os introeuntium. Enimuero pauimenta ipſa lapi-
de

de pretioſo cæſim diminuto in varia picturæ genera diſcriminantur. Iam cæteræ partes longè latèque diſpoſitæ domus, ſine pretio pretioſæ, totique parietes ſolidati maſſis aureis ſplendore proprio coruſcant, vt diem ſuum ſibi domus faciat, licet ſole nolente. ſic cubicula. ſic porticus, ſic ipſæ valuæ fulgurant.

*Apuleius lib. 4. metam.*

## *Domus magnifica.*

NOs verò homines elegantes, honeſtas facere putamus ædes; ſi earum faciem fuco, & quaſi ceruſſa ſtatim oblinimus, marmoraque inducimus ne apud manes quidem à manibus ſecura foſſorum; atque perficimus, vt in delicias rigidiſſima etiam ſaxa molleſcant: ipſa vero cubicula in proſpectu diſponimus, vt ad nutum oculorum atque intuitum omnia ſimul præſtò ſint. Vnum vidiſti? reliqua ex illo noſtis vſque adeò, dum à ſe ſe longius refugiunt, reſpondent tamen, incurruntque ſibi; vnoque velut aditu, quam remotiſſimum in receſſum acies intuentium ducitur. Nempe, vt dominus remotis velis procul appareat, velut in ſacrario numen: aut certè adeuntibus, tamquam ex alio terrarum orbe, ſenſim accedere videatur. perinde quaſi omne magnificum è longinquo ſit. Sanè picturas domorum: non domos facimus: quippè quæ ſpeciem potius, quam vſum præbeant, ac magna ſui parte ſolum ab oculis habitentur. Quid, quod altiſſimas tectorum moles educimus nec tam in ædes, quam in cælum ituri fabricamus? Quid, quod in ijs alter ab altero, non pariete, ſed integra contignatione diuidimur: & cubicula, cum vix vnum plures occupemus, vni tamen plura præſcribimus, totidemque velut oppida intra domos excitamus: cum tamen non ideò lætius, quia latiùs, viuere contingat: & vbi plurima laxitas, ibi multi curarum anguli, atque perfugia ſolicitudinum. Taceo villas, & quædam quaſi prætoria voluptatum: taceo ſigna, ſaxeoſque populos, & tanquam terræ filios ex intimis viſceribus matris effoſſos, quos hac tempeſtate in aulas, & conclauia tanto ſtudio reuocauimus.

*P. Vinc. Guiniſius alloc. 5.*

## *Domus aurea Neronis.*

NOn in alia re damnoſior, quam in ædificando. Domum à Palatio Exquilias vſque fecit. Quam primo tranſitoriam, mox incendio abſumptam, reſtitutamque auream nominauit. De cuius ſpatio, atque cultu ſuffecerit hoc retuliſſe. Veſtibulum eius fuit, in quo coloſſus CXX. pedum ſtaret ipſius effigie: tanta laxitas, vt porticus triplices milliarias haberet. Item ſtagnum maris inſtar, circunſeptum ædificijs ad vrbium ſpeciem. Rura inſuper aruis, atque vinetis, & paſcuis, ſyluiſque varia cum multitudine omnis generis pecudum, ac ferarum. In cæteris partibus cuncta auro lita, diſtincta gemmis, vnionumque conchis erant. Cænationes laqueatæ tabulis eburneis verſatilibus: vt flores ex fiſtulis, & vnguenta desuper ſpargerentur. Præcipua cænationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur: balineæ marinis, & Albulis fluentes aquis. Eiuſmodi domum cum abſolutam dedicaret, hactenus comprobauit, vt ſe diceret quaſi hominem tandem habitare cæpiſſe.

*Suetonius in Nerone c. 31.*

## *Domus ampliſſima, & exornatiſſima.*

IN primis autem antequam ingrediaris in ædes, more veterum Principum prothyrum, ideſt, veſtibulum inter ædes ipſas & viam interiectum, quo qui ſalutatum venerint in periſtylium nondum ingreſſi, nec in intimas ædes recepti expectant reſponſa mandataque dominorum. Oſtium quam amplitudinem habet, ſiue diathyrum obiectum, & oppoſitum oſtio, ad ventos irrumpentes, dum valuæ aperiuntur excludendos, ſiue hyperthyrum ſuperliminare, ſiue hypothyrum illi obiectum, atque vtrumque tranſuerſum ſuperum, & inferum limen; ſiue antas, vtriuſque oſtij latus munientes, cum ſuis antepagmentis quæ

cum

cum antis appingantur, affiganturne, quem habeat ornatum, quam inſignem formam, cum ſupercilio præſertim ipſis oſtiorum antepagmentis in hyperthyrum impoſito? ſed quæ valuæ quaniam in Altitudinem ſurgunt? quam etiam amplitudinem habeant fereis conſtratæ clauis, & laminis rectis tranſuerſis cum cornice ad pulſandas fores: ſeræ verò cum vecti cum fortes ſint. & craſſæ pro valuarum amplitudine, tam arte polita ſunt, & ſpectata. Sed iam ab hoc aditu, & quaſi ianua patefacta ingrediamur in periſtyliũ quod columnis vndique inclusum eſt, & quaſi ſeptũ, quibus porticus ſuſtentantur, per porticus verò in palatia, & cubicula verna, æſtiuaque ingredimur. Columnæ altæ ſunt, craſſæque, rotundæ admodum, ad quarum firmitatem, ſtabilitatemque ſte reobatæ è ſolo eductæ ſtylobatem lapidem baſi ſuppoſitum ſuſtinent; inde baſis, quæ ſpira vnius tori aut duorum ornatur. A baſi ſurgit ſcapus longus, craſſus, rotundus, ac perpetuus: ſupra ſcapum epyſtilium. Cum autem hæ columnæ rotundæ ſint, tum ſtriatæ, tum ſtructiles ſunt: in capitulo volutæ propendentes, circuli tortilis ad modum, aut cincinni criſpati: tori columnæ craſſiores torques, & teretiores, Abacus, & echinus, & inter vtrumque puluinus interiectus eſt, vnde volutæ dependent: denticulus faſcia epiſtylij ad dentium ſpeciem interſecta: Cymatium, quod ſinuoſum, vndę in præceps ruituræ ſpeciem præbens. Reliqua quibus ornantur columnæ, lances, encarpa, cornua, taurorum capita vittæ reuinctæ, lemniſcique ex coronis pendentes, reliquus ornatus, ſplendorque columnarum, cum puræ non ſint, ſed ſcalpturis, varijs formis, figuriſque, ſtrijs ornatę, qua ſpecie, quo ornatu, quo ſplendore ſunt? vnus ſatis eſſet Zophorus, balthei picti ſpeciem præbens, in quo metopæ, & figuræ exſculpuntur ad columnarũ laudem eximiam. Quod vltimum ædium maximarum faſtigium coronide ſua terminatum, ſuperciliòque eiuſmodi, quod proiectura dicitur ad proijcienda arcendaque à pariete ſtillicidia, ne venuſtatem tantam nitoremque fædum deformemque reddant. In alio impluuio pilæ ſunt, à columnis quas ſcis, quadrata forma diſtantes,

*P. De Lacerda in Campis Eloquentiæ.*

## *Domus Lauretanę B.V.*

ÆDiculam conſpiciunt faſtigiato tecto,& ſimul camini culmine, ſimul ſublimi tintinnabul ì inſignem : at nulla re magis , quam vetuſtate viſendam. Protinus limen ingreſſi proſternere humi corpora, Deum venerari ſacro quodam horrore pariter,gaudioque perfuſi. Inde orato Chriſto;Chriſtiq; parente, quorum ſimulacra cernebant, cuncta otioſi contemplari, & perluſtrare oculis cœperunt. Sacellum animaduertunt figuræ quadrangulæ,oblongæ,i: vulgari ſtructum lapide. Tectum perbellè laquearibus concameratum : quod modicis diſtinctum quadratis cæruleoque colore obductum inauratæ ſtellæ, velut in cælo quodam intermicantes honeſtabant. Sub tecto laqueato eminebant vndique e parietibus modica ſpecie ſemicirculi ſe mutuo contingentes : quos medios pictæ adornabant cupedines. Parietes cubitali ferme craſſitudine, non ad perpendiculum, neque ad regulam exacti, loricati tamen opere tectorio.Huic ſuperinducta antiquitus pictura ædis ipſius myſteria referebat , quæ ſupernè multis locis hodie manet, infernè temporis vetuſtate defluxit Ædis longitudo pedum amplius XL. latitudo minus XX. altitudo circiter XXV. in medio ferme pariete, qui olim, vt reor, faciem obtinebat , Domus ianua ſatis ampla, ſed à vulgari vſu haud ſane abhorrens. Pro ſuperliminari trabs rudis ſuperiecta eſt. Ad læuam armariolum miræ ſimplicitatis aſſeruandis fictilibus aptum. Ad dexteram in proximo pariete feneſtra non magna : e regione feneſtræ caminus humilis,tenuiſq; opere,vt cætera,vulgari. Inibi ſublime loculamentum columellis in orbem ſtriatis latera cingentibus conſpicuum : arcuſque eiuſdem operis, quinque iunctas pariter lunas imitante faſtigiatum. In loculamento B. Mariæ ſtantis, ac puerum Ieſum altera manu medium amplexantis, altera ſuſtinentis effigies cedrina fere bicubitalis.

P. *Turſellinus hiſt. Lauretanæ lib. 1.*

*Sum-*

## *Sumptuoſa ſupellex & ornamenta domus.*

PRima mihi luxuriæ ſpolia propone ſiue illa vis per ordinem expandere, ſiue (vt eſt melius) in vnum aceruum dare. Video elaboratam ſcrupuloſa diſtinctione teſtudinem & fædiſſimorum, pigerrimorumque animalium teſtas, ingentibus pretijs emptas, in quibus ipſa illa, quæ placet varietas ſubditis medicamentis, in ſimilitudinem veri coloratur. Video iſtic menſas, & æſtimatum lignum Senatoris cenſu, eo pretioſus, quo illud in plures nodos, arboris infælicitas torſit. Video iſtic criſtallina, quorum accendit fragilitas pretium. Omnium enim rerum voluptas apud imperitos ipſo, quo fugare debet periculo, creſcit. Video murrhina pocula: parum ſcilicet luxuria magno fuerat, niſi quod vemant, capacibus gemmis inter ſe propinarent. Video vniones non ſingulos ſingulis auribus comparatos; iam enim exercitatę aures oneri ferendo ſunt. Iunguntur inter ſe, & inſuper alij binis ſupponuntur. Non ſatis muliebris inſania viros ſubiecerat niſi bina ac terna patrimonia, auribus ſingulis pependiſſent. Video ſericas veſtes, ſi veſtes vocandæ ſunt, in quibus nihil eſt, quo defendi aut corpus, aut denique pudor poſſit. Quibus ſumptis, mulier parum liquidò nudam ſe non eſſe iurabit. *Seneca l. 7. de benef. c.9*

Tenet me ſummus amor parſimoniæ, fateor, Placet non in ambitionem cubile compoſitum, non ex arcula prolata veſtis, non ponderibus aut mille tormentis splendere cogentibus expreſſa: ſed domeſtica & vilis, nec ſeruata: nec ſumenda ſollicitè. Placet cibus, quem non parent familiæ, nec ſpectent, non ante multos paratus dies, nec multorum manibus miniſtratus: ſed parabilis facilisque, nihil habens accerſiti, pretioſiue, vbilibet non defuturus, nec patrimonio nec corpori grauis, nec rediturus qua intrauerat. Placet miniſter incultus, & rudis vernula, argentum graue ruſtici patris ſine vllo opere, & nomine artificis; & menſa non varietate macularum conſpicua, nec

per multas elegantium dominorum ſucceſſiones ci-uitati nota: ſed in vſum poſita, quæ nullius coniugis oculos nec voluptate moretur, nec accedat inuidia. *Seneca lib. de Tranq. vitæ c. 1.*

## *Cella à qua clandeſtinus eſt aditus in ſpeluncam.*

VBi acquieſcentibus vniuerſis, tuta res viſa, intrat exiguam, cum Archombroto cellam, in qua ſecretum effoſſæ ſpeluncæ aditum peritus artifex abdiderat. Stratus erat aſſeribus locus, quorum inter ſe oræ clauis inſertis nectebantur; niſi quòd duos ex ijs nullum ferrum cæteris commiſerat; vt faciles eſſent, ſi quis hoc vellet ab ſimulata compage reuellere. Supra illos oblonga ſtabat menſa, vetabatque calcari, ne quoniam alijs non hærebant ad perambulantium quærerentur veſtigia, proderentque ſecretum. Pauciſſimos illuc intrare ſerebat Timoclea; ipſa rarò locum viſebat. Tunc verò ſublatis aſſeribus ſpecum aperuit, gradusque in imum edium ducentes. Mox concuſſi ſilicis ignem ſulphurato excipiens præparatam facem accendit, viamque auſpicatur cum lumine. Sequebatur Archombrotus, ſua & mulieris cauſa nudum enſem manu tenens. Gradus ad viginti erant, per quos ſubibatur ſubterranea porticus, quæ in longum porrecta abibat deniquе in varios colles; ne poſſeſſo ab hoſtibus vno ore, obſtrui poſſet fugiendi vtilitas. Terra huic operi apta fuerat; quippe adeo ſpiſſa, vt qua ſtare illam velles, cætera, quæ egerebantur, nulla ruina ſequerentur, rurſuſque non difficilis accipiendis foſſorum ictibus, quos nec obiectis ſaxis interpellabat, nec cedente arena fruſtrabatur. Longus ille & arcuato opere continuus fornix, quamquam arua & incumbentem domum ferret adhuc tot annis vitium non fecerat. *Barclaius Argen. lib. 1.*

TEM-

# TEMPLVM, ET EIVS PARTES.

AGe verò magnificentiſſima quotidie templa Deo, celitibuſque facimus: baſilicas ampliſſimas, atque vt loquitur de antiquis Romanorum ædificijs Ammianus, in modum prouinciarum extruimus, non ad vſum tantum rerum ſacrarum, ſed ad iucundiſſimam etiam oblectationem oculorum. Addimus ingentes coronarum proiecturas, quas marmoreis, aut æneis cancellis terminamus; addimus mutylos, atque interpenſiua; addimus columnas, quæ parietem non modo fulciant, ſed etiam ornent: quadratas teretes, à ſummo ad imum ſcapū ſtriata a turbinatas in ſpiram, in Cariatidum, aut Plateenſium captiuorum ſpeciem efformatas. Epiſtylia columnis ipſis imponimus, quà Dorica leuiſſimo ſupercilio, guttis, tænijſque per oram & marginem flexis; quà Ionica orbiculis diſtincta creberrimis, volutis, inuolucriſque quaſi capillamento quodam vtrinque concriſpata: qua Corinthia calathum Virginis acanthi foliis interplicatis, ac per ambitum paſſis referentia: quà compoſita, hoc eſt ex illo triplici capitulorum ordine artificiosè confuſa. Collocamus in fronte antes, atque paraſtatas, quæ marmoream trabem ad ſpeciem, & quaſi perfunctoriè ſuſtineant. Scalpimus ſupra denticulos, metopas, triglyphos, taurorum capita, lances, arbuſculas, floſculos tortuoſos, atque intra floſculos ipſos puerorum, aut mutarum animantium lulus. Parietes non modo mundiſſimo tectorio, ſed etiam peripetaſmate conueſtimus; nihil denique prætermittimus eorum, quæ poſſint aſpicientium oculos opere, artificioque tenere.

*P. Tarq. Gallutius to. 1. or. 5.*

## *Templum Dianæ Epheſiæ.*

MAgnificentiæ vera admiratio extat templum Epheſiæ Dianę ducentis viginti annis factum à tota Aſia. In ſolo id paluſtri fecere, ne terræmotus ſentiret, aut hiatus timeret. Rurſus ne in lubrico, atque inſtabili fundamenta tantæ molis locarentur, calcatis ea ſubſtrauere carbonibus, dein velleribus lanæ. Vniuerſo templo longitudo eſt quadringentorum viginti quinque pedum, latitudo ducentorum viginti. Columnæ centum viginti ſeptem à ſingulis Regibus factæ, ſexaginta pedum altitudine: ex iis triginta ſex cælatæ, vna à Scopa. Operi præfuit Cteſiphon architectus. Summa miraculi, epiſtylia tantæ molis attolli potuiſſe. Id conſecutus eſt ille peronibus arena plenis, molli puluino ſuper capita columnarum exaggerato, paulatim exinaniens ab imo, vt ſenſim totum, in cubili ſideret.

*Plinius nat. hiſt. lib. 36. c. 14.*

## *Templum Pantheon Romæ.*

HAbet quippe concameratam illam, & mira laqueatam arte teſtudinem: habet velut hemiſphærion, hoc eſt cæli formam longè pulcherrimam; quo magis ad Deum colendum animos excitet eorum, qui diuini domicilij ſimulacrum illud oculis intuentur. Habet in ſummo hemiſphærio medium lumen, habet infra lithoſtratum varijs diſtinctum marmoribus. Habet è pauimento ſurgentes circumquaque columnas ſtriatas, & epiſtilijs exornatas Corinthijs, habet in intercolumnijs ipſis Sacella, vbi per ambitum erant olim Statuæ collocatæ. habet pronaum, ſiue porticum illam immanibus ſuffultam columnis, ijsque teretibus; quibus Syracuſana ſpectantur ab Agrippa impoſita capita. habet antes, & paraſtatas: habet aereas trabes, olim etiam inauratas. Cernuntur ex aere Corinthio valuæ, cernitur oſtium illud ampliſſimum, ornatiſſimumque vbi ſunt antepagmenta e marmore firmiſſima, cymatia, coro-

næ, ſupercilia, margines, aſtragali; cætera denique eo artificio perfecta, vt in eius molitione materiam ars, artem, & materiam viciſſe videatur ingenium.
*P. Tar. Gallutius to. 2. or. 11.*

## *Templum Apollin's Delphici.*

TEmplum autem Apollinis Delphis poſitum eſt in monte Parnaſſo, in rupe vndique impendente: ibi ciuitatem frequentia hominum facit. Qui ad affirmationem maieſtatis vndique concurrentes in eo Saxo conſedere: atque ita templum, ciuitatemque non muri, ſed præcipitia, nec manu facta, ſed naturalia præſidia defendunt, prorſus vt incertum ſit, vtrum munimentum loci, an maieſtas Dei plus hic admirationis habeat. Media Saxi rupes in formam theatri receſſit. Quamobrem hominum clamor, & ſi quando accidit tubarum ſonus, perſonantibus, & reſonantibus inter ſe rupibus, & multiplex audiri, ampliorque quàm editur reſonare ſolet. Quę res maiorem maieſtatis terrorem ignaris rei, & admirationem ſtupentibus plerũq; affert. In hoc rupis anfractu, media ferme montis altitudine, planicies exigua eſt, atque in profundum terræ foramen, quod in oracula patet: ex quo frigidus ſpiritus, quodam velut vento in ſublime expulſus; mentes vatum in vecordiam vertit, impletoſque Deo, reſponſa conſulentibus dare cogit. *Iuſtinus lib. 24.*

## *Vaticanum S. Petri templum.*

FIngite difficilem aliquem antiquæ ſimplicitatis virum, & aſperum, ſemipaganum, religioſum tamen, ac bonum è ſiluis magalibusque digreſſum in Vrbem ingredi, ac Vaticani Templum, de quo dicebam per partes exquiſite conſiderare: quadratas operè lateritio pilas, quibus tholus, ac totum ædificium incumbit, ingentes ſupra pilarum abacos fornices impoſitos, concamerata tecta roſis aureis collucentia, lunulatum hemiſphærium muſiuo pulcherrimo interpictum: aras, ac ſacella Numidico, Lucul-

lgo, Punico marmore conteɛta, cruſtulis, ac teſſellis, inſititijs penè vermiculata, lithoſtratum pauimentū nunc quadrata, nunc obricularі figura, nunc varia, ac propemodum infinita coagmentatione diſtinɛtum: externum templi proſpeɛtum perpetuo Tiburtino lapide definitum, veſtem ac ſuppelleɛtilem ſacram lucernas aereas, argentea candelabra, aulaea, periſtromata, ſigillata vaſa, Corinthijs, Deliacis, antiquis omnibus æſtimatione, ac pretio longe maiora.

*F. Tarq. Gallutius to. 1. or. 5.*

Quid pluribus opus eſt verbis? Illa ipſa, quam obtinet hoc tempore dignitas, ac forma plane loquitur, & predicat, huic templo quandam veluti fuiſſe tributam æternitatem. Quæ totius operis moles Deus immortalis? quæ in extima parte quadrati lapidis commiſſuræ perpetuæ? Quæ coronæ, qui tori, quæ in intima concamerationes, & pilæ? qui fornices lunulati; quæ abſides? quæ teɛtoria, quæ marmoris incruſtationes, vel opere muſiuo, vel coloribus expreſſæ figuræ? quod aurum parietibus illitum? quæ gemmæ picturarum coronulis intertextæ.

*Idem to. 2. or. 8.*

## Templum D. Marci Venetijs.

TEmplum D. Marci Venetijs, non tam magnitudine, & vaſtitate ſua quàm ornatu inſigne, & in primis auguſtum; ſi primum ingrediare, crucis figuram preferre videtur: cuius anguli in altiſſimas conſurgunt turres, ac teſtudines, quarum faſtigia, vt reliqua templi facies plumbeis tegulis adoperta, ac centum viginti ſtadia ex alto ad vrbem nauigantibus, inter eminentiſſima vrbis ædificia occurrant; ſuperbiſſimi ad id Fornices mira inter ſe arte coeuntes totam molem fulciunt. Quidquid operis eſt à media templi parte, puriſſimo fulget auro Muſiuo, opere mirificè variegatum: in ipſo teſtudinum connexu Græcanici operis vetuſtiſſimæ imagines, mæſta quadam, ac venerabili præſentia horrorem cum religione mixtum oculis ſpeɛtantium inferunt; marmoreæ vndique tabulæ ad pauimentum vſque ipſum, varij marmoris occurrunt: tanto artificio ſibi ad inuicem

compo-

compoſitæ, vt eædem inter ſe ſimiles videri poſſint. Sedilia circum eadem marmorea. Pauimentum vermiculato opere marmoreis fruſtis diſtinctum. Columnę complures parij lapidis, vel Tapſici, aut Numidici, cum duplici ſuggeſtu marmoreo. Cautum decreto publico fuerat, vt quidquid egregij operis Veneti ipſi nauigantes quocunque terrarum ambirent, id ipſum Venetias deferrent. Veſtibuli aurei fornices trecentis, & amplius fulciuntur columnis, magnitudine & colorum varietate conſpicuis; intercolumnia, & quidquid in area ipſa operis eſt, cum ipſo pauimento, marmoreis tabulis pro tectorio renidet; veſtibuli partem ſuperiorem, equi quatuor æneì diuerſo ſtatu, varioque exornant; templi ſupercilium ſenis ſe ſe pinnaculis explicat: quorum ſingula in tabernaculi ſpeciem ſurrecta ſingulas habẽt ex candido lapide ſtatua, nudi genij, aliaque ſplendidiſſimi aſpectus ſimulacra, ſuo quæque ſtatu operibus inſerta, mirò quodam modo ipſam pinnarum exornant intercapedinem. Extructum ferunt ſub Sebaſt. Ziano duce ab architecto Conſtantinopolitano, *P. Cauſinus l. 11. ex Egnatio.*

## *Templum Beatæ Virginis Lauretanæ.*

BRamantis ergo nobilis architecti conſilio atque opera vſus, per Hieronymum Robureum Laureti Patronum rem vigere cœpit. Et Hieronymus Lauretanam ædem omni ope ornare, munus ac decus Robureæ familiæ ratus, baſilicam in arcis modũ extruxit, muniuitque. Quippe ſacella ipſa propugnaculorum inſtar aſſurgunt, additæ vndique in ſummis muris pinnæ aditusque ſub tecto, vt ad propugnandum quoquo verſus tuto diſcurrere miles poſſit. Omnino eminus intuenti arcis potius quam ædis ſpeciem præbet. Et adiuuat templi munitionem collis, cuius in vertice ſita eminet, præſertim quà vergit ad mare. Baſilicæ corpus ex pilis ingentibus columnarum inſtar duodecim conſtat, quarum vtrinque ſenæ concameratum tectum ſuſtinent. Huic corpori

duæ velut alæ hinc atque hinc adiectæ cum ſenis ſacellis minoribus, quæ intercolumnijs vtrinque reſpondent. Alia poro maiora circa templi caput ſacella diſpoſita numero ſeptem: his interiecta ſacraria quatuor, quibus fere lauretana conduntur dona. Sub tholo, quod eſt velut baſilicæ caput, Sacroſancta B. Virginis cella præcipuam obtinet ſedem, & vndequaque aſpectabilē, multis circa vt diximus ſacellis maioribus admirabili artificio excitatis. Tēpli facies tota conſtat ex Iſtro lapide (is ex Iſtria aduectus, Tiburtini, quo tantopere vſi ſunt olim & vtuntur hodie Romani, ſpeciem reddit) examuſſim quadrato, tanto autem artificio ſtructa, vt tantū opus pene ex vna lapidis gleba conſtare dicas. In media facie tanquam os ianua, patet maxima ſtriatis columnis marmoreis & arcuata corona inſignis. Huius latera binæ ianuæ minores cingunt ſtylobatis, paraſtatiſque columnis interpoſitæ, quibus facies ſubnixa conſurgit. Supra ianuam maximam B. Mariæ paruum filium complexæ effigies ænea viſitur pulcherrimè facta Lombardi manu. Sub faſtigio in ipſa fronte ingens feneſtra oculi inſtar, ſtriatis columnis, cœlatiſque operibus adornata Baſilicæ lumen præbet. Super feneſtram Titulus Aedis Lauretanę aureis litteris in luculleo marmore inciſus: Deiparæ Domus Vbi Verbum Caro factum eſt.

*P. Turſellinus Laur. hiſt. lib. 2. & 5.*

## *Templum S. Ianuario dicatum Neapoli.*

Excitatur ad latus principis templi ædes, exemplar veteris magnificentiæ, quam fortaſſe quiſpiam Rhetorum more inter orbis terræ miracula numerandam diceret, niſi prodigium illud viuidi ſanguinis, cui dedicatur, magnitudine ſua faceret, vt opus tam egregium non habeatur mirum. Sumptus eſt ex ærario Ciuitatis ducentorū & amplius millium aureorum, auguſti potius templi eſt quàm ædis opus. Parietes omnes quæſitorum lapidum cruſtæ operiunt: quot marmora tot ſpecula; in quibus & magni-

magnificentia ſimul, & pietas huius vrbis repræſentatur. Non eſt cur Alexandrina marmora, cur Numidica, ac cætera quæ antiquitas eſt admirata, magnopere deſideres: omnia candido varioque lapide diſtincta in his mira ludentis naturæ ſpectacula, Videas quaſi fluminum lapſus ac mæandros: dum currit vnda moratur; dum fluit, ſtat: ſpumant quaſi colliſi fluctus, & ſcopulus ipſum marmor eſt, maculoſa ſunt multa ſed nihil purius huiuſmodi maculis: ipſa labes decus eſt. Intercurrunt quaſi per artus venæ, & quædam puniceas habent veluti guttas, quæ omnes Ianuarij deſeruiunt ſanguini è venis effuſo, nonnulla candidis, & quaſi lacteis zonis præcincta ſunt, & ob venuſtatem, ſi fas eſt dicere, quaſi Veneris ceſto. Colore ſunt vario, ſed in vnum redeunte concentum, ſuauitate inenarabili. color his ſubniger eſt, ſed tamen lætus; pallidus alijs, ſed pallor eximiam habet gratiam: in nonnullis viriditas eſt, nec euanida, nec feneſcens: dos omnium eſt in imitatione gemmarũ, iaſpidis, pyropi, hæmatitæ, ſmaragdi, & aliarum. Quocunque incidunt oculi, gratiſſima eſt eorum refectio. Idem in columnis decus & ſpecies, quadraginta intra ædem ſunt: complectuntur quaternæ Patronorum ſtatuas, quę intra marmoreas veluti conchas incluſę ſunt. nihil eſt quod in columnis non admirere non modo naturæ laudabis, ſed artis decus epiſtylia, ſcapos, ſpiras, ſtylobatas, in aſtragalis hypotrachelia, in zoporis metopas, volutas item, ſiue elices, ſtrias ſiue canaliculos. omnia mira arte perfecta. non modo nitor in ijs, ſed ſplendor quidam vibrans. denique diem ſibi ædes ipſa facit ſuum. quid cum Sole illuſtrabitur ſuo? cum, inquam, Ianuarij ſimulacrum in ara principe ſtatuetur cum aureo amiculo, & illuminata gemmis tiara, Soli, qui mitras eſt dictus, quam ſimillimus? Habet & reliquæ Aræ plurimum ornamenti, atque ſplendoris. supernè veluti Genij è candido marmore corollas, aut aliquid ſimile geſtant. quatuor odæa ſibi reſpondent cum ſeptis item marmoreis. Porrò cæterarum partium dignitati pauimentum quoque reſpondet diſtinctum, ac teſſellatum emblemate vermiculato. Eminet verò ſupernè, atque incumbit operi ingens hemiſphærium aureum. extremus hic labor eſt, imago quædam illius cæleſtis, niſi

quod

quod figuris differunt: in ſtellifero namque Perſeus, Hercules, Cepheus fabulis incliti, in hoc verò Patroni huius ciuitatis cum rebus præclarè geſtis expreſſi. Iam ante fores præcipua magnitudine, & ſpecie admirandæ columnæ ſunt duæ, tribus millibus aureorum coemptæ, vt fores ipſe magnificentia ſua ædem adeuntibus ſignificare videantur, quale ſpectaculum iſint aditui. *P. Maſculus de Veſuu. lib. 2.*

# ÆDES, THEATRA, ET ALIA ÆDIFICIA.

## *Arx.*

AREa dimenſa confeſtim ad ſtructuram admotæ manus, non fabris tantum, & nauali turba, ſed ipſis etiam militibus & Præfectis enixè rem adiuuantibus. Triquetra vt pote in promontorium deſinens loci eſt figura. iactis fundametis ab aperto mari ad interiorem tumulum è regione oppidi, murus eſt ductus pedum ſeptendecim craſſitudine, altus ad coronam vſque viginti. In eo tumulo rotunda, vti mos tum erat, ceſpite ingeſto erigitur ante omnia turris dodrantium nonaginta diametro: Thomæa appellata, quod eius Apoſtoli feſto die exordium ſumpſerat. inde ruiſus ad alterum Inſulæ marginem continuata mœnia ſunt: qua rupes abſciſſæ portum attingunt. ibi turris altera extructa diametro dodrantium ſexaginta: huic à D. Iacobo Hiſpaniarum præſide indi- tum nomen. muris foſſa circundata quoad cautes, & præcipitia tulere. Inter duas turres medio ferme ſpatio, portam cum lorica in vrbem aperiunt: intra mœnia ſacellum, & præfecto præſidij militibuſque tecta militariter excitant. *P. Maffæus hiſt. Ind. l. 11.*

Arx

## *Arx Genuenſis portus.*

ARx enim præciſo vndique ſcopulo impoſita, quî porrectus in mare peninſulæ formam efficit, à continente propter oppoſiti montis frontem, anguſtum & abruptum locum habebat, omni iniuriæ tormentorum atque telorum expoſitum. Quà verò circumfluo mari alluitur, propugnacula erant idoneis in locis erecta, inſtructaque maioribus colubrinis, quibus conſpecta in alto nauigia interuallo etiam viginti ſtadiorum è deſtinato peti poterant: ſimulque lunata facie pateſcens portus, & operoſa moles, quæ in altum excurrens frontem oſtendit, adeo infeſta reddebantur, vt nec humile quidem nauigium in portu conſiſtere auderet, atque vniuerſa claſſis ad Catinnianum littus, quod obiectu molis tegebatur, ſuſpecta & male fida in ſtatione agere cogeretur. *Iouius hiſt. lib. 12.*

## *Theatrum M. Scauri.*

M. Scaurus fecit in Aedilitate ſua opus maximum omnium, quæ vnquam fuere humana manu facta, non temporaria mora, verũ etiam æternitatis deſtinatione. Theatrum hoc fuit. Scena ei triplex in altitudinem trecentarum ſexaginta columnarum, in ea ciuitate, quæ ſex Hymettias non tulit ſine probro ciuis ampliſſimi. Ima pars ſcenæ è marmore fuit, media è vitro, inaudito etiam poſtea genere luxuriæ. Summæ tabulis inauratis columnę vt diximus, imæ duodequadragenum pedum. Signa ęrea inter columnas fuerunt tria milia, numero. Cauea ipſa cœpit hominum octoginta millia, cum Pompeij amphitheatri toties multiplicata vrbe, tantoque maiore populo, ſufficeret largè quadraginta millibus. Sed & reliquus apparatus tantus Attalica veſte, tabulis pictis, cęteroque choragio fuit, vt in Tuſculanam villam reportatis, quæ ſuperfuerant, quotidiani

vſus

vſus delicijs, incenſa villa ab iratis ſeruis, concremaretur ad ſeſtertium millies.
*Plinius nat. hiſt. l. 36. c. 15.*

## *Theatrum Curionis è ligno.*

THeatra duo iuxta fecit ampliſſima è ligno cardinum ſingulorum verſatili ſuſpenſa libramento, in quibus vtriſq; antemeridiano ludorum ſpectaculo edito inter ſe ſe auerſis, ne inuicem obſtreperent ſcenæ, & repentè circumactis, vt contra ſtarent, poſtremò iam die deſcendentibus tabulis, & cornibus inter se coeuntibus faciebat amphitheatrum, & gladiatorum ſpectacula edebat. ipſum magis auctoratum populum Romanum circumferens, Quid enim miretur quiſque in hoc primum? inuentorem, an inuentum? artificem, an auctorem? auſum aliquem hoc excogitare, an ſuſcipere? parere, an iubere? Super omnia erit populi furor, ſedere auſi tam infida, inſtabilique ſede. En hic eſt ille terrarum victor, & totius domitor orbis, qui gentes, & regna diribet, iura exteris mittit, Deorum quædam immortalium generi humano portio, in machina pendens, & ad periculum ſuum plaudens. Quæ vilitas animorum iſta? aut quæ querela de cannis? quantum mali potuit accidere? Hauriri vrbes terræ hiatibus, publicus mortalium dolor eſt. Ecce populus Romanus vniuerſus velut duobus nauigijs impoſitus, binis cardinibus ſuſtinetur, & ſe ipſum depugnantem ſpectat, periturus momento aliquo luxatis machinis: & per hoc quæritur Tribunitijs concionibus gratia, vt penſiles tribus faceret.
*Plinius nat. hiſt. l. 36. c. 15.*

## *Mauſoleum.*

SEpulcrum hoc eſt ab vxore Artemiſia factum Mauſoleo Cariæ regulo, qui obijt Olympiadis centeſimæ anno ſecundo. Patet ab Auſtro, & Septentrione ſexagenos ternos pedes, breuius a frontibus, toto circuitu pedes quadrigentos vndecim, attollitur

in

in altitudinem vigintiquinq; cubitis: cingitur columnis ſex ſupra triginta. Ab Oriente cælauit Scopas à Septentrione Bryaxis, à Meridie Timotheus, ab Occaſu Leochares. Priuſque quam peragerent, regina Artemiſia, quæ mariti memoriæ id opus extrui iuſſerat, obijt. Non tamen receſſerunt niſi abſoluto iam; id gloriæ ipſorum artiſque monumentum iudicantes. Acceſſit, & quintus artifex; namque ſupra pteron pyramis altitudine inferiorem æquauit, viginti quatuor gradibus in metæ cacumen ſe contrahens. In ſummo eſt quadriga marmorea, quam fecit Pythis. Hæc adiecta centum quadraginta pedum altitudine totum opus includit.

*Plinius nat. hiſt. l. 36. c. 5.*

## *Collegium Romanum.*

QVæ facies externa Gymnaſij, ac totius operis veluti frons Deus immortalis? Nonne ciues ipſos prætereuntes quotidie, ne peregrinos ſolum dicam ex rei nouita e facile omnia demirantes, an non inquam ciues, & illos qui eam toties aſpexerunt etiam nunc ad ſui contemplationem vehementer inuitat, perinde ac ſi nuperrimè fuiſſet expoſita? Quid de introïtus & anticæ ianuę amplitudine dicam? Quid de cardinalibus ſcapis? quid de ſuperiore antepagmento? quid de triglyphis vtrinque pendentibus? quid de plana corona cum cymatio? quid de reliquis ornamentis, quæ in ipſo poſita veſtibulo videntur adeuntibus multo maiorem interioris Collegij magnificentiam polliceri? Ecce autem introgreſſis apparet illico cauædium teſtudinatum cum impluuio, quæ periſtylio cinguntur elegantiſſimo: apparent pulcherrimi gradus, quibus in ſuperiorem Gymnaſij partem aſcenditur. Binæ ſequuntur à latere porticus, excurrentes laxitate maxima, vbi ſpatiari commodè poſſit, atque oblectare ſe ſplendidè Philoſophia. Pilis omnia diſtinguuntur æqualiter, atque paraſtatis, egregijs ornata mœnianis, quæ proſpectum in compluuium facilem præbent, & addunt operi venuſtatem.

*P. Tarq. Gallutius to. 2. or. 7.*

Sed ampliſſima hæc Romani Collegij, diſciplinarum

rum inquam omnium ſedes, ac domicilium, quantæ pietatis opus, quanti operis munificentia ſit, vel ex eo diſcemus, quod ad faſtigium perduci non poteſt. Vaſtiſſimum areæ ſpatium fundamentis immenſæ altitudinis occupatum, cum in imo non eſſet ſolidum, ſed locus vbique congeſtitius perenni humore ſcateret, lapidibus & cementis aggerari, ſublicisque directis, & pronis ſtructura ſolidiſſima impleri, & parari vix tandem potuit, vt hanc arcem litterarum omnium ſuſtineret. Ipſa verò frons ædificij quanta molis amplitudine, qua ſoliditate materiæ, ſymmetria partiū, deſcriptione membrorum, ornamentorum artificio, quaſi miraculo ſemper nouo non detinet? Tyburtino lapide quadrato per interualla diſtinguitur; neque polito nimis, aut variato ſegmentis, & cruſtulis ne venuſtatis lenocinium officiat operis maieſtati: veſtibulum periliuſtre ambulationes aperit teſtudinatas, quæ pilis ingentibus opere dorico, atque corinthio elaboratis erectas, quæ cinctas exedris ad omnem ſapientiæ, concertationem accomodatis.

*P. Leo Sanctius flor. lib. 3. in laud. Gregor. XIII.*

*Apud P. Iac. Pontanum habes deſcripta ædificia gentvdtim, & eorum partes, Gymnaſium, Bibliotecham, Curiam, Aerarium Noſocomium, Amphitheatrum ſub titulis ſuis vol. 3. par. 2.*

# VILLÆ.

Miraris, cur me Laurentinum, vel (ſi ita mauis) Laurens meum tantopere delectet? deſines mirari, cum cognoueris gratiam villæ opportunitatem loci, littoris ſpatium. Decem & ſeptem millibus paſſuum ab vrbe ſeceſſit, vt peractis quæ agenda fuerint, ſaluo iam & compoſito die poſſis ibi manere. Aditur nō vna via, nam & Laurentina & Oſtienſis eodē ferunt: ſed Laurētina à quartodecimo lapide Oſtienſis ab vndecimo relinquenda. Vtraq; excipit iter aliqua ex parte arenoſum, iumentis paulò grauius & longius, equo breue, & molle. Varia hinc atque inde facies: nam modò occurentibus ſyluis via coarctatur, modò latiſſimis pratis diffunditur, & pateſcit. Multi

greges

greges ouium, multa ibi equorum, boumque armenta, quæ montibus hyeme depulſa, herbis, & tempore verno niteſcunt. Villa vſibus capax, non ſumptuoſa tutela. Cuius in prima parte atrium frugi, nec tamen ſordidum, deinde porticus in, O, literæ ſimilitudinem circumactæ, quibus paruula, ſed feſtiua area includitur egregium hæc aduerſus tempeſtates receptaculum. Nam ſpecularibus, ac multo magis imminentibus tectis muniuntur. Eſt contra medias cauædium hilare, mox triclinium ſatis pulchrum, quod in littus excurrit: ac ſi quando Africo mare impulſum eſt, fractis iam, & nouiſſimis fluctibus leuiter alluitur. Vndique valuas, atque feneſtras non minores valuis habet, atque à lateribus & à fronte quaſi tria maria proſpectat. A tergo cauędium, porticum, aream, porticum rurſus, mox atrium, ſyluas, & longinquos reſpicit montes. Huius à læua retractius paulò cubiculū eſt amplum: deinde aliud non minus, quod altera feneſtra admittit Orientem, Occidentem altera retinet. Hæc & ſubiacens mare longius quidem, ſed ſecurius intuetur. Huius cubiculi, & triclinij illius obiectu includitur angulus, qui puriſſimum ſolem continet, & accendit. Hoc hybernaculum, hoc etiam gymnaſium meorum eſt. Ibi omnes ſilent venti, exceptis qui nubilum inducunt, & ſerenum antequam vſum loci eripiunt. Adnectitur angulo cubiculum in abſida curuatum, quod ambitū ſolis feneſtris omnibus ſequitur, Parieti eius in bibliothecæ ſpeciem armarium inſertum eſt, quod non legendos libros, ſed lectitandos capit. Adhæret dormitorium membrum, & tranſitu interiacente, qui ſuſpenſus ſublicis conceptum vaporem ſalubri temperamento huc illucque digerit & miniſtrat. Reliqua pars lateris huius ſeruorum, libertorumque vſibus detinetur, pleriſque tam mundis, vt accipere hoſpites poſſint. Ex alio latere cubiculum eſt politiſſimum, deinde vel cubiculum grande, vel modica cænatio, quæ plurimo ſole, plurimo mari lucet: poſt hanc cubiculum cum procætone, altitudine æſtiuum, munimentis hybernum, Eſt enim ſubductū omnibus ventis. Huic cubiculo aliud, & procœton communi pariete iunguntur: Inde balinei cella frigidaria ſpacioſa & effuſa, cuius in contrarijs parietibus duo baptiſteria velut eiecta ſinuantur, abundè capacia,

cia, ſi innare in proximo cogites. Adiacet vnctorium hypocauſton, adiacet progigneon balinei: mox duæ cellæ magis elegantes, quàm ſumptuoſæ, cohæret calida piſcina mirificè, ex qua natantes mare aſpiciunt: nec procul ſphæriſterium, quod calidiſſimo ſoli, inclinato iam die, occurrit. Hinc turris erigitur, ſub qua diætæ duæ, totidem in ipſa, preterea cœnatio quæ latiſſimum mare longiſſimum littus, amœniſſimas villas proſpicit. Eſt & alia turris, in hac cubiculum, in quo ſol naſcitur, conditurque. Lata poſt apotheca, & horreum: ſub hoc triclinium, quod turbati maris non niſi fragorem & ſonitum patitur, eumque iam languidum ac deſinentem; hortum, & geſtationem videt, qua hortus includitur: geſtatio buxo, aut rore marino, vbi deficit buxus, ambitur. Nam buxus qua parte defenditur tectis, abundè viret: aperto cælo, apertoque vento, & quamquam longinqua aſpergine maris, inareſcit. Adiacet geſtationi interiore circuitu vinea tenera, & vmbroſa, nudiſque etiam pedibus mollis, & cedens. Hortum morus & ficus frequẽs veſtit, quarum arborum illa vel maximè ferax eſt terra, malignior cæteris, hac non deteriore quàm maris facie cœnatio remota à mari fruitur. Cingitur diætis duabus à tergo, quarum feneſtris ſubiacet veſtibulum villæ, & hortus alius pinguior, & ruſticus. Hinc cryptoporticus propè publici operis inſtar extenditur. Vtrinque feneſtræ, à mari plures, ab horto ſingulæ, & altiùs pauciores. Hæ cum ſerenus dies, & immotus, omnes; cum hinc, vel indè ventis inquietus quà venti quieſcunt, ſine iniuria patent. Antè cryptoporticum xyſtus violis odoratus, teporem ſolis infuſi repercuſſu cryptoporticus auget: quæ vt tenet ſolem, ſic Aquilonem inhibet, ſubmouetque, quantunque maioris antè, tantum retrò frigoris. Similiterque Africum ſiſtit, atque ita diuerſiſſimos ventos, alium alio latere frangit, & finit. Hæc iucunditas eius hyeme minor, maior æſtate. Nam ante meridiem xyſtum, poſt meridiem geſtationes, hortique proximam partem vmbra ſua temperat: quæ vt dies creuit, decreuitque, modò breuior, modò longior, hac vel illac cadit. Ipſa verò cryptoporticus tunc maximè caret ſole, cum ardentiſſimus culmini eius inſiſtit. Ad hoc patentibus feneſtris Fauonios accipit, tranſmittitque,

nec

nec vnquam aere pigro, & manente ingraueſcit. In capite xyſti deinceps cryptoporticus, horti diæta eſt: amores mei, reuera amores; ipſe poſui. In hac heliocaminus quidem alia xyſtum, alia mare, vtraque ſolem: cubiculum autem valuis, cryptoporticum feneſtra proſpicit, qua mare contra parietem medium diæta per quam eleganter recedit. Quæ ſpecularibus, & velis obductis, reductiſque modò adijcitur cubiculo meo, modo aufertur. Lectum, & duas cathedras capit, à pedibus mare, à tergo villæ, à capite ſyluæ, tot facies locorum, totidem feneſtris & diſtinguit, & miſcet. Iunctum eſt cubiculum noctis, & ſomni: non illud voces ſeruulorum, non maris murmur, non tempeſtatum motus; non fulgurum lumen, ac ne diem quidem ſentit, niſi feneſtris apertis. Tam alti, abditique ſecreti illa ratio, quod interiacens andron parietem cubiculi, hortique diſtinguit, atque ita omnem ſonum media inanitate conſumit. Applicitū eſt cubiculo hypocauſtum perexiguum, quod anguſta feneſtra ſuppoſitum calorem, vt ratio exigit, aut effundit, aut retinet. Procœton indè, & cubiculum porrigitur in ſolem, quem Orientem ſtatim exceptū, vltra meridiem, obliquum quidem, ſed tamen ſeruat. In hanc ergo dietam cum me recipio, abeſſe mihi etiam à villa mea videor: magnam eius voluptatem ecce præcipue ſaturnalibus capio, cum vel reliqua pars tecti licentia dierum, feſtiſque clamoribus perſonat. Nam nec ipſe meorum luſibus; nec illi ſtudijs meis obſtrepunt. Hæc vtilitas, hæc amœnitas deficitur aqua ſalienti, ſed puteos, ac potius fontes habet: ſunt enim in ſummo. Et omninò littoris illius mira natura, quocunque loco moueris humum, obuius, & paratus humor occurrit, iſque ſyncerus, ac ne leuiter quidem tanta maris vicinitate corruptus. Suggerunt affatim ligna proximæ ſyluæ: cæteras copias Oſtienſis colonia miniſtrat. Frugi quidem homini ſufficit etiam vicus, quem vna villa diſcernit. In hoc balnea meritoria tria. Magna cōmoditas, ſi forte balineum domi, vel ſubitus aduentus, vel breuior mora calefacere diſſuadet. Littus ornant varietate grauiſſima, nunc continua, nunc intermiſſa tecta villarum, quæ preſtant multarum vrbium faciem, ſiue ipſo mari, ſiue ipſo littore vtare; quod nonnunquā longa tranquilitas

mollit,

mollit, ſæpius frequens, & contrarius fluctus indurat. Mare non ſanè precioſis piſcibus abundat: ſoleas tamen, & ſquillas optimas egerit. Villa verò noſtra & mediterraneas copias præſtat, lac in primis. Nam illuc è paſcuis pecora conueniunt, ſi quando aquam, vmbramne ſectantur. Iuſtis ne de cauſis eum tibi videor incolere, inhabitare, diligere ſeceſſum? quem tu nimis vrbanus es, niſi concupiſcis, atque vtinam concupiſcas, vt tot, tantiſque dotibus villulæ noſtræ maxima commendatio ex tuo contubernio accedat. Vale. *Plinius iunior lib. 2. epiſt. 17.*

Ædificare te ſcribis, bene eſt: inueni patrocinium: ædifico enim iam ratione, quia tecum. Hoc quoque non diſſimile, quod ad mare tu, ego ad Larium lacū: huius in littore plures villæ meæ, ſed duæ vt maxime delectant, ita exercent. Altera impoſita ſaxis more Baiano lacum proſpicit: altera æque more Baiano lacum tangit. Itaque illam tragœdiam, hanc appellare comædiam ſoleo: illam quod quaſi cothurnis: hanc quod quaſi ſocculis ſuſtinetur. Sua vtrique amænitas, & vtranque poſſidenti ipſa diuerſitate iucundior. Hæc lacu propius, illa latius vtitur: hæc vnum ſinum molli curuamine amplectitur: illam duriſſima dorſa diripiunt: Illic retia, venatio: hic geſtatio longo limite ſuper littus extenditur: hic ſpacioſiſſimo xyſto leuiter inflectitur: illa fluctus non ſentit, hæc frangit: ex illa poſſis deſpicere piſcantes, ex hac ipſe piſcari, hámumque è cubiculo, ac penè etiam lectulo, vt è nauicula, iacere.
*Plinius iunior, lib. 9. epiſt. 7.*

Elementa omnia intueor? vim ſuam vſumque palam, & toto, vt ita loquar, ſinu in hoc rure noſtro effundunt: obſcurè & parciter in tua vrbe. Solem vides melius hic nitet. Aerem; lætius latiuſque diffunditur & ridet. Aquas: purius bibuntur. Terram: hic tantum cernitur in vero ſuo vultu. Alibi in planitiem effusè porrigitur: alibi in collem placidè adſurgit, aut magis rigidè in montem. Illic herbis, & ſponte natis arbuſtis veſtitur: hic fruge fructibuſque, & feliciore ligno. Quem non delectet tam varius aſpectus, & cultus magnæ matris? cuius apud vos vna facies ædibus preſſæ, aut pauimentis. Iam domum ſi veniſti, hic prorſus gaudiorum & amænitatis vera ſedes. Manè

ne ſurrexiſti? ad muſicam quidem. Et circumſonant te,ac velut ſalutant chori illi alitum, ſuauiter fritillantium, trutillantium,minurientium. ad quos non æquiparent ſe tibiæ, citharæ, aut ex arte vlli cantus. In hortum proſpexiſti? oculorum aciem tibi præſtringet illa ipſa nocte exortum agmen florum & herbarum In pratum? occurrent vere nouo arbores odora quadam & cana niue perſperſæ: eademque ſub Autumnum,alia pomorum purpura ſiue cera diſtinctæ. Propius eaſdem aſpice: inſitiones mirabere & matrimonia; Adulteria etiam, & ſuppoſitos fætus inſcia matre,nec inuita.Quam laſciuam comprehenſionem fæcunditatemque quiſquis in ligno non miratur: ipſe protectò lignum.Iam ad agros diuertiſti & tua rura? Illic boues lentè paſcuntur, & oberrant; hic pecudes magis vagè laſciuiunt,& hædi.Porcus alibi volutatur & grunnit: alibi criſtata cohors cucurrit & ſcalpit. Segetes illic tuas vides, & ſiliginis, farris, hordei vberes faſces: ſiluam iſtic & ad hiemem lignorum ſtrues. Vitem denique alibi florentem aut matureſcentem,& ſpe iam præbibis ſacrum illum alibi lemque liquorem. Quorum omnium quæ copia in vrbe ſic? quin ne imago quidem ſatis certa & expreſſa. Sed vt ij qui parietem intuentur, ex leui linearum ductu, animalia in eo & facies ſibi fingunt: ſic vos rarum rerum futiles quaſdam vmbras. Ita viuitis in pulcherrimo hoc mundo,mundi exules: nec bona aut dona eius plenè vnquam noſtis. Poſtremum fructus mihi ſuper eſt. de quo quid ambigimus? cum non ſolum cultus & ornatus pleruſque vitæ ab agris ſit, ſed vita ipſa. Agriculatio enim moriatur, & vna humanum genus. Adde illa commoda, agnum hœdum ut à ſtabulo, pullum è corte,porcum ab hara,& tot apes inemptas: quas vos ægrè & carè præſtinatis foro, aut macello.

*Ipſius epiſt. cent. 1. epiſt. 8.*

## *Villæ veterum nobiliores.*

Sinistrorſum diuertamus ad confinem huic luculentiſſimam Luculli villam. Hinc enim vero, ſiue in ædificiorum amplitudinem ſpectes, atria, porticus,

cus, cænationes, balnea, diurna, nocturnaque cubicula habes, quæ ne per vices partiantur in horas: ſiue tu aquas velis è ſuo fonte, longo diſiunctas diuortio, hic flumina vi rapta ſub terras ad ædes ipſas veluti circino circumducta, domeſticos Euripos, ac Nilos efficiunt, quibus per tectos cuniculos rurſus eductis in areis coronarijs, & puluillis fructuoſis teneri vitreorum fontium micant ocelli: hic nos pontificium, & adipale conuiuium manet. In Apolline fortaſſe cænaturi ſumus cum Pompeio, ac Cicerone. Verũ quoniam luculliané viuere res eſt inſignis infamiæ apud Catonem, primariam hanc dedecoris notam primo ſaltem hoc die fugiamus. Proximam Ciceronis villã adire poſſumus in Tuſculano; ſed perditiſſimi hominis Clodij iniuſtiſſimo dominatu diruta à funda mentis eſt, & ſolo æquata. Marcus Tullius illos lapidum cumulos, & rudera vix per legem poſtliminio recepit, & nunc noui operis molem orſus nondum abſoluit. Si placet, per portam Næuiam viæ Tiburtinæ inſiſtere, Imperatoris Hadriani villa celebratiſſima in promptu eſt; ſed illuc Græcorũ nationem relegemus: ibi enim ſuum Pritanæum, Xyſtum, Lycæum, Academiam, & Theſſala Tempe ſuis quæque diſcreta locis agnoſcent. Nos per Præneſtinam viam ab Exquilina porta digreſſos villa Gordianorum manet. hæc immanibus extructa ſumptibus, quam varios, quam magnificos apparatus habet. ibi elegantiſſimę deſcriptiones ædium, ad veſtibulum auguſtiſſimorũ propylea tectorum; ducentis columnis primum periſtilium fulfultum eſt, quæ omnes diſſimili genere, menſura pari, Numiſticæ, Syenitides, Claudianæ, Chariſtiæ, paribuſque ſtrigibus diſcriminatæ ſunt: ad quarum capitula topiarius è marmore Acanthus flexu ductili propagatus, luſu Corinthio laſciuiens cincinnos per interualla dependulos promittit, & torulos opacat, & veſtit. Atria partim operè coronario rotunda, partim theatri figuram exhibent, quorũ pauimenta hæc teſſellato, muſiuo alia, vermiculato aſaroto diſtincta ſunt; proiecturas ex auro ſuſtinent Atlantes varij, & Cariatides, ſubgrundia plumbea, acroteria æreis ſigillis illuſtria. Vitruuius vix mente concepiſſet tam bellè, tam ad amuſſim deſcriptam ædificiorum molem. Illam quæſo conſideratum mittamus

tamus architectos noſtros cum ſua norma, & decempeda. Nos qui hortorum delicias, non ædium elegantias quærimus, ad Portam Collinam, per Salariam viam, euitato campo ſcelerato, Saluſtianos hortos inuiſamus. Plura hic operis topiarij miracula, quàm ſimulacra ſunt. Arborum affinitates, adoptiones multæ, conubia noua, atque adulteria inaudita: hic aquarum bellè cadentium ſcatebroſa percuſſio ſuſurrat, & adſtrepit; ad quem ſonum ex auiarijs dulciter aſſonant chori auicularum fritillantium, trutillantium, minurientium. Platanetа non cæleſti pluuia, ſed doliari mero enutrita, per vmbracula, ac ſpatia, gelidiſſimas hyemes propagant & fundunt. Sed quoniam audio Neronem ibi laſciuire ſolutius conſueuiſſe, malum omen, peſſimum hominem fugiamus.

*P. Leo Sanctius lib. 1. flor. Villa muſ. par. 1.*

## *Villa amæniſſima.*

Ipſe cum Gelonoro ſequebatur, loci formam curioſis oculis luſtrans, quem ruens maris horror faciebat gratiorem. Non anxia arte quæſitus erat decor. Plura naturæ debebantur; cuius facilitas atque ingenium, omnes artificium labores prævertit. Ruſticus ad Villam aſcenſus (nec læuigari Regina paſſa erat) obliquum colli latus ſic dederat, vt circumuenire montem potius videretur, quam in illum eniti. Læuam itineris tegebant denſi frutices, crebrarumque ſtirpium inæquali viriditate lætiſſimi. Tumuli illic leues, creſcente molliter campo, donec oblongum, & ſpiſſis opacum arboribus ſupercilium montis ſubito tumore conſurgeret. A dextra conualles viſebantur, vinetis hortiſque excultæ, & in colliũ radicibus, qui dimidiatum orbem ducebant, vberrima paſtu prata ſe eadem viriditatis hilaritate porrexerant. Sub ipſo montis iugo ſublimis, & ſponte extenſa planities erat, in qua villam condiderant. Ad foreſcum veniſſes oblectabat oculos alia loci forma proſpectuſque in remota liberior. Quippe ante veſtibulum patebat hominum curruumque area capax, paucis, ſed ingentibus diſtincta arboribus; ad quarum vmbram ſedilia & lapideas menſas, milites cuſtodeſque

que extulerant, ac vt editus locus erat errorem fluuij in Valle monſtrabat; montes quoque ex aduerſo magnatum prædijs diſtinctos. Viſebatur à latere dextero pars potiſſima vrbis, per ſuos colliculos & templorum faſtigia elatæ. Si oculos longius mitteres, mons Atlas inculta hyeme & ſterilibus ſaxis, per multos vertices in nubibus fractus, & delectabat animum mutatione conſpectus & propinquam fælicitatem blandius commendabat aſperitatis imagine. Domus pro Regina non ingens. Sed debebat artifici, quod venti quicunque perflarent, admiſſi, omnem æſtum temperabant & triclinia lumen accipere poterant non obnoxium radijs ſolis. Hortus deinde modicus & porrectus in longum, Muſis quidem erat dignus, & omnibus dijs, quos cæpit ſtirpium colendarum humanitas. A domo in illum, porticus ducebat, in qua ſolebat Regina conuiuari, aliquot ſignis & picturis exculta. Iam verò ſiniſtrum hortilatus claudebat montis vertex, non illi vtique tantum horto, ſed domui, ſaltuique perpetuo contiguus dorſo, & duntaxat parietis interiectu coercitus. Hanc partem fons amænus decorabat, e marmorei Elephantis proboſcide in teſſellati operis alueum, decurrens. At dextera ad proſpectum vacua erat, exiguo muro in hoc tantum erecto, vt lapſus in abruptum caueretur, & in eum innixi fruerentur viuarij ſubiecti ſpectaculo. Nam mediocre ſtagnum coercebant latericij aggeres. Piſces in eo, variæ ſenectutis, quos ab horto Regina amabat, præcipitato in aquam pane interſe concitare ad certamen. Porta ex horto ducebat in exiguum ſaltum, quem facti manu calles, virgultiſq; liberi ſecabant. Longum eſſet ſingula memorare, vt natura inæqualitate locorum luſerit, vt exiguo ſpatio retulerit omnes formas, quibus totę regiones variantur, vt ſyluam ex aureis malis, rhododaphne, lauro, pinu ſubere, pene totam non mutarit innoxia hyems, & antra hic ſponte, hic manu aperta, dederint fontes, aut opacum ſubeuntibus frigus ſed fons pręcipuè notabilis erat, de induſtria ſic ornatus, vt quæ artificij erant ſponte producta viderentur. Quippe in arcum effuſſus modicam planitiem dabat, exiguis lapidibus quaſi temerè ſtratam. At vtrimque lateribus ſaxa ingentia, tanquam rupes ita natas admoue-

rant,

zant. Vbi is labor duodecim pedes in altum excreuerat, ſemitam fecerant, quæ locus circumiri facile poſſet. Tum verò ſuper hanc molem in girum arbores ita ſeuerunt, vt inflexorum ſtipitum cacumina in ſubiectam aream verterentur. Hæ vbi in proceram adoleuere, ſpeciem referebant iam iam cadentium ſtirpium, & ſuo pondere radices extra terram trahentium. Inter illius ruinæ innoxias minas, peribat ſub frontibus calor ſolis, & laterum aggere primū, mox curuatis in hunc modum arboribus, denique increſcentis collis mole, tegebatur ſimplex Reginæ hilaritas, quæ fontem illic per aliquot fiſtulas cadentem ſæpè inter ſuas Virgines læto otio celebrabat. *Barclaius Argen. lib. 2.*

## *Prædium ſuburbanum.*

IN ſuburbano erant vineæ non vltra primum lapidem, peramœnæ vbereſque, porticibus tetragonis circummænitæ. Vuidum collem circum vndique vites, & temulenta opacitas premunt. medio vineto prætorium ſurgit, æſtiuis voluptatibus factum, iuxta interuirent herbæ, alludunt auræ, ſaliunt vndæ. Indidem liber in ſilulas, & ſubiacentia prata deſpectus; vbi certantium auicularum equuitia, & riuulorum labentium murmura, & zephyri frigora, & mille artis naturæque ludicra.
*P. Bidermanus lib. 1. acroa. 4. num. 75.*

# HORTI. FLORES.

CVmque in ipſo aditu oculos circumtuliſſem, vago quodam & curioſo ad ſpectū, miratus ex animo elegantiam, & cultum loci, Mi ſenex, quæ hæc amœnitas eſt? inquam, quis ſplendor? Cælum hic habes Langi, non hortum. nec aſtrorum illi ignes profectò magis nitent in ſerena nocte, quam hi tui ſcintillantes micanteſque variè flores. Adonidis aut Alcinoi hortos loquuntur? nugæ, ad iſtos comparati, & imagines muſcarum. Et ſimul propius accedens &

flores quoſdam naribus oculiſque admouens, quid primum voueam? inquam, oculus cum Argo fieri; an naſus cum Catullo? Ita vtrumque ſenſum pariter permulcet mihi, & titillat hæc voluptas. Ite ite omnes Arabum odores, qui nauſea mihi, præ halitu hoc ingenuo & verè cæleſti. Langius manum mihi blandè premens, nec ſine riſu, Præclarè Lipſi, inquit, non ego, non hæc ruſtica mea Flora agnoſcimus tam ſcitam, tam vrbanam laudem. Ego iterum, tamen Langi veram. Blandiri me putas? ſerio hoc dico, & exiſtimo meo ſenſu. Campi Elyſij non ſunt, præ hoc tuo rure. ecce enim, quæ hic vbique nitela eſt? Quis ordo? Quam aptè omnia in areolas ſuas puluilloſque diſpoſita? vt non elegantius, teſſellæ aliquæ in pauimento. Iam quæ florum herbarumque copia? Quæ raritas & nouitas? vt videatur in exiguum hunc locum natura concluſiſſe, quidquid eximium habet noſter aut alter orbis. Animum tuum mentemque percontare: capi ſe hoc adſpectu dicet immò pelli. Oculos ſenſumque: fatebuntur, non alibi libentius ſe acquieſcere, quam in his hortorum areis, & puluillis. Circumſiſte, quæſo te, paululum hæc agmina florum & augmenta. Vide mihi illum e calyce, hunc e vagina, alium e gemma protuberantem. vide hunc morientem ſubitò, alium ſubnaſcentem; denique inſpice in vno aliquo genere cultum, formam, faciem, mille modis paria & diuerſa. Quæ illa tam rigida mens, quæ inter hæc non flectat ſe molli aliqua cogitatione & liqueſcat? Iam ades curioſe tu ocule? defigere paullum in nitores iſtos & pigmenta, inſpice hanc natiuam purpuram, hunc ſanguinem, hoc ebur, hanc niuem, hanc flammam, hoc aurum: & tot colores, quos artifici cuique penicillo æmulari fas. æmulari, ſed non imitari. Denique quis exhalans ille odor? quis penetrans ſpiritus? & neſcio quæ pars ætheræ auræ infuſa ab alto? Vt non vanè Poetarum noſtra gens flores pleroſque natos finxerit è ſucco, aut ſanguine immortalium Deorum. O gaudij & liquidæ voluptatis verè fons. O venerum & gratiarum ſedes. mihi in veſtris vmbraculis quies & vita ſit: mihi fas remoto extra ciuicos tumultus, inter has herbas, inter hos noti ignotique orbis flores, hilari, & hiante oculo oberrare: & modò ad hunc occiden-

dentem, modò ad illum exorientem manum vultumque circumferre, & cum vaga quadam allucinatione curarum hic omnium falli & laborum.

*Lipſius l. 2. de Conſt. c. 1. & 2.*

Supra naturam corporis, & extra ſenſus quodam tempore ſublata, ſibi verſari videbatur in Cælo. locum irriguum vbertate fontium, purpureaque lucis amænitate lætum cernebat, immortalibus amaranthis, æternumque fulgentibus hyacinthis. Iam ſpecies ipſa lætiſſima diſcoloris amænitatis, odorumque ſuauitatis, quæ difflaretur è floribus & variarum concentus iucundiſſimus auicularum, cum aquarum bellè cadentium admurmuratio; nec non auræ ſuſurrus inuolutus frondibus ad numerum adſibilantibus è ſylua, quantam vel animo iucunditatem affunderet, vel obliuionem induceret cæterarum curarum, non niſi qui ſenſibus explorarit aliquando, conſequi coniectura poſſit. In medio loci teſtudo, perplexo, & camerato topiario conueſtita, ſellam opacabat ſupernè incubans, ſplendido ſuffultam toro multo auro, argentoque lucidam, & illuſtrem pendentibus vndique margaritis.

*P. Stephonius or. 1. de B. Agnete.*

Annuit ille, atque ex areola, qua inambulabant, proceras admirati platanos ab ſtirpe ad primos vſque ramos hedera ita conueſtitas, vt ſummæ quidem arbores ſuis frondibus, imæ verò alienis virerent; concedunt in proximum xiſtum, quem gradata hinc buxus, & conciſa in plurimas ſpecies, inde tarentina myrtus variè tonſa, aliæque preſſæ atque retentæ manu arbuſculæ belliſſimè concludebant. In medio fons æſtuabat intra marmoreum cratera, è cuius labro caducus veli inſtar tenuiſſimi expandebatur demittebaturque in ſubiectam piſcinam; quam circum ſyphunculi plures expreſſi micabant è ſolo, atque in cratera reciproci miſcebant ſuauiſſimum murmur. Hic in loculamentis trifolio virentibus molliſſimas nacti ſedes ac puluinos aduerſi conquieſcunt.

*P. Famianus lib. 2. prol. 3.*

Exite iam ad vitæ, gloriæque lucem terræ quidem filij, ſed altricis nobilitais adoptiui: cum Sole ipſo clariora cæleſtibus terrena ſidera interdiu mi-

cate, ac diem geminate: in hortenſibus theatris externæ formoſitatis victores vobiſcum ipſi formoſiſſimi fratres domeſtico certamine de formæ dimicate. Ecce iam voci, votoque reſponſuri materni ſinus grauem præmaturo egreſſu moram rumpitis. Iam virides inter foliorum faſciolas inſolitam ad lucem conniuentia capitula ſuſtollitis. Iam vitam, quam nos ærumnoſam nobis natalitijs lacrymis præſagimus, lætiſſimam vos diducto decenter ore à riſu inchoatis; & hiante ſemper labello renidentes, dum viuitis, ridetis. O vos beatos, quorum vita riſus eſt! O riſum efficacem, quo totus annus exhilaratur! Prima (quis credat?) florum riſu anni ſenectus iuueneſcit. *Prima* vernat hyems, tua, Hyacinthe, præcox pulchritudo ver hybernum repræſentat, ſiue frigore decolor niueo vultu circunfuſas prouoces niues: ſiue Cælo concolor cæleſtem ſuauitatem redoleas. Tibi vero (flos fabularum formoſiſſime Narciſſe) hybernum frigus meritò amicum, & conſentaneum eſt: Tua ipſe quod forma perniciosè calueris. O quàm appoſitè nunc aureo, nunc argenteo, nunc vtroque pallore tabeſcis, ac degeneras in florem! Tantus enim decor pulchrè debuit precioseque palleſcere. Sed quis inter ventoſa hortorum hyberna flos lætior hyemet, quam quæ non ſine vento aperitur, quæque ventum nomine ſpirat. Anemone? Conſpirate iam coniuratæ aurarum animæ: veſtrum animoſos impetus omnium vnus hic floſculus toto hiatu ridet, imò veſtro ſpiritu animatur. Et ſanè vento gaudere decuit, quem vulnerati Adonidis vaniſſima fabula cruentauit. ſuam iſtam flos ipſe lugubrem fabulam, cum maxime patet, effuſiſſimè ridet. At vos ne vltra in fragile floris decus conſpirate ventoſi ſpiritus. Heu me, ventos rogo! en eadem (ò rerum vices!) quæ modo decorum florem animabat aura, tragico ludibrio difflatum exanimat. I nunc, atque auræ confide fallaci. ſed iam ver floridum vernos flores per zephyrum præconem euocat. Res mira. inſuſurratum præconis ventuli murmurillum vbique audiunt, & adſunt florum populi diſcolores, atque hoſpitas lucis oras grati aduenæ ſalutaturi, oſculo ſuauiter hiulco odoratam animam inhalant. O halitum ægræ mortalitati vitalem! O curarum æſtus blandè dif-

flantem auram ingenuæ voluptatis? quem non demulceat in iuncifolio Narciſſo par aurei pretio coloris odoris pretioſa ſuauitas? Siue hic ſimplici foliorum bractea auare, ſiue pleni rutila floris pompa liberaliter aureſcat. Cui vero argenteus ille narciſſus, qui productiore collo Camellum in flore ludit, exporrecto vitam oſculo propius non inſpiret? Cui non Hyblam, non himettum oleat; tum moſcatus, tum odoratiſſimus orientalis Hyacinthus, quorum vel ipſum nomen odoratum eſt? Quid? obſcuro natum, ac traductum loco lilium conuallium, nonne ſuauiſſimo illud afflatu verè inſinuat, ex obſcuritate Patriæ eum ſæpe virtutis candorem exiſtere, qui clariſſimas ornent Ciuitates? Quid? nonne lactea Cyclaminus lacteſcentis in florum puerperio naturæ concretum in florem lac videatur? Mihi verò vos (verſicolores, atque ab ipſis maculis & nęuis formoſæ Tulipæ) dum coloribus floretis omnibus, flos omnis eſtis. Sed cuius præterea floris odore peregrino æſtatis calor noſtros hortos vaporat? Salue Gelſimine, florum flos. O quàm gratus hoſpes flagellorum manibus adrepens, toto iam terrarum orbe peregrinitatis? O quàm lepidum quàm ſalubrem e tua patria nobis odoris Africum ſpiras! Et verò par erat feruidæ matris odoratum eſſe filium: Quo enim alio materni amoris feruor, quàm odorato ſpiritu filium animaret? Sed illud non planè intelligo, qui fiat, vt parens Æthiopum nigerrima candidos pariat flores. An propterea; quod parentis illi non vultu, ſed lacte colorantur? An quia ſic è nigra nocte candida lux naſcitur? Exiſte nunc tandem exiſte Mexicanis è viretis oriunda, quæ Nazareni floris inter ſpinas morientis florida imago es, Granadilla, Florere te decet per æſtum, quia flos amoris es. Nulla verò tibi terra fertilius æſtuat quàm Roma, cuius in nomine ardet Amor.

*P. Ferrarius oratione* I.

Perge modò, ſi fortè delatus in regionem peramœnam, ad arbitrium & voluntatem locum poſſes eligere conſerendis hortis idoneum, credo caules, allia cæpas inſereres, non violas ibi, roſaſque curares educari? num præſcriberes locum eo delitiarum genere circumfluentem, ea florum herbarumque

omnigena vbertate nobilem, vt Alcinoi copiam, heſperidumque pometum longè anteiret? ea ſoli, præſtantiſque naturæ fœcunditate, vti nunquam arbores florum grata viriditate nudarentur. An non imperares areolas vbique luculentas, & reſupinis puluillorum toris diſtinctas, nitida ſemita, vernanteque ſinuorum margines varijs hominum, animantiumque figuris, e plectilibus ramis, tonſili buxo, baccis, & arboribus odoratis veſtitas, quibus ad ambulationem viæ definirentur, conſtitui iuberes? Num hic velles aream labyrinthi meandris, & diuerticulis propè infinitis inſtructam? hic aliam ex oppoſito, in qua tanta florum varietas herbarumque vbertas naſceretur, quantam in Alydæ roſetis, & Adonidis hortis olim fuiſſe Poetæ veteres fabulantur? In medio fontem argenteis vndis copioſè largiterque fluentem, denique tam elegantem, & artificioſam ridentis horti deſcriptionem, vt cum magna eſſet rerum & opificij varietas, quamtecunque in partem dares, noua quædam inauditæ ſeges delectationis occurreret, ſenſuſque omnes liquidiſſima voluptate, ad eius aſpectum, perfunderentur.

*Ex Palat. Eloq. exerc. 4. lect. 7. pun. 2.*

Illos ipſos flores per prata temerè ſparſos transfer, ſi placet, in aliquem hortum ad amuſſim quadratum, peritumque hortulanum, qui eos ſcitè diſtinguat, adhibe. Tum is quatuor ad angulos quatuor areolas, extrinſecus quidem rectis lateribus, intrinſecus verò cuſpidatas, aut in ſpiram conuolutas deſcribet. In medio ingentem ſtellam radios quaquauerſum fundentem depangit: areolas immiſſis teſſellis diſcriminat: teſſellas puluinis & toris munit: tenuiores vndique ſulcos ducit, tum ſtrias liraſque minores interponit. At quatuor latera in crucem interſecat, ipſas areolas biuijs, triuijs, quadriuijs decuſſat. Poſtremò latè ſpatiantem ſemitam, & per quatuor latera pertinentem, quaſi pomœrium relinquit. Porrò vbi hortum ita extruxit, flores rurſum in areolas, in teſſellas, in puluinos, in toros, in ſtellam diſtribuit, viarum crepidines roſario, ceu ſpinoſo propugnaculo obuallat: delectum ſingulorum etiam florum habet: notat qui humiliores, qui medij, qui proceri: neque colorum negligit varietatemq;

caru-

cæruleas violas, nigra vaccinia, alba liguſtra ſuos in manipulos centuriat. In ſtellæ vmbilico ſolis æmulum heliotropium figit in ſtellæ radios haſtata lilia diducit, deinceps anemones, hyacinthos, amaranthos, narciſſos, & reliquorum omnium florum aciem ſpecioſiſſimam, tanquam Floræ pictum exercitum ſerie eximia componit. At in ſemitis omnem eradit herbulam, in ſulcis, in ſtrijs, in biuijs nullam terræ lanuginem patitur, nulla fert ſtamina, nulla cymata tolerat. Vniuerſum ſolum per omnes verſus areolis interiectum, vt ſemper purum putumque ſit, perenni labore deglubit, glabrat, decorticat.

*V. Alb. de Albertis par. 3. de Ordine n. 208.*

## *Hortus domeſticus Herbarum, florum ferax.*

Doletulæ feneſtella tantum hortuli ſubiecti ſibi perforat, quantum intra domeſtici parietis ambitum, ſubdiualis areola diſtincta ſemitis, non vijs; imò ſtrijs non ſemitis, ad acetaria perpaucorum hominum ſufficiendis oluſculis ad vtilitatem exculta diligenter, ad voluptatem ineleganter. Hic areolis aggeſta corbibus humus humecta ſemper vtique ſub vdo ſolo ſudoq; cælo, ſatiuam nobis ſuccidiam præbet ad inemptas noſtrorum hominum dapes, fœniculum, intybum, lactuculam, oxalidem, mentaſtrum, eruculam, cicoreum, nepitam, apium, ſaluiam, andrachnem, ſerpyllum, apiaſtrum, ſerratulam, amaracum, ſtellitem, pulegium, rutam, hyſopum, abſynthium, naſturtium, papauer. & id genus herbulas, quas ad appetentiam acuendam elicit artifex manus, & veſpertina fermè commendat proluſio cœnarum. Inibi raris diſpoſiti locis Adonis florent hortuli calathiſcis mobilibus innutriti. Saliuncam, roremmarinum, violam, calthulam, clauiculum, heliocryſum, narciſum, iridem ad tempus oſtentant ritu ſolſtitialis inuoluuli: nec niſi verno tempore, vel æſtiuo ſole crediti ſeminis fidem ebblanditur, aut exprimit pertinax cultu labor. iniuſſi graminis ſolum ferax, laurum myrtum, lentiſcum, & frutices in topia ſequaces

 reſpuit.

reſpuit, libenter trifolium, libentius viticam offert olitoribus, & minimè poſcentibus internaſcentem vberrimè peſtem herbis edulibus inimicam; niſi ſæpius interuelles, ilicet irrito labore ſpem omnem herbariam veſpertuolarum perdidiſti.

*P. Stephonius proſa 26.*

## *Roſa.*

ROſa naſcitur ſpina verius, quam frutice, in rubo quoque proueniens, illic etiam iucundi odoris, quamuis anguſti. Germinat omnis primò incluſa granoſo cortice. Quo mox intumeſcente, & in virides alabaſtros faſtigato, paulatim rubeſcens dehiſcit, ac ſe ſe pandit, in calycis medio ſui ſtantis complexa luteos apices. *Plinius hiſt. nat. l. 21. c. 4.*

Roſæ videlicet, vt imitabatur nomen, ſic admonebatur exemplo. Quoties humanis obtutibus ad ſpectaculum ſuaue plaudentibus contemplandam in viridi theatro ſe dedit Roſa matutinæ lucis ad radios primitiuos velut ad faces ante mundi proſcenia de more ſuccenſas. E fœcundis parentis terræ viſceribus, quibus adhuc iactis altè radicibus, & ſparſis vndique fibris adhæreſcit; in ſalutarem aeris vſuram prodit Roſarum genitrix planta; generoſæ ſobolis, & floruleatæ familiæ ſeriem expoſitura copioſam. Multiplices ex vno caudice rami diffunduntur in virgulta, ſcabro cortice tecta, patuliſque ſentibus obarmata. Tenuiores inde, virideſque ſurculi ſparguntur, quorum internodia frequentes, ac teretes ſæpiunt ſpinæ. Folia quoque geniculatim indidem proferuntur in oblongum rotunda, tactu aſpora, diſtinguente medium neruo, ac venulis ab eo fluentibus interſecta; in ſummo verò margine crenis inciſa, & quaſi ſerrata per ambitum. Surculorum faſtigio petiolus imminet ſuſtinens florem, eique ſubiectum globulum, ſeu capitulum mordaci lanugine refertũ. Calyx inde protuberat, ſiuè folliculus Roſæ, qui primò concluſus, & vndique concolor, virentibus, ac laciniofis faſtigiatur alabaſtris, & cortice granoſo nondum luci maturum cohibet fœtum. Mox inuolucro tumeſcente & parturiente quodammodo pa-

pillato

pillato in nympham. Ad extremum pompa colorum penitus patefacta, partuque Roſæ pulcherrimo natiuum in calathum liberè ac liberaliter effuſo, tota vernantium foliorum explicatur ambitio, ardentiſſimo ſupernè colore profuſo, ſubalbidis infernè vnguibus ad calycis vmbilicũ coactis. Hinc verò, ad coronamentũ operis, in orbem crebra ſtaminũ capillamẽta conſurgunt, luteis, vel potius aureis apicibus terminata. Sic auro coronatur, quæ ſpinarum conſortiũ amat Roſa: illuſtri documento; vel ſpinoſũ eſſe aurum; vel aureas demum euadere ſpinas, quæ virtutem exacuunt, dum exercent. Hæc igitur Solis ac Terræ nobilis filia, quæ multum inſtar habet Genitoris in crinibus, Genitricis in brachijs: quæque tamquam progenies ab vtroque parente Regia (Sol enim cæleſtium orbium, Terra frequentium Vrbium obtinet Regnum; & ille radijs redimitur, hæc montibus) vbi primum oritur, natiuo excipitur in oſtro: medijs habet in haſtis incunabula: & quod prodigium eſt minus admirabile quia magis conſuetum, naſcitur coronata: hæc, inquam rubore notabilis Virguncula, quæ virentibus inuoluta faſciolis, matutino rore, quaſi nutricis Auroræ lacte ſuccreſcit; vbi ad floridam adoleuerit iuuentutem, & ſuæ prænuncios miſerit maturitatis odores; ſi nimis diù publicæ Mundi luci ſe vulget, atque è viridi ſcena rubentium foliorum efferens pompam, ſpectatoribus oculis placere ſtudeat, & plauſus captet adulatricis auræ: nimirum veram dixeris eſſe, quam dat Roſa Tragædiam; cum & vnius diei, aut potius breuiore ſpacio, Actio vniuerſa, hoc eſt vita pulchritudinis eximiæ definiatur; & ſubita rerum cataſtrophe tanta contingat in formoſiſſimo flore mutatio, vt priſtinæ formæ vix vlla reliqua ſit agnitio: quique paulò ante Reginam ſuſtineat pro dignitate perſonam, mox acciſis folijs, quaſi membris, ad terram conſternatus, miſerè deuoluatur, floris cadauer, ventorum ludibrium, calcantium pedum opprobrium: Sic hortorum voluptas tragico claudit exitu veris fugitiui fabulam breuem. *Ex Orat. de S. Roſalia.*

## *Lilium.*

Lilium roſæ nobilitate proximum eſt, & quadam cognatione vnguenti oleique; quod lirinon appellatur. Et impoſitum etiam maximè roſas decet; medio prouentu earum incipiens. Nec vlli florum excelſitas maior, interdum cubitorum trium langui-do ſemper collo, & non ſuffic ente capitis oneri. Candor eius eximius, folijs foris ſtriatis, & ab anguſtijs in latitudinem paulatim ſeſe laxantibus; effigie calathi reſupinis per ambitum labris, tenuique filo, & ſemine, ſtantibus in medio crocis; Ita odor colorque duplex, & alius calicis, alius ſtaminis, differentia anguſta. In vnguenti verò oleique vſu, & folia non ſpernuntur. Eſt flos non diſſimilis illi in herba quam conuoluulum vocant, naſcens per frutecta, nullo odore, nec crocis intus, candorem tantum referens, ac veluti naturæ rudimentum lilia facere condiſcentis. Alba lilia ijſdem omnibus modis ſeruntur quibus roſa: & hoc amplius lacryma ſua, vt hipposelinum: nihilque eſt fœcundius, vna radice quinquagenos ſepè emmittente bulbos.
*Plinius nat. hiſt. l. 21. c. 5.*

## *Roſa Sinenſis.*

Vna tamen Roſarum regina Sinenſis Roſa verſicolore prodigio anteuertit hortorum laudibus cæterorum. Videas primum tereti crebriſque oculis diſtincto ac ſubalbido caudice, nullis armatam ſpinis innocenter, clementerque arboreſcere, vt quam nuſquam hactenus inueneris inermem, nudamque ab omni doloris aculeo floridam voluptatem, ipſa promittat. Videas deinde frondibus, forma pampineas, ſcabritie ficulneas, magnitudine vtraſque imitantibus conueſtitam è ſmaragdino dehiſcentis calycis conclaui, multiplici foliorum ſyrmate regaliter explicato, in publicam lucem prodire, lucis ipſius formoſa diſcrimina ſic æmulantem: vt primò quidem candidam, deindè ex candida rubentem, poſtremò

ſtremò ſaturo colore purpuream, hoc eſt ſimul aliā, ſimul eandem admireris: & quotidiani miraculi nouitate fateri cogaris, ad florum reginam, quæ tanquam ſol alter variæ fuco lucis coloret dies colorum principes viciſſim accedere tributarios.

*P. Ferrarius or. 31.*

## *Anemone*.

FLoriſetis oculis abundat exigua radix anemones, vt omnium voluptati oculorum quàm maximè proſpiciat. Sunt, qui anemonem Phenion vocent: alij Adonidis ab apro interempti florem appellant: alij Veneris Adonidem lugentis lacrimas in eum florem concreuiſſe deblaterant, innocentiſſimi riſum floris impuræ fabulæ tragico luctu funeſtantes: alij denique vim Græci nominis interpretari Florem venti nominant, quia non ſine vento aperitur, & (quas etiam aula vices alternat) eadem, qua fouebatur aſpirante aura, reflante difflatur. Duo autem ſunt huius herbę faſtigia: alterum enim tenuibus coriandri folijs altè multifidis, minutim laciniosis, atque tergeminis; alterum apij modo diuiſis, tripartitò diſſectis, rotundum per ambitum modicè ſerratis, & leniter criſpis viret. Eius, quæ folio tenui eſt, anemones cauliculus nudus, exilis, leuiter lanuginoſus, palmaris, aut etiam pedalis circa dimidium aut ſub ipſum cacumen tribus foliaceis lacinijs ſine pediculo preſſius cohærentibus, & aliquantulùm ſurrectis intercinctus, in cacumine florem explicat latioribus folijs non minus ſenis, ferè in roſæ amplitudinem circinatum, medio interdum globulo ſtaminibus obſito, exalbido, atque villoſo capitulatum, qui tomentoſam in lanuginem ſemine ſubruſo, longiuſculo, planoque plenam aura leuiſſima ſoluitur ac diſſipatur; interdum etiam ſine ſeminali capitulo coma denſiſſima capillatum. At verò latifoliæ flos ſimili caule ſuffultus anguſtiorum foliorum modò ſimplici, modò multiplici ſerie contexitur. Excuſſo flore caput in vmbilico eminulum naſcentis aſparagi cacumine intumeſcit, exili flocco incanum, & lanugino ſo ſemine denſatum; Quo tandem

 fatiſcen-

fatiſcente, leuiter volitantes ſeminales villos incautis cultoribus auræ præripiunt. Vtraque anemone multùm. ſed latifolia è ſemine variè degenerante progenita licentiùs verſicolore varietate laſciuit. Quæ folio tenuiore pubeſcunt floris huius radices, intus candidæ, pullo foris caſtaneæ colore non ſine multiplici diſcrimine nigricant; pleræque etiam in graciles, preſſas, longas, & inæqualiter articulatas appendiculas, quas ab imitamento linguas vocitant effunduntur: non nullas tamen animaduertimus nodoſis oculis, quàm porrectis linguis, frequentiores; eæ præſertim ſunt, quæ florem ferunt arboris perſicæ flori concolorem, minutulas lacinias conglomerantem, quæ viuido cinnabaris rubore ſplendeſcentem, quæquè planè viridi facie ancipitem an inter flores herba ſit, an inter herbas Flos.

*P. Ferrarius in flora l.2.c.6.*

## *Anemones diſcrimina.*

FLorum preterea, quos tenui folio anemone parit, genera varia praſagimus è prægerminantium varietate foliorum. Candore tum emaculato ſuauiter lactea, tum obſoleto nitidè ſordida folium præmittit frequentibus inciſuris leniter laciniofum, interque inciſuras laxius anemones folio, quæ mali Perſici florem diluta purpura æmulatur, comamque colligit, lactea tamen & magis explicat, & in viridi dealbat; albicans & anguſtat, & fuſcat. Rubra albo, rubroque maculoſa, & oris puniceis candida effundunt prope conſimile, longulo videlicet ab radice pediculo porrectum, mediocriter inciſum, ſparſum. herbeo colore viride, ac ſubrubens: alba languido rubore vmbilicata, & coma duplici bicolor viridiſſimum, peramplum, craſſum, erectum, rariùs interciſum, criſpum: hilari cinnabaris fulgore ardentiſſima, & lacteis guttis irroratis minùs ardens, magiſq; viſenda benè vireſcens, leui per horas rubore conſperſum, raros in ramuſculos diſcretum, & ferè iacens: quæ profundi coloris triſtem ruborem interfuſo candore diluit, & hilarat, minutatim laciniofum, ſatis viride, non admodùm aſſurgens: quæ con-

tract.

tractis vtrinque folijs coccoſaturatiore nitet medio-criter ſeſſile, temperatè virens, & modicis diuiſuris inciſum: diluto mimo fucata ſpiſſum, laxum, rarius crenatum, praſinum, nonnihil aſſurgens: quinque colorum ornatu multiplici ſingularis; rarum, breue, retuſum, minutè conciſum, humi ſtratum, & planè ſupinum, fuſca viriditate inamænum: trium colorum felici numero gaudens, & mali Perſici flore languidè punicea, quæ mediam glomerat cæſariem, puſillum, denſum, multifidum; ſed illa herbidum, & reptabundum, hæc luridum, & minus pronum: eiuſdem mali Perſici rubello concolor flori, quæ prolixam depexamque comam ſtaminibus ianthinis coronat, raris diuiſuris crenatum, latis particulis diſtinctum, & pleno virore ſplendidum: violacea medijs inter extremas inciſuras interuallis ſuperiori ſubſimile, ſurrectum, & vegeto colore iucundum: circa vmbilicũ viridi ambitu oculata oris rubentibus breue, minutum, faſtigiatum, modicè inciſum, blandidè virens humili ſilula procumbens: at verò toto interdum ſubrubente flore, ac virente coma bicolor grandiuſculum, parciùs fimbriatum, paulò erectius, minus ſiluoſum, in viridi pallidum: circumfuſis folijs obſoletius purpurea, medijſque conglomeratis foliolis vireſcens altè inſectum, longis & ramuloſis pediculis diſſipatum, raris ramulis brachiatum, incuruum, ac decolori facie inamabile: iſti cætera conſimile, at viridius, laxius, denſius, atq; inexcelſum emicans, quæ villoſo florentem holoſerico fuſcam purpuram induta regale cum habitu nomen vſurpat, quæ denique floreas foliorum niues purpureis radijs innocenter flammea peruadit minutulas in lacinias diſſectum, contractum, vegetiſſima viriditate coloratum. *F. Ferrarius ibidem.*

## *Ranunculus.*

INter hortenſes ranunculos lectiſſimi habentur, quorum exigua radix, pluribus ab vno capite demiſſis prope rotundis, aut longiuſculis pallidis radiculis in tenues fibras deſinentibus, grumuli effigie coaleſcit. Oblongis, & craſſioribus coagmentata, ſimplici

caulis

plici flore ranunculum feret. Inter ſimplices in primis aureus pretioſus eſt. Breui prætenuique pediculo nixus quaternis, quinis, ſeniſue latis folijs nigrum capitis rudimentum coronat, in longuli, plani, minutuli, & ſubrubentis ſeminis teretem thecam tranſiturum. Ima folia modicè lata, pinguia, laciniatim diuiſa, & leuiter ſerrata ex viridi flaueſcunt. Cohærentes in grumum radiculæ gracili longitudine porriguntur. Sed radices illæ, quarum flores denſa ſtructilique foliorum copia compacti ardentiſſimè rubent minuſculis quà fermè rotundis, quà oblongis, glandulis coagmentantur. Folia pallida, itidem crenata, ſed minora, & ſæpè tripartita proſiliunt. Cauliculus craſſior & procerior, leuiter lanuginoſus, adnatiſque minutim inciſis folijs pinnatus, aut rectus in vnicum, aut obliquè ramuloſus in plures definit flores; qui læta quandoque pabuli luxuria, radiciſque robuſta iuuenta è ſinu medio altiùs impulſum, breuique pediculo nitentem vnum alterumue pariter foliosum ſe ſe euiſcerant in floſculum. Eum præterea ranunculum noſtrates educant horti, cuius granoſa radix granis paucioribus, quàm ſuperior, albidis, rotundis, duplo, quàm triticea ſunt, maioribus, in grumulum coaleſcit. Folia humi repunt rutæ ſimillima, ſed herbaceo colore lætiora: caulis gracilis, imbellis, atque ſtriatus in palmum adoleſcit: Eius faſtigium flore inſtar candidi multiplicis ranunculi folioſo, grandiore tamen ſplendidoque à Martio menſe in Aprilem vſque flaueſcit. Flos autem duplex; alter laxiorum foliorum imo ambitu media foliola ſpiſſiſſima coronat, alter paulo ampliora proximè ſuperioris medijs foliolis folia, ſerie pariter denſiſſima, in rotunditatem conglobat. Alium prælongis, tenuibus, diffuſiſque radicibus inhærentem ſolo ranunculum, noſtri cultores in pretio habent; cuius folia oblonga, ſerrata, dura, neruoſa, aut in ſummis pediculis, aut circum ramuloſi caulis alas in ſtellas collata ſupernè fuſca, ſubter diluta, gemino virore pinguntur.

*P. Ferrarius in flora l. 2. c. 7.*

Lilium

## *Lilium conuallium.*

Lilium conuallium puſilla rotunditate plus odoris, quam floris includens, per oras denticulatum & reflexum, toto etiam oſculo ſuauem in halitum oſcitans, aut ſummè albet, aut modicè rubet: palmaris & rigidus cauliculus à medio ſurſum verſus pronis floſculis oneratur: duplex aut etiam triplex folium liliaceis non abſimile, breuius tamen ſplendidè viret: graminea radix geniculatis latiſſimè proſerpit internodijs: ab ijſdem & radicis cacuminibus nouas radiculas diſpergit.

*P. Ferrarius in flora l. 2. c. 8.*

## *Caryophyllus.*

Vt coronariæ vettonicæ, ſiuè vulgatiorè nomine caryophylli diſcrimina internoſcantur; ambiguæ fidei ſemina, radices, & folia inconſultè conſuluntur. Floreus enimiſte in omnem varietatem Proteus nullius haſtenus Ariſtęi calliditate, vt vera præmonſtraret, deprehendi potuit. Sæpè fit, vt pulcherrima indicia florem ſpondeant pulchriorem; flos deindè promiſſus turpiter degeneret. Quare, dum florent, plantæ præſignandæ, & probabiles ab abortiuis ſegregandæ ſunt: eadem enim facies bonis, maliſque promiſcua ex facili fallit. Publicum eſt omnium niti radicibus lignoſis, ſubrufis, aut albidis multiplici fibra crinitis, in foliaceos ſæpè ſurculos abeuntibus: inde cauliculos exiſtere teretes, graciles, in ipſa gracilitate ligneam duritiem affectantes, pyxidatis geniculis articulatos, folijs obſeptos geniculatim inter ſe aduerſis, breuibus, carinatis, in viridi colore plerumque glaucis: ſummos calyces multifidis calyculis ſuffultos, oblongos, glabros, extremas per oras orbiculatim denticulatos in flores hiaſcere modò ſimplices modò folioſos, ſuppari amplitudine roſis proximos, breuibus frequentiùs, interdum etiã profundis lacinijs inciſos, mira varietate coloratos inter aromata nobilis caryophylli tum odore, tum

nomine

nomine inſignitos: areſactis demum floribus, longos, ac duriuſculos calycibus incluſos folliculos plano, & nigello ſemine turgeſcere. At verò caryophillus pleno flore minutè, altèque inſecto pinnatus, ſeu fimbriatus, & minor, & maior apertè proditur ſaturatæ, fuſcæque viriditatis folio: ille præterea minutulo ſe cernitur à cæteris.

*P. Ferrarius ibidem c.* 10.

## *Pæonia.*

VEtuſtiſſimum & ſaluberrimum inuentum, montanæ opacitatis filia, hortorum vrbano ſplendore donata, atque Hiſpano præconio montium roſa, Pæonia, minore florum in populo ſpecioſiſſima ſuperbit: quæ conſertiſſima foliorum congerie peramplum explet, ac perficit orbem abſolutiſſimæ formoſitatis: vtque iudicibus oculis triumphet, triumphali tum ſaturatæ, tum dilutæ purpuræ ſplendeſcit ornatu. Si ardentius purpuret, flore ſenſim exalbeſcente, & caduco fere intra dies octo defloreſcit: bipalmi nititur caule carnoſo, & brachiato in folia ramoſa, rarius fimbriata, vegeto colore ſplendida, inferius cæſia & lanuginoſa. Radice gignitur præcraſſa, toroſa, foris ſubrufa, intus candida, oblongos & carnoſos in balanos diuiſa. Sin leuius & ſuauius rubeat flos: paulatim è roſeo pudore niueum in pallorem elangueſcit, natiuoque ſcapo pertinaciter adhæreſcens immoritur, folioſo cadauere primum nigreſcente, tum emarcido, ſiccitate denique notabilem in modum contracto: folia illi dilutiora, & anguſtioribus lacinijs conciſa: radix præterea contorta, craſſa, dilutior, longioribus & gracilioribus nodis glanduloſa. *P. Ferrarius ibid c.* 8.

## *Lychnis Byzantina.*

LYchnis Byzantina miniato, ſiue coccineo flore multiplici in oblongam, luteo colore nonnihil aſperſam, denſis, promiſſis, & capillaceis fibris comatam radicem gracileſcit: in trium quatorue pal-

morum

morum eaudem extollitur recto ſtatu aitentem, ſtriatum,geniculatum, bina ab nodulorum toris folia longula, è latiore baſi in mucronem faſtigiata, ſupernè læuia, ſubter hirſuta pandentem, geniculatim in ramulos fruticantem. In flores ita lepidè luxuriat: ex oblongis confertim in orbem circumactis, atque ſtriatis calyculis caulis vertici vmbellam primum obtendit: ex illis deinde prægnantibus inuolucris floream pilam denſiſſima ſerie circinatam parit: florem bellio breuiorem non admodum diuerſis, per ambitum bifidis, confertiſque barbulis contexit. *P. Ferrarius ibidem c. 9.*

## *Gelſiminum Hiſpanum, & Alexandrinum.*

Citerioris eius Hiſpaniæ, quam veteri nomine Laletaniam, recenti Cataloniam vocant, flos fortaſſe ab animæ ſuauiſſimæ prodiga expiratione exanimato ſimilis,& exangui colore candidus, æſtate autumnoque tempeſtiuus, blando vocabulo ab italis deducto Gelſiminum, tum ampliore mole, tum acutiore odore à ſilueſtri noſtrate ſeiungitur. Virgæ præterea è pallido, ſcabro, duro, lignoſa, fibrataque radice ſtabilito caudice ſimiliter fruticantes, proceræ,lentæ, & quo libeat flecti obſequentes, geniculatæ binis ad ſingula genicula folijs alatę, ramuloſæ, medullitus candidæ, fungoſæque foris tamen dilutа viriditate lætiores, modo arundineos cancellos topiario textu conueſtiunt, atque ſcenas hortenſes textili vmbraculo prætendunt; modo circumfuſo, conuexoque; in fictilibus nemore viride cœlum cœruleo ſubtexunt: folia quoque Hiſpano, quam Siluatico noſtrati, ſimillimis in diuiſuris latiora, obtuſiora,craſſiora,nigriora. Quod autem in ſuis Romanę amœnitatis hortis Tranquillus Romaulus conferta foliorum ſerie omninò ſingulare prior aluit gelſiminum, dimidio, quàm proximè ſuperius, breuiorem tubulum protendit: quina vel ſena folia in ſtellam diuidit: terna ſiue etiam quaterna ex vmbilico ſurrigit, quæ nonnunquam in globulum colliguntur:

guntur:

guntur: quinto ferè die ſeneſcens non dilabitur, ſed in natali ramulo inareſcit: poſt multos dies dehiſcens tubulus florem alterum plerunque parit: acrius olet: more ſuperioris ab æſtate in hiemem vſque vernat, & gemella viriditate frondeſcit. Gelſiminum Arabicum, ſiue Alexandrinum, ſiue etiam Arabica nouo nomine Syringa (Sambacum Arabes vocant) frutex eſt Aegyptius in vnum, alterumue cubitum arboreſcens. Quamuis pollicari craſſamento, breuiq; longitudine nanus, arborea tamen duritie ſcindi contumax, ſquaroſus, pallidusque ſtipes in tenuia & longula ramorum brachiola ſpargitur: folia inter ſe aduerſa mali aurei, quod aurantium dicunt, ſeu potius coronarij fruticis, quem albo flore Syringam vulgò appellant, folijs conſimilia, tenuiora tamen, ac pallidiora, nulliſque crenata inciſuris ramulos inueſtiunt: è ſummis ramulis flores breuibus innixi petiolis ab Aprili menſe ad extremum vſque Octobrem erumpunt, modò duodenis, modò denis, nouenis minimum folijs duplicem in ſeriem digeſtis inſtructi, proximè deſcriptis anguſtiores, albitudine obſoleta palliduli, parum tubulati, vmbilico circa tubum flauente diſcolores, Hiſpani gelſimini atque aurei mali floream ſuauitatem odoratiſſimo coniunctim halitu inhalantes, more cæterorum caduci. *P. Ferrarius ibid. c. 12.*

## *Granadilla.*

ILle diu à noſtratis mundi hortis omnibus hiulco florum ore ſuſpiratus, ille è Peruanis, ac Mexicanis longè diſterminatis finibus accerſitus, poetarum ille canoro, atque oratorum facundo plauſu tandem exceptus, diuini Amoris manu vitalibus inſcriptus doloribus, Granadillæ flos, quem Indi Maracotum vocant; vt à mortalibus obitos pro Deo cruciatus in coronam tranſituros intelligamus; illud inquam, floreum, ac ſuaue miraculum quotidiano ſpectaculo prope iam viluit vniuerſis. Vix eſt, qui præterea miretur, pœnas degeneraſſe in florem, fortiter tolerantibus adulantem; extima per ambitum folia in aculeos extenuati, ſpineę coronę memoriam molliter compungen-

pungentes; ream pro nobis innocentiam in folijs albeſcere; pertæſa ſæui laniatus cruenta flagra in floridæ voluptatis purpuream telam redo diendam filatim retexi, ac ſuperinduci; Saxo in germen emollito, columnam ex atrio crudelitatis ad piam in flore medio ſtructuram excitandam tranſmigrare; columnæ imminere globoſum rudimentum ſpongiæ quondam felle imbutæ, deliciarum auiditatem detergentis; modò ternos, modò quaternos extare conformatos capitatis è ſtaminibus clauos, animis amabiliter configendis aptiſſimos; vnam crucis effigiem deſiderari, quod extremam ſæuitiam floris indoles mitiſſima repræſentare non audet; folium in lanceam exacui, ſed innocentem, quippe retuſam in ipſius vulnerato pectore charitatis; ſuauem denique ac medicatum fructum ad cordis imaginem rotundari, cum è diuini vulneris flore vitalis fructus extiterit, amantis Dei cor. Vix inquam, eſt, quem cura, & cultura tangat floris planè admirabilis, in quo ipſi vernant, ac rident acerbiſſimi dolores. Si quem tamen non piget, imò delectat, ſalutis à Deo acceptæ infinitum beneficium in floreas notas ſuauiter contractum grata recordatione relegère, eodemque mortalium animos immortaliter eſſe inſcribendos vel à floribus placet admoneri: ſi iuuat è funebri Amoris flore ſalubrem ſæpe fructum colligere in cordis amabilem figuram, vt cordatiſſimos amantes faciat, conformatum, radicem, & folia, ne fallant indicia, prænoſcito. Radix in luteum pallorem languida, & geniculata inextirpabili fæcunditate proſerpit, ſoboleſcit, & fruticat: fictilibus verò clauſtris contineri neſcia per imum foramen in ſubiecti ſoli amplitudinem clandeſtino reptatu ſe penetrat; multiplici atque erratico gramineo lapſu latiſſimè ſpatiatur. Folia quaſi trigona Sambuci roſeæ, ſeu potius lupi ſalictarij profundo inciſu tripartita, maiorem mediam laciniam porrigentia quaternas aut ſenas vncias longa: minutim ſerrata, læuia, tenuia, imbecilla, aliquantulum venoſa; diluto colore virentia, inferiùs etiam dilutiora, grauiter olentia, alternis diſpoſita, ternos inter ſe digitos diſſita lentum, vilemque caulem præuelant; qui cum vires ſine adminiculo ſtandi non habeat, quicquid clauiculis, veluti, manibus nanciſcitur, auidè

compre-

comprehendit, arduoque aſcenſu reptabundus, & cameras, ac pergulas operiens æſtuantium Indorum hortenſes cænas, iucundiſſimè inopacat. Nobis etiam cancellatim ſcanſilem arundinem, ſiue virgeam ſtructuram ſequaci viriditate prætexens Indicæ regionis remotiſſimam vmbram commodat. Atque hoc ſanè ſapienter de more, congruenterque artifex natura caduco in flore luſit; vt qui diuini Liberatoris ſeruile ſuſpendium eligentis acerbiſſimos cruciatus operæ ſingulari velut miſeratus exprimeret, in crucis formam decuſſata ſtatumina penſilis adamaret.
*P. Ferrarius in flora lib. 2. c. 12.*

## *Corona imperialis.*

FLos eſt ab oriente oriundus, quem vernacula, quàm latina vox anguſtius nominat: is enim latinè lilium regium, vulgo autem corona imperialis appellatur. Cæparum inſtar regrandis eius bulbus, binas, & amplius libras interdum pendens rudi, & inæquali rotunditate conglobatur: candidas, promiſſas, molles, & parua offenſione fragiles fibras non ab ima tantum, ſed varia etiam ex parte diſpergit: medio patuloque, qua ſcapus exit, foramine hiat: ſine tunicis inueſtis, ſuccoſa, denſaque carne modò candicat, modò purpurat, plerunque pallet: allium, aut hircum, aut quid inſuauius olet. Atque hoc maximè di ſtat à ſimillima Suſiani, ſiue Perſici lilij bulboſa radice, quæ graueolentia nulla nares ferit, quæque forma eſt præterea longiore. Thyrſus robuſtus, craſſus, intus fungoſus, viridis, rotundus, procerus ad mediam ſeſè altitudinem modò confuſis, modò ordinatis liliaceis folijs conueſtitur: inde teres, nudus, & purpuraſcens folioſam ſummam partem ſilueſcit in criſtam. Inter criſtati capitis folia plerunque bina tenuibus è pediculis vario numero, multiplicique interdum ſerie, raro ſcilicet naturæ luxuriantis luſu, lutei aut ex croceo rubentes liliorum ſimiles flores, aut minores in calathos ab imis anguſtijs diducti, nec labella reſupinantes, minuſq; dehiſcentes: quàm decori, tam fætidi, penſili coronamento nutant. Eſt etiam cum voluptate cernere in intimis foliorum ſingu-

ſingulorum floreis vnguibus margaritarum gemella candida tubercula, quæ cum ſereno, tum maximè pluuio Cœlo liquidam, & prædulcem aquam guttatim delachrymant ſalubri documento, ſcatere lacrymis etiam coronas. Ea poſtmodum eminulæ vnionum rudimenta, marcentibus floribus introrſum abeunt in æquè cãdidas lacunas. Ad hæc ſexalbida ſtamina luteis crocis capitulata cum trifido medij ſtyli piſtillo prominent. Excuſſo flore grauidia capita ſuſtollunt anguloſi folliculi, ſeminibus graues ſubrufis, planis, cartilagineis, duplici ſerie in vno quoque angulo digeſtis. *P. Ferrarius in flora lib. 2. c. 8.*

## *Tulipa.*

LEpidiſſimum florem, Turcico vocabulo Dalmaticis pileis ob ſimilitudinem communi Tulipam, recentiorum verò biformi nomine Lilionarciſſum, quod liliacea in primis, & narciſſina vnus decora complectatur, appellamus. Sunt, qui velint coronarium eſſe veterum Coſmoſandalon, aut certè Satyrion. Nulla æquè in planta verſicolor naturæ licentia laſciuit, vt ſuperioribus annis fuerit, qui ſupra ducenta coloribus diſcreta genera numerarit. Iam verò cum ſemper aliquid noui affectat fœcundior Flora, quam Africa; multo licebit plura percenſere. Ne tamen quis iſtorum coloribus florum nimium credat; præmonente Cluſio, alternis annis verſicolor inconſtantia liberaliter credulos eludit. Princeps, & publica ea generum partitio eſt, quæ de triplici tempeſtiuitate ducitur, vt aliæ præcoces, mediæ aliæ, aliæ ſerotinæ tulipæ dicantur. Habent autem ferè vniuerſæ hunc exortum, hoc incrementum, hunc exitum. Inter bina diluto virore pallida folia flos, infantium primæ conſpectum lucis non ſuſtinentium more conniuens, nec dum colorata formoſitate viridis, & prorſus herbeus incipit exiſtere. Tum paulatim impellitur ſuccreſcente ſcapo, qui medulla duriore robuſtus, rotundus, & virens ad pedalem, atque etiã cubitalem altitudinem modò arduo ſtatu rectus, modò in anguineam ſpiram tortilis exurgit. Quan-

quam

quam præcox tulipa breuiſſimo caule è terra viſ eminet. Hunc ſparſim amplectuntur folia plerunque terna, nonnunquam etiam quaterna, & quina, craſſa, oblonga, carinata, interdum per oras modicè reflexa, & criſpula, modò pendula, modò ſurrecta. Summus interim flos colorem mutat ſeſeque in ſena, aliquãdo etiam in ſeptena, & octona folia, rarò foliosiorem in congeriem explicat, ſiue calathi, ſiue cyathi, ſiue reſupini pilei effigie. Ex meditullio ſex, vel etiam totidem quot ipſe folijs conſtat, mirum in modum coloribus in varia ſtamina profert, apicibus, aut luteis, aut pallidis, aut nigricantibus inſignita.
*P. Ferrarius in flora l. 2. c. 2.*

## *Hyacinthus.*

Hyacinthus in omnes propè colores tùm naturæ, tùm artis fœlici conſpiratione facilis Vertumnus, modò candidus, monſtrat nigra vaccinia eximiè poſſe exalbeſcere, vt alba liguſtra alieno candore victa penitus cadant: modò cinereus floreum Phœnicem ſe probat, qui cineres animat modò ex albo rubens, humani vultus formoſam temperiem pulchrè transformat in florem: modò cœlo concolor Archimedem ludit, dum Cœlum anguſtiùs contrahit: modò colores alios mille non fictos, & breues, ſed veros, & conſtantes vario è ſtatu trahit; vt admirationis filiam, fugitiuam Iridem prouocet, & ſuperet: modò polyanthes numeroſo ſe floſculo conueſtit, vt vnus flos hortus fit. Folia illi oblonga, porri folijs plerunque anguſtiora, & breuiora, carinata, læuia, & ſplendentia: caulis, teres, enodis, glaber, fungoſus, digito ſepè minimo gracilior, interdum quoque digitalem ad craſſitudinem proficiens, alias florea turri ſuperbus, alias opere felici languidus: flores à tubulatis anguſtijs in calathi formam repandi, lilij diuiſura per oras reflexi, à medio plerunque nonnunquam etiam ab imo caule ad ſummum, nùnc in latus, nùnc per ambitum, modò denſata, modò rara ſerie digeſti: ſemen in triangularibus valuulis exiguum, rotundum, nigrum; bulboſa radix intus candida, & quemadmodum etiam tota herba, lento ſucco glutinoſa. *Idem ibid. c. 4.* Hya-

## *Hyacinthus Indicus tuberoſus.*

INdici Hyacinthi, ſiue Aſphodeli nuper ad nos translata tuberoſa radix, ex qua ille cum vita nomen accipit; oblongum botryodis odorati hyacinthi bulbum imitatur: carnis, & ſubnaſcentis calli duritiem ſuperat: nimium ſui prodiga, & raritatis gloriæ officiens innumeros toto corpore parit hæredes: ineunte vere folia emittit in terram conuexa, prolixa, digitum lata, in cacumen deficientia, viridi læuore nitida: caulem impellit fere bicubitalem, duriuſculum, læuem, geniculatum, breuia è geniculis folia fundentem, minimo nunquam digito craſſiorem, numeroſis floribus cacumen onerantibus vberrimè ſpicatum. Hi ſucco pleni, degenere à patrijs Indis lacteo vultu oculis, odoratiſſimo ſpiritu naribus ſuauiſſimi, aurei mali floribus æquales, ab ima parte particulatim ſe ſe explicantes æſtiuis menſibus ad hiemem vſque vernant. *Idem ibidem.*

## *Narciſſus.*

NArciſſus etiam nunc mutatæ formæ ſtudioſus orè vernat multiformi, aut enim ſimplici foliorum textura tenuior, aut multiplici habitior eſt. Nunc argenteo, nunc aureo pallore veteres curas præfert. Medius flos, quem ab imitamento calicem cum recentioribus in poſterùm appellabo, inter lactea folia, aut ſuauiter concolor lacteſcit, aut ſplendidè decolor aureſcit, aut circa ſummam oram croco illitam lepidè rubeſcit. Sed quis coloris, magnitudinis, formæque inexputabiles varietates enumeret natura, cultuque ad aſſiduam nouitatem conſpirante? Noſtris autem hortis familiaris potiſſimùm eſt, qui colore totus argenteo ſuffunditur; et à medio candido calice in pateræ formam depreſſo argẽti patera Italico vocabulo nominetur. Neque tamen huiuſcemodi narciſſus vno argenti candore, ſed ſulphuris quoque pallore pingitur. Idem præterea in plura genera diſcriminatur. Alius enim præmatu-

rè, ſerò alius vernat: alius minutos, modicos alius, alius peramplos in flores è caule ſummo ſe diffundit: alius denique foliorum ſimplici ſerie, alius multiplici componitur. Hic ergo tùm candido, tùm pallido colore narciſſus à cæteris narciſſis diſcrepat floreis folijs anguſtioribus, & calice breuiore. Virentia quoque folia ſæpè anguſtiùs porriguntur, læuiora, & rigidiora ſunt. Nec eadem omnibus tinctura. Candidum, allij virore albida, & veluti rorulenta; pallidum myrti exemplo viridiſſima conueſtiunt. Bulbi membranas extimas color auſterus infuſcat; intimas tunicas dilutius dealbat: magis compacta forma ventrem deprimit, ceruice modicè producta. Quin etiam iſto eius, qui folioſo floret argento, bulbus depreſſior eſt. At vero maioris floris bulboſa parens vaſtiore corpore, ventre oblongo, procero collo, ſpadicis coloris dilutioribus tunicis notabilem in modum inſignitur. Narciſſus Byzantius, ſiue Chalcedonius tùm præcox, tùm ſerotinus membranacea primùm vagina includitur, quæ longum in alabaſtrum, vt ſimplicis floris folliculus, non faſtigiatur, ſed rotundiore gremio latiùs tumet. Ea demùm dehiſcente numeroſus, & formoſus partus excluditur. Deni aut duodeni fratres ex vno caule penduli ſæpè numerantur. Alba folia denſiſſimo congeſtu benè compactum tribuuntur in florem, media foliola vario atq; multiplici flaui calicis mæandro intercurſante vndatim, intercisè, permiſtèque implicantur.

## *Narciſſus totus flauus polyanthes.*

Iam verò ne qua Narciſſo deſit opulentia, præter argentum etiam aurum totam floris bracteam opulentat: ſi quidem inter ſimplicis compoſituræ narciſſos & folijs & calice aureus in pretio eſt. Hic diſcoloris auri variæque aut conformationis aut amplitudinis leuibus momentis pulchrè diſſidet à ſe ipſo. Superioribus albis narciſſis caule, ſlerumque penſili congerie ſimilis, folio bulboque differt: illos enim folioſior, hunc rarior plerùmq; ſilua diſtinguit: illi bulbum ipſum rotundant, hic in pyri effigiem turbi-

turbinat: circumtegentes tunicas illorum pleriquè fuſcant, hic modicè rutilat. Simplicium denique narciſſorum ritu triangularibus folliculis nigrum, & inæquale ſemen includit.
*P. Ferrarius in flora lib. 2. c. 1.*

# HERBÆ, FRVTICES.

*HErbarum & fruticum genera omnia vide apud Io: Baptiſtam Portam in villa lib. 9. & deinceps, & apud Dodoneum in hiſtoria ſtirpium. Vide etiam Plinium lib. 19. & 20. & 25.*

## *Seges.*

QVamquàm me quidem non fructus modò, ſed etiam ipſius terræ vis, ac natura delectat; quæ cum gremio mollito ac ſubacto ſparſum ſemen excepit, primum id occatum cohibet: ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata eſt; deindè tepefactum vapore & complexu ſuo diffundit, & elicit herbeſcentem ex eo viriditatem: quæ nixa ſtirpium fibris ſenſim adoleſcit, culmoque erecta geniculato, vaginis iam quaſi pubeſcens includitur: è quibus cum emerſit, fundit frugem ſpicæ ordine ſtructam, & contra auium minorum morſus munitur vallo ariſtarum.
*Cicero in lib. de ſeneſt.*

Suſcipit igitur granum tritici putris gleba, & ſparſum cohibet occatio, ac velut materno terra gremio fouet ac comprimit. Inde cum ſe granum illud reſoluerit, herbam germinat: grata ipſa iam ſpecies herbeſcentis viriditatis, quæ ſtatim genus ſatum ſimilitudine ſui prodit, vt in ipſo ſuæ ſtirpis exordio, cuius generis herba ſit cognoſcas, atque in herbis fructus appareat, paulatimque adoleſcit in fœnum, culmoque pubeſcens erigitur & aſſurgit. Aſt vbi geniculata ſe iam ſpica ſuſtulerit, vaginæ quædam futuræ frugi parantur, in quibus granum formatur interius, ne tenera eius primordia, aut fri-

gus lædat, aut ſolis æſtus exurat, aut ventorum inclementia, vel imbrium vis ſæua diſcutiat. Succedunt quidam ordines ſpicæ mirabili arte formati, vel ad ſpeciem grati, vel ad tutamen nexu quodam inter ſe naturalis colligationis adſtricti, quam prouidentia diuina formauit Et ne frugis numeroſioris pondere velut quædam cedat fultura culmorum, vaginis quibusdam ipſe culmus includitur, vt geminatis viribus frugem poſſit multiplicem ſuſtinere, ne impar arbor onere curuetur in terram. Tum ſupra ipſam ſpicam vallum ſtruitur ariſtarum, vt quaſi quadam in arce prætendat, ne auium minorum morſibus ſuis exuatur fructibus, aut veſtigijs proteratur.

*S. Ambroſius l. 3. hexam. c. 8.*

Sed ante metenda frumenta iterum vt laudemus Creatorem tantæ frugis qui ex minimo grano tantam in ariſtæ vallum granorum multitudinem incluſit & coegit, granum tepefactum in imis terræ viſceribus conſidera, inde ex illo herbeſcentem viriditatem, inde culmũ, ideſt frumenti calamum, à radice ad ſpicam vſque tendentem, ſtipulas ideſt folia ambientes culmum, quæ ſtipula ſuum capit initium à vagina, in qua deliteſcit culmus cum ariſta, priuſquã exoriatur. Indè culmus ſpicam extulit, quæ granum continet, glumam, & ariſtam. Vtruncum autem in infima ſpica, & in ſumma ſed matura iam frit, quod vtrumque minus eſt quam granum: ſtramen verò quoddam eſt ad culmi ſpeciem & conſeruationem. Ariſtis ipſis intimum & ſolidum granum continetur, ac ne illud irruant, & abſumant aues, harum vallo ariſtarum munitum conſeruatur aculeis quaſi quibuſdam, & ſcentibus ſeptum.

*P. Melch. de la Cerda in Camp. Eloq.*

## *Linum.*

SEritur ſabuloſis maximè vnoque ſulco, nec magis feſtinat aliud. Vere ſatum æſtate vellitur, & hanc quoque terræ iniuriam facit. Apud nos maturitas eius duobus argumentis intelligitur, intumeſcente ſemine, aut colore flaueſcente. Tum euulſum, & in faſciculos manuales colligatum ſiccatur in Sole

pendens

pendens conuerſis ſupernè radicibus vno die, mox quinque alijs in contrarium inter ſe verſis faſcium cacuminibus, vt ſemen in medium cadat. Deinde poſt meſſem triticeam virgæ ipſæ merguntur in aquam ſolibus tepefactam, pondere aliquo depreſſæ. Nulli enim leuitas maior. Maceratas indicio eſt mẽbrana laxatior. iterumque inuerſæ vt prius Sole ſiccãtur. Mox areſactæ in ſaxo tunduntur ſtupario malleo. quod proximum cortici fuit, ſtupa appellatur, deterioris lini, lucernarum ferè luminibus aptior. & ipſa tamen pectitur ferreis hamis, donec omnis membrana decorticetur. Medullæ numeroſior diſtinctio, candore mollitia. Ars depectendi digerendique: iuſtum è quinquagenis faſcium libris quinas denas carminari. Iterum deinde in filo politur, illiſum crebro in ſilice ex aqua: textumque rurſus tunditur clauis ſemper iniuria melius.

*Plinius hiſt. nat. l. 19. c. 1.*

# ARBORES, FRVCTVS, SILVÆ.

## *Arbor.*

ATqui non eſt quod de hoc poſſis ambigere, cum herbas atque arbores intuearis, primum ſibi conuenientibus innaſci locis, vbi quantum earum queat natura cito exareſcere, atque interire non poſſint. Nam aliæ quidem campis, aliæ montibus oriuntur, alias ferunt paludes, aliæ ſaxis hærent. aliarum fœcundæ ſunt ſteriles arenæ, quas ſi in alia quiſpiam loca transferre conetur, areſcant. Quid dicam, quod omnes veluti in terras ore demerſo trahunt alimenta radicibus, ac per medullas robur corticemque diffundunt? Quid quod molliſſimum quodq; (ſicuti medulla eſt) in interiore ſemper ſede reconditur, extra verò quadam ligni firmitate tuetur. vltimus

autem cortex aduerſum cæli intemperiem quaſi mali patiens defenſor opponitur.
*Boetius de conſ. Phil. lib. 3. pro. 11.*

Sed vide arbores proceras & breuiores, exiles & craſſas, & radicibus infra terram actis, trunco proportione arboris, libro, & cortice ſuo, quo ſint à frigoribus tutiores, obducto. Diffuſi rami in omnes partes, primum floſculis, deinde frōdibus veſtiti, poſtremo fructuum vbertate onuſti, & propterea grauitate ponderum incuruefcentes: ex vbertate ſurculi nati ſtoloneſque, quantam voluptatem afferunt, & commoditatem ad acquieſcendum, & vmbram captandam æſtus tempore flagranti?
*P. Melch. de la Cerda in Camp. Eloq.*

## *Vitis.*

Vitis quidem, quæ natura caduca eſt, niſi fulta eſt, fertur ad terram; eadem vt ſe erigat clauiculis ſuis quaſi manibus, quidquid eſt nacta, complectitur: quam ſerpentem multiplici lapſu, & erratico ferro amputans coercet ars agricolarum, ne ſilueſcat ſarmentis, & in omnes partes nimia fundatur. Itaque ineunte vere, in iis quæ relicta ſunt, exiſtit tanquam ad articulos ſarmentorum ea, quæ gemma dicitur: à qua oriens vua ſe oſtendit: quæ & ſucco terræ, & calore ſolis augeſcens, primo eſt peracerba guſtatu, deinde maturata dulceſcit, veſtitaque pampinis nec modico tepore caret, & nimios ſolis defendit ardores; qua quid poteſt eſſe cum fructu lætius, tum aſpectu pulchrius? cuius quidem non vtilitas me ſolum, ſed & cultura, & natura ipſa delectat, adminiculorum ordines, capitum iugatio, religatio, & propagatio vitium ſarmentorum ea, quam dixi aliorum amputatio, aliorum immiſſio.
*Cicero in lib. de ſenect.*

Vites iure apud priſcos magnitudine quoque inter arbores numerabantur. Iouis ſimulacrum in vrbe Populonia ex vna conſpicimus, tot æuis incorruptum: Item Maſſiliæ pateram. Metaponti templum Iunonis vitigineis columnis ſtetit. Etiam nunc ſcalis tectum Epheſiæ Dianæ ſcanditur vite vna Cypria, vt ferunt,

ferunt, quoniam ibi ad præcipuam amplitudinem exeunt. Nec eſt ligno vlli æternior natura. Verum iſta ex ſilueſtribus facta crediderim, quando hæ vites tonſura annua coercentur, & vis earum omnis euocatur in palmites, aut deprimitur in propagines, ſuccique tantum gratia ex his pluribus modis ad cæli mores ſolique ingenia. In Campano agro populis nubunt, maritaſque complexæ, atque per ramos earum procacibus brachijs geniculato curſu ſcandentes cacumina æquant, in tantum ſublimes, vt vindemiator auroratus rogum ac tumulum excipiat. Nullo fine creſcunt, diuidique aut potius auelli nequeunt. Villas & domos ambiri ſingularum palmitibus ac ſequacibus loris quoque memoria dignum inter prima Valerianus Cornelius exiſtimauit. *Vna* vitis Romæ in Liuiæ porticibus ſubdiales inambulationes vmbroſis pergulis opacat, eadem duodenis muſti amphoris fœcunda. Eædem modici hominis altitudine adminiculatæ ſudibus hærent vineamque faciunt, & aliæ improbo reptatu pampinorumque ſuperfluitate peritia domini amplo diſcurſu atria media complentes.

*Plinius hiſt. nat. lib. 14. c. 1.*

Primum omnium nihil gratius florentis odore vitis: ſi quidem de flore earum ſuccus expreſſus poculi genus conficit, quod & voluptati & ſaluti ſit. Deinde quis non miretur ex acino vinaceo vitem in arboris vſque ſummum cacumen prorumpere, quam velut quodam amplexu fouet, & quibuſdam brachijs ligat, & circumdat lacertis, pampinis veſtit, ſertis vuarum coronat? Quæ ad imitationem vitæ noſtræ primùm viuant, defigit radicem; deinde quia natura flexibilis & caduca eſt, clauiculis quaſi manibus quibusdam quicquid apprehendit, ſtringit, hisque ſe erigit & attollit.

*S. Ambroſius lib. 2. Hexam. c. 12.*

## *Palma.*

Palma gignitur leui ſabuloſaque terra, maiore in parte & nitroſa. Genera earum plura, procerioribus ſilua arbore ex ipſa, foliorum aculeo frutice inte-

circatotas pectinatim, quas ſiluestres intelligi neceſſe eſt. Reliquæ teretes atque proceræ,denſis gradatiſque corticum pollicibus, vt orbibus faciles ſe ad ſcandendũ Orientis populis præbent, vtilem ſibi arboriſque induuijs circulum mira pernicitate tùm homine ſubeunte. Coma omnis in cacumine, & pomum eſt non inter folia vt in cæteris, ſed ſuis inter ramos palmitibus racemoſum, vtraque natura vuæ atque pomi. folia cultrato mucrone, lateribus in ſe ſe bifidatis bellas primum demonſtrauere gemmas: nunc ad funes vitiliumque nexus, & capitum leuia vmbracula finduntur. Mas in palmite floret, fœmina citra florem germinat tantum ſpinæ modo. vtriſque autem prima naſcitur pomi caro, poſtea lignum intus, hoc eſt ſemen eius. eſt autem oblongum, non vt oliuis orbiculatum; præterea cæſum à dorſo puluinata fiſſura & in aluo media pleriſque vmbilicatum, vnde primum ſpargitur radix. Multis candidiſque lignum hoc à carnibus diſcernitur tunicis, alijs corpori adhærentibus:laxèque diſtans tantùm cacumini filo adhæret. Caro matureſcit anno.

*Plinius l. 13. hiſt. nat. c. 4.*

## *Palma Indica admirabilis.*

IN Maldiuis inſulis vna eſt Palma Iudaicis & Africanis careotas ferentibus longè preſtantior.quippe non proceritate ſolum & pulchritudine excellit; verum etiam tota prorſus in vſu eſt ita multiplici, vt vulgo ſi quem frugi & induſtrium laudibus efferre volunt, palma vtiliorem appellent. Prima dos in fructu ipſo: Cocum ſiue nucem Indicam luſitani dixere: humani fermè capitis magnitudine, duplici operimento; quorum exterius in ſummo leue,ſtupea intus denſitate (cairum vocant) netur ac texitur cannabis & ſparti modo, cum alios in vſus, tùm præcipuè in vitilium nexus, & anchoralia: neq; materia vlla ad nauticos funes & maris impetus obſequentior. Namque vt ſalluginem amat ea planta, cairum quoque ex ea prognatum, & marinis aquis immerſum identidem reuiueſcit, & anchoris illigatum fluitantes in ſalo naues egregiè continet, non

tàm

tàm ab innata duritie, vel operis firmitate, quàm vi-riditate ipſa, & lentitia quadam ad inſtar corij; vt ſe ie vel in altum elato nauigio, miram in tenuitatem extendat. vel reſidente ruſus in craſſitudinem contrahat. interior autem calix ruſo colore, & globoſa rotunditate prædurus, addito auro, vel argento in pocula figuratur. ipſa verò pomi caro amygdalæ in modum, pinguedine quadam & grato ſapore la-cteſcens non per ſe tantum in cibo grata eſt ac ſalubris; verùm etiam vbi viſum fuerit exhauſto lacte, paulatim in oleum eliquatur. totus autem racemus dum ex eo tener adhuc emicat fructus, nodo conſtri-ctus ac leuiter inciſus in ſubdita oris anguſti vaſcula opimum inſtillat ſuccum: ex quo varijs artibus coctionibuſque, veteri vt Strabo ipſe teſtatur inuento, mel, ſeu ſaccarum, vinum, acetumque perficitur. Iam folia cum & librarijs pro papyro ſint, & loco tegularum impoſita domibus arceant imbres; tùm etiam in veſtis formam facili ſimul ac ſpiſſo contextu nectuntur. Denique vna eademque arbor omnia prorſus ad rem nauticam inſtrumenta ac materiem præbet. quippe truncum & ramos in malum, aſſamenta, & clauos: comam in vela: cairum in funes omnium optimos, filaque ad laterum ſuturas: poſtremò cocum ipſum, quæque ex eo conficiuntur in onera. Ita non ſine miraculo quodam, omnibus planè rebus ex ſemet aptà & inſtruta nauigat palma: eademque diſciſſa per hyemem, viuaces ad prunas lenta ignium alimenta ſuppeditat. *P. Maffeius hiſt. Ind. lib. 7.*

Arbor eſt in India quæ non minus habet nouitatis ad miraculum, quàm fidei ad veritatem. hæc hominibus cibum potumque largiter fundit ad alimenta: hæc materiam texendis veſtibus è ſinu pandit & explicat; hæc in arma & tela repentè conuerſa & pugnare diſcit & vincere: hæc (mirum dictu) nauim inſtructam oneratamque parturit: ex illa enim tabulæ pix, reſina, antennæ, vela, rudentes, cæteraque omnia, quæ ad nauigia coagmentanda neceſſaria ſunt tanquam è panſpermia quadam eruuntur. Stat attonito in mari felix arbor ſuis ipſa onuſta mercibus, & ſeſe defert ac vehit. fluctuat conſtantior in vndis quàm terræ defixa: viuere diſcit, vbi naſci non potuit, terrarum oras quas negligit circumſpicit: & maris cu-

ius dominatum non quærit, prætervolat immenſitatem. *P. Remundus orat. 14.*

## *Arbor palmæ ſimilis in Iaponia.*

E Terræ viſceribus incolæ varia effodiunt metalla: & longinquas nationes ea merce pelliciunt. Arbores vel ad amœnitatem, vel ad fructum ſerunt haud abſimiles noſtris. vnius tamen, quæ palmam imitatur, ignoto nomine, admirabile prorſus ingenium. Si quidem (vti perhibent) humorem quemlibet reformidat: Si forte maduerit, contrahit illicò ſe ſe, ac veluti peſtifero contactu marceſcit. remedio eſt, auulſam radicitus, in ſole ſiccare: & in vacuum ſcrobem ſcoriam ferri contuſàm, vel ſitientem arenam infundere: ibi poſtquam aruerit, rurſus depacta, reuireſcit, ac priſtinum nitorem, decoremq; recipit, rami quoq; decidui, ſeu defracti, ſi clauo ad truncum affigantur, velut inſiti coaleſcunt.
*P. Maffeius hiſt. Ind. l. 12.*

## *Malus Medica.*

HOs terrarum ductus excipit Media, cuius arbor inclaruit etiam carminibus Mantuanis. Ingens ipſa, & cui tale fermè, quale Vnedonibus folium eſt: tantum eo differt, quod aculeatum ſpinoſis faſtigijs hiſpidatur. Geſtat malum inimicum venenis, ſapore aſpero, & amaritudinis miræ. Odoris autem fragrantia plus quàm iucundum, longèque ſenſibile. Verùm pomorum tanta illi vbertas ineſt, vt onere pro-uentus ſemper grauetur. Nam protinus atque poma eius ceciderunt maturitate, alia protuberant, eaque tantùm eſt opimitati mora, vt fœtus decidant ante nati. *Solinus cap. 39.*

## *Mala Medica, Limonia, & Citrea.*

INter peregrina poma, quæ ex alienis terris ſuperiora ſæcula in Italiam primùm, indèque in occi-
duas

duas oras aſportarunt, omnium nobiliſſima ac præſtantiſſima ſunt, quibus ab acore in Italia eſt nomen. Eorum tria genera præcipuè familiam ducunt: Mala Medica, Limonia, & Citrea. Medica quorum eſt maxima copia, & vſus frequentiſſimus, aurei coloris ſunt, magnitudine & forma malis cotoneis ſimilia: aurancia in Hetruria nominantur, & hoc nomen omnium maximè nobilitatũ: vt feſtiuo etiam colori nomen acceſſerit. Cortex ab interiore pomo facilè auellitur, qui ex melle decoctus grati admodũ ſaporis eſt, aliàs inutilis, carne admodũ tenui, & gratiſſimi ſucci aliàs acidi, aliàs dulcis: vuæ inſtar grauida. Citreis ac limonijs color idem flauus vergens ad albedinem. Sed limonia ouali forma: cortice carneque non multùm ab aurantijs diſſimilia; ſed cortex non auellitur. Longè etiam nobiliore ſapore, odoreque citrea forma multo maiore, rotundioreque: cortex extimus ijs, non vt limonijs æquus & læuis, sed aliquantò calloſior, & tuberculis quaſi verrucis nonnihil inæqualis: verùm vt limonijs corpus vnà cum cortice grato admodùm ſapore totum edule. Auranciorum limoniorumq; magna copia: citrea rariora, nec vbiq; æquè proueniunt. His odor non modo ab auranciјs & limonijs diſſimilis, ſed etiam ita gratus ac nobilis, vt ea tantùm cauſa integra ſeruentur, vt cubicula grato odore redoleant. Intus à cognatorum natura diſſimilia, peponibus ſimiliora: caro etiam peponum carne ſolidior: ab extimo cortice ad intimum ſibi ſimilis, nullo putamine. Et vt pepones anguſtum continendo ſemini in media aluo ſinum aperiunt, ita citrea ſuccum omnium pretioſiſſimum cum ſemine concipiunt, aluntque: qui conditus ex ſaccaro antidotum eſt aduerſus peſtilentes morbos efficaciſſimum. *P. Berettarius in Vita Ioſ. Anchietæ lib. 3.*

## *Citri Arbor.*

Arboris modus noſtratibus in hortis ferè medicus eſt. Radix ramoſa, quippe altè latèque diffuſa, & ſummo ſolo erratica: lignoſa & corticoſa: foris lutea, intus albicans. Truncus gracilis, nempè ſtaturæ arboris par: ligno albo duroque: cortice co-

foris è viridi pallentis. Rami ſurſum versùm raro nemore fruticantes, prolixi tenues, ductilique lentitia obſequentes. Ex his vetuſtiores diluto virore flauentes, pallidiſque aculeis armati: recentiores verò læta viriditate nitidi. Summa ramorum foliorumq; teneri as rubente virore fuſca. Folium perſæpe obtuſum, interdum etiam acuminatum: triploque fere in longitudinem, quàm in latitudinem, porrectius: ſupina parte, quam prona, viridius: oris leuiter inciſis ſerratum: fibris à medio craſſiore neruo excurrentibus venoſum: nonnumquam corrugatum & veluti bullans: ſpiſſo ambitu ramos conueſtiens: bene odoratum: guſtatu amarum. Spina foliorum pleriſq; ſupernè contigua, gemmæque finitima, acumine ſubrubens, cæterò viridis: apprimè rigida, & ſatis longa: prolixior autem & frequentior menſe octobri: quippe tunc ipſo cum pomo adultior. Flores confertim ſummis ramulis velut odorarium in faſciculum frequenter cohærentes: carnoſis folijs perſæpe quinis, per ambitum reſupinatis, in duos circiter digitos repandi: foris interſuſi rubore, cæterùm candidi; albentibus flauo ſub apice crocis bene capillati: languidè olentes: primò ſubdulces, mox amari: partim frugiferi, extante inter crocos longulo infantis pomi rudimento, piſtilli effigie: partim citra hoc indicium infœcundi: & hi quidem citò decidui, at illi tenacius hærentes.

*P. Io: Bap. Ferrarius Heſper. l.2.c.3.*

## *Citreum Malum.*

DE cætero pomorum figura ſæpius oblonga, ventre plerunque tumido, nonnunquam etiam ſubſtricto interpreſſoque; faſtigio autem aliàs mucronato, aliàs retuſo. Quinimò ſine artis ope mirè diuerſas hoc in pomo formas natura ludit. Magnitudo varia: pondus pariter diuerſum. Calabri pomi pondus conſuetum ſex aut nouem librarum, inſuetum verò triginta: quod & compertum in liguſtico. Salodienſis ab libra in ſexdecim: & ſi quoſdā audiamus, in quadraginta. Romani nonnumquam ad vicenas vſque libras. Præterea malis ijſdem citreis recens natis, & adhus

adhuc puſillis corium rubens: adoleſcentibus virentiam adultis aureum,rugoſum, & quodammodo verrucoſum: interdum etiam inoffenſo læuore mollius, leuiſſimè amarum, & aromatum odorem vibrans. Caro plurima, ſolida & candida, ſubdulcis, & leniter odorata. Medulla ſubalbida ſucci plena. & ſuauiter acida: contracto ſæpius ambitu definita & membranis intercurſantibus diſtincta interdum quaterdenis; à fungoſo alboque meditullio digiti ſemiſſem craſſo profectis. Denique ſemina cuique pomo complura: & alicui quinquagena ſupra cetera: hordeaceo grano ſimillima, ſed grandiora: duriuſcula, & membranacea cute veſtita: carne albida referta & amara. In eadem arbore viſitur omnibus horis tempeſtiuum & pulchrè confuſum floriferum ver cum pomifero autumno, pomis alijs cadentibus, alijs matureſcentibus, alijs ſubnaſcentibus.

*P. Io. B. Ferrarius Heſper. l. 2. c. 3.*

## *Mala limonia.*

Vvlgarium nomen ijs fecimus limonijs malis quę cibis condiendis exprimentes adhibemus. Horum enim ſuccoſiores ſunt & acriores medullæ, quã quæ mandi facilè queant. Eadem tamen poma nonnullis inter ſe notis differunt. Quippe alia oblongi corporis, alia nonnihil globoſi, vniuerſa verò leuiter faſtigiati: coloris alia diluti, alia ſaturatioris: medullæ laxioris alia, & alia contractioris: ſuccus ipſe non æquè omnibus auſterus. Malum præterea limoniam alunt pomaria cum oblongi tum rotundioris fructus promiſcuè feracem. Sic inuicem diſcrepant id genus veſca limonia. Cæterum arbos alia limones vbertim parit ſuperioribus grandiores & ſaporis auſteritate ingustabiles. Inter hæc autem diſcrimina ſimilitudo multiplex. Etenim omnibus perfecta maturitas ferè annua: cutis lęuori, quàm aſperitati, propior: caro exilis, duriuſcula, & inſipida: ſuccoſæ ſpicæ fermè octonæ: ſuccus peracerbus: ſemina longa & perpauca: folium oblongum, tenue, acuminatum, ac

temperatè virens: materies lentitia ſequax, cortice leuis, frigoris patiens, cultu medioeri contenta.
*P. Io. B. Ferrarius Heſper. l. 3. c. 2.*

## *Malum Aurantium ſiue Medicum.*

VLtima Heſperidum Heſpertuſa iam ſuum vocat in pomarium, ſanè pulcherrimum, quippe coruſcum ardentiore pomorum auro. Et hoc etiam, antequam excolatur, particulatim cognoſcendum. Malus igitur aurantia radice nititur craſſa, lignoſa, ramoſo diſceſſu partim in profundum acta partim latè porrecta, ſatis lutea, ſuique multum auri colorandis alumnis pomis promittente. Trunco aſſurgit intus candido, ſpiſſo, duroque: foris è viridi ſubnigro, colorisque ferrei. Ramis ſilueſcit numeroſis, nitidè virentibus, & complures in ramulos fruticantibus: frequenti prælongaque ſpina hiſpidis, ſed inſitione mitigante parciùs aculeatis. Folijs opacatur magnis, in exilitatem faſtigatis, saturi viroris, & pediculi pyxidato aſpectu foliati. Floribus vernat Maio potiſſimùm menſe prouenientibus, & racemi ſeu faſciculi effigie plerunque confertis: duos in digitos pateſcentibus: ſex plurimùm in folia diradiatis: ſincero candore niualibus: ſtantium in medio ſtaminum capillitio ſummatim flauis, cætera candidis: rarenter infœcundis: interuirente ſæpius inchoati pomi globulo frugiferis: odore iucundè acuto quicquid vſpiam eſt ſuauitatis inhalantibus. Eorum non pauci arboreæ parentis, nimiæ fœturæ alendæ imparis, ramoſis è brachijs decidui, & ante humati quàm extincti, odoratam in ſepulcrali ſolo animam ſuauiter exhalant.
*P. Io. B. Ferrarius Heſper. l. 4. c. 1.*

## *Limon citratus.*

LImonum, quotquot ſunt, nobiliſſimum ſuauiſſimumque, & inſitiuum (vt aiunt) citri filium, qui de citrei odore ſimilique indole citratus dicitur hetruſcus Petræ ſanctæ ager, Liguriæ contiguus, cedri-

cedrini vocabulo parit. Inde tranſlatum alit duplici diſcrimine laudatiſſimum, laudum altrix omnium Florentia. Vocat hæc alterum à minutiore ſcabritia læuem: alterum verò ab eminentioribus tuberculis ſcabroſum, & vernaculo nomine à rudis aſperique trunci effigie, bronconem. Non vna priori pomo magnitudo, Florentino, quàm romano in ſolo plerunque maioris eſt incrementi, & lumiæ nonnunquam tumorem ac pondus æquat. Forma eidem ſæpius oblonga, & magna ex parte tumens: inde paulatim gracileſcens, prolixoque faſtigio mucronata: interdum etiam papillato apice mammoſa: vel innatis pomis alijs vterum grauidantibus, rotunda. Cutis iam ſatis maturo aurea, tenera & perſpicua, punctim lacunoſa, verruculis plerunque ſcabra, rugiſque caperata, & aromatum odorato acumine iucunda: mandenti etiam cum reliquo pomo non ingrata. Carnoſa pars duum ferme digitorũ guſtu prætenera & ſuauis: ſuccoſa verò denis vndeniſue loculoſis membranis comprehenſa & ſubacidula. Semina ferè vicena. Delicatæ habitudinis arbor calores ac frigora præformidat: ad ſena cubita excreſcit: aſſiduo flore ver agit æternum: folio veſtitur prolixo, craſſo, bene virente ac ſæpe leuiter criſpo. Eadem fructus promiſcuè ſimplices, alioque alium includente multiplices præbet: qui tamen auelli poſſint. Sed in extrema Hetruria Petræ ſanctæ oppido adiacens ager, proximi maris egelido halitu mirè fertilis citratos limones limonibus alijs grauidos freqentiùs parit. His forma ſæpe obtuſior, interdum quoque turbinatior. Eorundem aliquo à ſummo ad imum in plura ſegmina ſummatim conciſo, limon alter interior apparet. Et hic medius ſi diſſecetur: poſt auream cutem, candidamque carnem albida medulla ſeſe in coſpectum dabit, tertium non rarò pomum, pomiue rudimentum circumplexa.

*Idem ibidem l.3.c.19.*

## *Citri & Limonis inſitio, ſeu inoculatio.*

Eadem citrus quolibet inſitionis genere coaleſcit, faciliùs tamen inoculatione, quam etiam

emplaſtrationem vocant. Duplex autem inoculandi ratio: altera priſcis, noſtris altera cultoribus vſitatior. Illi ex qua arbore inſerere vellent, eius ramum nouellum ac nitidum, fertilique tumore bellè gemmantem eligebant: ex eodem gemmam exigui corticis mediam, acuto ſcalpello in quadrum circuncidente, ſumebant. Deinde quam arborem inſerere vellent, eius nitidiſſimum ramum ſic delibrabant, vt delibratæ parti adiuncta cum libro gemma aptiſſimè quadraret. Circa gemmam bene vinciebant, ita ne læderent: commiſſuras & vincula luto muniebant: arboris inſitæ ſobolem & ſuperiores ramos præcidebant, ne ſuccus aliò diſſiparetur: poſt vnum & vigeſimum diem inſitum ſuo nexu captiuum vinculis liberabant. Hoc inſitionis genus æſtiuum dicebant: & Iunio menſe Iulioque vſurpabant. Hi verò in arbore citri, de qua inoculare volunt, gemmam obſeruant præſertim in orientali latere, quippe feraciore, quæ bene appareat, quæ certam ſpem germinis habeat, quæque ſpinoſa non ſit: quia ſpina vel difficile reciditur, vel conueſtientis cum parte corticis incommodè relinquitur. Adnatum præterea gemmæ folium præcidunt exiguo pediculo relicto: corticem oblongi trianguli forma ita circuncidunt, vt inuerſa baſis ſurſum verſus, aduerſa pars cuſpidata deorſum vergat: ipſa verò gemma ſummæ ſit parti propior, quàm imæ. Deinde arborem inſerendam quadrata circuncisura non delibrant, ſed nitidiſſima in parte rami, quæ trunco proxima vberiùs alitur, & in qua ferax ac præcipua viret hilaritas tranſuerſo ſcalpelli ductu corticem, citra materiæ noxam incidunt: à medio inciſu alia, eaque recta & paulò productiore inciſione ita deſcendunt, vt noſtram litteram T vulnere inſcribant. Ad hæc ima ſcalpelli parte, quam ligulam vocant, inſtar oricularij ſpecilli modicè patula tenuique, vtrinque abiuncto à materia leuatoque libro rectam litterati vulneris rimam ad extrema vſque capita tranſuerſæ inciſuræ aperiunt: in eum ſinum corticem inſititium cum germinis mamma diligenter inſertant: diuiduum librum ad incluſi aduenæ corticis complexum munimentumque de more obligant: relictoque ſpatio, vnde gemma liberè germinet, vndique aſtringunt. Vno præterea vel altero cu-
iuſcun-

iuſcuuque Medicæ arboris folio deorſum verſo, & inſuper gemmam preſſè alligato noxium inſito æſtũ imbremque defendunt. Ipſum hoſpitalem ramum iuxta inſitum, ne ſuccum diſtrahat, decacuminant. *Idem ibid. l.2.c.9.*

## *Inſitio per ſurculos.*

PRimùm igitur, quæ inſeritur, arbor ſerra diligenter ac rotundo vulnere execatur ea parte, quæ maximè nitida & ſine cicatrice eſt: daturque opera, ne liber lædatur. Deinde præciſi trunci plaga ſcalpello peracuto læuigatur. Ipſe truncus tribus infra ſecturam digitis arctiſſimo tæniæ nexu præligatur: mediuſque acuto cultro in eam rem facto ea fine diffinditur vt fiſſura trium digitorum ſit coercente vinculo libertatem dehiſcendi. Adacto cuneo, ſiuè oſſeo, ſiue ligneo, fiſſura cuſtoditur Poſtea ſurculi ad inſitionem de ramis anniculis aut bimis, qui nempe modicè indurauerint, ſumuntur, ſumma teneritudine attonſa, ferè palmares, & integri, atque, vt quidam ſentiunt ab humeris arborum orientem ſolem ſpectantibus. Hi porrò ſurculi tantum ex vtraq; parte in ſpeciem cunei deraduntur, quantum demiſſus cuneus ſpatij dederit, ſed ita ne medulla nudetur, neue lateris exterioris cortex detrahatur. Sic parati deprimuntur in rimam, vt eorum liber libro arboris vtrinque ac supernè ſiat æqualis, gemmis extantibus duntaxat binis ternisue, ima verò gemma ſummo à trunco vix abiuncta. Duos vna ſurculos arbor admittit: quibus demiſſis, cuneus eximitur. Tænia deinde ſoluitur: quaque parte fiſſus eſt truncus, cannabe vel non torta, vel in funiculum tortili aſtringitur. Ipſi verò plagæ illitu ceræ cum terebinthi aut laricis reſina permiſtæ pluuia, folijsque circundatis, & ſubligatis ſolis æſtus defenditur. Poſt quintum ac decimum diem folia remouentur: quippe tunc ſi ſurculi ceperint, mouere ſe gemmæ incipiunt. Exacto bimenſi tempore, quo ſatis inſitiua ſolet arbor cum inſita coaluiſſe, vinculum demitur ſupradictum. Vſurpatur hæc inſitio vernis, menſibus, Martio, Aprili,

Aprili, Maio: cum arbores Medicæ fertili ſucco prægnantes in germinationem turgent.
*Idem ibid. l.2. c. 9.*

## *Caryophylli Arbor.*

Arbor caryophylli & ſtipite & folijs lauro ſimilis eſt, flore in primis odorato, qui è viridi in rufum immutatus, vbi obduruerit, caryophyllon Arabibus: at Hiſpanis quòd capitatus eſt, clauus appellatur. Arbor è decidentibus caryophyllis citra culturam enaſcitur: annuas fert fruges: quæ tamen propter flagellorum, & acrioris decuſſus iniuriam, non niſi altero quoque leguntur anno. ſolum infra purum eſt, arbore in ſemet omnem attrahente ſuccum: ipſe verò fructus potentiorum præcipuè menſis ac dapibus expetitus, ab inſtitoribus ingenti lucro & in Aſia, & in Europa diuenditur.
*P. Maffeius hiſt. Ind. l.5.*

## *Nux Myriſtica.*

Arbor ad pyri ſimilitudinem accedit: fructus mala perſica quadamtenus imitatur. floret quo tempore ibidem aliæ quoque plantæ, & herbæ varij generis: è quibus vniuerſis mirificus odor incomparabilis cuiuſdam ſuauitatis exiſtit. Vbi defloruit, matureſcens pomum paulatim è viridi, tùm cæruleas luteaſque, tùm purpureas & igneas tranſit in maculas, quales in arcu cæleſti cum voluptate miramur: atque eo ipſo tempore pſittaci, & aliæ nobis ignotæ aues eximiæ pulchritudinis, ad gratiſſimum ſibi paſtum aduolantes, augent oblectationem, cum folia, & fructus, & alites ipſæ varijs colorum picturis in certamen vſque luxurient,
*P. Maffeius hiſt. Ind. l. 5.*

## *Piperis arbor.*

PAſſim verò quę piper gignunt iuniperis noſtris ſimiles. Semina à iunipero diſtant paruulis ſiliquis, quales in faſeolis videmus. Hæ priuſquam dehiſcant decerptæ, toſtæque ſole faciunt quod vocatur piper longum: paulatim verò dehiſcentes maturitate oſtendunt candidum piper; quod deindè toſtum ſolibus colore rugiſque mutatur. Verùm & ijs ſua iniuria eſt, atq; cæli intemperie carbunculatur, fiuntque ſemina caſſa & inania, quod vocant Brechmaſin ſic Indorum lingua ſignificante abortum. Hoc ex omni genere aſperrimum eſt, leuiſſimumque, & pallidum: gratius nigrum, leniuſque vtroque candidum. Vſum eius adeò placuiſſe mirum eſt: in alijs quippe ſuauitas cæpit, in alijs ſpecies inuitauit: huic nec pomi, nec baccæ commendatio eſt aliqua: ſola placere amaritudine, & hanc in Indos peti.

*Plinius hiſt. nat. lib. 12. c. 7.*

## *Cinnamomum.*

CInnamomi frutex duum cubitorum altitudine ampliſſimus, palmique minimus, quatuor digitorum craſſitudinis, ſtatim à terra ſex digitis ſurculoſus, arido ſimilis. Cum viret non odoratus, folio origani, ſiccitate gaudens, ſterilior imbre, cæduæ naturæ. Gignitur in planis quidem, ſed denſiſſimis in vepribus rubiſque, difficilis collectu. Præcipua bonitas virgultorum tenuiſſimis partibus ad longitudinem palmi. Secunda proximis breuiore menſura, atque ita ordine. Viliſſimum quod radicibus proximum, quoniam ibi minimum corticis, in quo ſumma gratiæ. qua de cauſa præferuntur cacumina, vbi plurimus cortex.

*Plinius lib. 12. hiſt. nat. c. 19.*

Blanca

## *Ebenus arbor.*

ARbor eſt plerumque tenuis & frequentior, vimine raro, in craſſitudinem caudicis extuberata, hiulco cortice, & ad modum reticulato, dehiſcentibus venis, adeò vt per ipſos ſinus pars intima vix tenui libro contegatur: lignum omne medium eadem fermè & facie, & nitore, qui eſt in lapide Gagate. Indi reges ex eo ſceptra ſumunt, & quaſcunque Deorum imagines non niſi ex ebeno habent. ijdem ferunt materia iſta liquorem non contineri noxium, & quicquid maleficum fuerit, tactu eius auerti. Hac gratia pocula ex ebeno habent.

*Solinus cap. 55.*

## *Laurus.*

LAurus triumphis propriè dicatur, vel gratiſſima domibus, ianitrix Cæſarum Pontificumque: quæ ſola & domos exornat, & ante limina excubat. Duo eius genera tradit Cato, Delphicã, & Cypriam. Delphicam albicante colore viridiorem, maximis baccis, atque è viridi rubentibus. Hac victores Delphis coronari, & triumphantes Romæ. Cypriam eſſe folio breui, nigro, per margines imbricato criſpam. Acceſſit & Regia, quæ cœpit Auguſta appellari, ampliſſima & arbore & folio, baccis guſtatu quoque non aſperis. Aliqui negant eandem eſſe, & ſuum genus regię faciunt longioribus folijs latioribuſque. ijdem in alio genere baccaliam appellant hanc, quæ vulgatiſſima eſt, baccarumque fertiliſſima. Sterilem verò earum (quod maximè miror) triumphalem, eaque dicunt triumphantes vti: niſi id à Diuo Auguſto cœperit ex ea lauru, quæ ei miſſa è cælo minima eſt altitudine, folio criſpo ac breui inuentu rara. Laurus quidem manifeſto abdicat igues crepitu, & quadam deteſtatione, interaneorum etiam vitia & neruorum ligno torquente.

*Plinius hiſt. nat. l. 15. c. 30.*

*Balſami*

## *Balſami arbores.*

SEd omnibus odoribus præfertur balſamum, vni terrarum Iudææ conceſſum. Oſtendere arbuſculam hanc Vrbi Imperatores Veſpaſiani; clarumque dictu à Pompeio Magno: in triumpo arbores quoque duximus. Seruit nunc hæc & tributa pendit cum ſua gente, in totum alia natura, quàm noſtri exterique tradiderant: quippe viti ſimilior eſt, quàm myrto. Malleolis ſeri dicitur, nuper vincta vt vitis; & implet colles vinearum modo, quæ ſine adminiculis ſe ipſę ſuſtinent. Tondetur ſimiliter fruticans, ac raſtris nitescit, properatque naſci intra tertium annum fructifera. folium proximum rutæ perpetua coma. Proceritas intra bina cubita ſubſiſtit. Arbori tria genera, tenui & capillacea coma, quod vocant Euteriſton. alterum ſcabro aſpectu, incuruum, fruticoſum, odoratius, hoc trachy appellant. tertium Eumeces, quia eſt reliquis procerius, leui cortice. huic ſecunda bonitas, nouiſſima Eutheriſto. Semen eius vino proximum guſtu, colore rufum, nec ſine pingui: peius in grano, quod leuius atque viridius. Ramus craſſior quàm myrto. Inciditur vitro, lapide, oſſeiſue cultellis ferro lædi vitalia odit. Emoritur protinus, eadem amputari ſuperuacua patiens. Incidentis manus libratur artifici temperamento, ne quid vltra corticem violet. Succus è plaga manat, quem opobalſamum vocant, ſuauitatis eximiæ, ſed tenui gutta, ploratu lanis parua colligitur in cornua. Ex ijs nouo fictili conditur craſſiori ſimilis oleo, & in muſto candida; rubeſcit deinde, ſimulque dureſcit è translucido. *Plinius hiſt. nat. l. 12 c. 25.*

In Braſilia Præfectura eſt à Spiritu Sancto nominata, in gradu 30. in Auſtrum. tellus eſt balſami admodum ferax, vnde balſamum hauritur: abores ſunt prægrandes, & excelſæ. ingenti & ſolido trunco, & bene ramoſæ: non vt Palæſtina humiles arbuſculæ. Harum corticem totum multis vulneribus incidunt; tum quà hiant ſciſſuræ, goſſipium ad imbibendum, qui diſtillat, ſuccum, inſerunt; alterniſque diebus exprimunt in vaſa: maſſam illic officinæ interunt admi-

admiſto balſamo, ex qua globulorum ſerta conficiunt, qui eleganti opere elaborati, atque in multam duritiem concreti, ad coronas precatorias, roſariaque odoris nobilitate in pretio habentur.

*P. Sebaſt. Bereſtarius in Vita P. Ioſ. Anch. lib. 1.*

*Arborum ferè omnium deſcriptiones, nec non plurimorum fructuum habet Io: Baptiſta Porta in Villa à lib. 2. & deinceps; Remb. Dodoneus in hiſtoria Stirpium.*

## *Sylua ingens.*

IVga montium prææltæ ſylvæ rupeſque inuiæ ſepiunt: ea quæ plana ſunt, nouo munimenti genere impedierant Barbari. Arbores denſæ ſunt de induſtria conſitæ, quarum teneros adhuc ramos manu flectunt, quos intortos rurſus inſerunt terræ. Indè velut ex alia radice lętiores virent trunci. hos, quà natura fert, adoleſcere non ſinunt: quippe alium alij quaſi nexu conſerunt: qui vbi multa fronde veſtiti ſunt, operiunt terram. Itaque occulti ramorum velut laquei perpetua ſæpe iter cludunt. Vna ratio erat cędendo aperire ſaltum. Sed hoc quoq; magni operis: crebri namque nodi nudauerant ſtipites, & in ſe implicati arborum rami ſuſpenſis circulis ſimiles lento vimine fruſtrabantur ictus. Incolæ autem ritu ferarum virgulta ſubire ſoliti, tum quoq; intrauerant ſaltum, occultiſque telis hoſtem laceſſebant.

*Q. Curtius lib. 6.*

Syluæ erant prope in immenſum ſpatium diffuſæ, proceriſque & in eximiam altitudinem editis arboribus vmbroſæ. Plerique rami inſtar ingentium ſtipitum flexi in humum, rurſus quà ſe curuauerant, erigebantur; adeo vt eſſet ſpecies non rami reſurgentis, ſed arboris ex ſua radice generatæ.

*Idem lib. 9.*

MON-

# MONTES, RVPES, SPELVNCÆ.

## Alpes.

EX propinquo viſa montium altitudo, niueſque cælo propè immiſtę, tecta informia impoſita rupibus, pecora iumentaque torrida frigore, homines intonſi & inculti, animalia inanimaque omnia rigentia gelu, cætera viſu quàm dictu fœdiora terrorem renouauere. Per omnia niue oppleta cum ſignis prima luce motis ſegniter agmen incederet, pigritiaque & deſperatio in omnium vultu emineret; progreſſus ſigna Annibal in promontorio quodam, vnde longè ac latè proſpectus erat, conſiſtere iuſſis militibus Italiam oſtentat.
*T. Liuius dec. 3. lib. 1.*

## Atlas mons.

ATlantem è medijs arenis in cœlum attolli prodiderunt aſperum, ſquallentem, quà vergat ad littora Oceani, cui cognomen impoſuit: eundem opacum, nemoroſumque, & ſcatebris fontium riguum, quà ſpectat Africam, fructibus omnium generum ſponte ità ſubnaſcentibus, vt nunquam ſatietas voluptatibus deſit. Incolarum neminem interdiu cerni: ſilere omnia haud alio quam ſolitudinum horrore: ſubire tacitam religionem animos propiùs accedentium, prӕterque horrorem elati ſuper nubila, atque in viciniam lunaris circuli.
*Plinius hiſt. nat. l. 5. c. 1.*

## *Caucaſus mons.*

INde agmen proceſſit ad Caucaſum montem, cuius dorſum Aſiam perpetuo iugo diuidit, hinc ſimul mare quod Ciliciam ſubit, illinc Caſpium fretum, & amnem Araxem, aliaque regionis Scythiæ deſerta ſpectans. Septendecim dierum ſpatio Caucaſum ſuperauit exercitus Rupes in eo decem in circuitu ſtadia complectitur, quatuor in altitudinem excedit; in qua vinctum Promethea fuiſſe antiquitas tradit. *Q. Curtius lib. 7.*

## *Athos mons.*

ATHos mons eſt adeo elatus, vt credatur altius quàm vnde imbres cadunt, ſurgere. Capit opinio fidem, quia de aris, quas in vertice ſuſtinet, non abluitur cinis, ſed quo relinquitur aggere manet, Cæterum non promontorio, vt alij, verùm totus eſt. totoque longè dorſo procedit in pelagus: quà continenti adhæret, à Xerxe in Graios tendente perfoſſus, tranſnauigatuſque, & factus freto nauigabili peruius. In ſummo fuit oppidum Acroathon, in quo, vt ferunt dimidio longior, quàm in alijs terris ætas habitantium erat. *Pom. Mela lib. 2. c. 2.*

## *Taurus mons.*

TAurus mons ab Eois veniens littoribus Chelidonio promontorio diſterminat. Immenſus ipſe, & innumerarũ gentiũ arbiter dextero latere Septentrionalis, vbi primum ab indico mari exſurgit, læuo meridianus, & ad occaſum tendens, mediamque diſtrahens Aſiam, niſi opprimenti terras occurrerent maria. Reſilit ergò ad Septentriones, flexuſque immenſum iter quærit, velut de induſtria rerum natura ſubinde æquora opponente, hinc Phœnicium, hinc Ponticum, illinc Caſpium, & Hyrcanium, contraque Mæoticum lacum. Torquetur itaque colliſus intra

h 2

hæc clauſtra, & tamen victor flexuoſus euadit vſque ad cognata Riphæorum montium iuga, numeroſis nominibus, & nouis quacunque incedit inſignis. *Plinius hiſt. nat. lib. 5 c. 27.*

## *Mons Oliueti.*

MOns eſt è regione illius vrbis editus, ac præcelſus, cui ab oleis, quibus vbique veſtitur, atque ex omni aditu tegitur, Oliueti nomen eſt factū. Alluitur ex altera parte flunio peramœno, ex altera diremptus eſt totus; vinearum, plantarum omnium, inprimiſque palmarum viriditate lætiſſimus, perpetuo rupium ſiluoſarum tractu opacus, atque alſioſus. In ſummo eſt æquata planities latiſſimè patens, aquæ ſunt perennes, & lectiſſimi flores, proſpectus in ſubditos campos, colleſque circumiectos iucundiſſimus. *P. Tarq. Gallutius to. 2. or. 14.*

## *Ætna ignes euomens.*

SIta eſt Catana ad ipſas Aetnæ radices, quem montem à flammarum globis ignitiſque ſaxis, quæ ſurſum identidem euibrat, Vulcani regiam Poetarum fabulæ nominarunt. Hoc ergo monte, quæ gignendi enutriendique intus ignis naturalis ſolo vis inſita eſt, flammas longè latèque fundente, ac toto pene conflagrante; Catana, vt eſt ſubiecta, ignibus illis obſeſſa, cineribus quoque ſuperfuſa, ſæpiſſimè quidem trepidauit: ſed ſepiſſimè implorata Virginis ope, omni planè non ſolum periculo, ſed ipſa etiam periculi formidine liberata eſt. Illud nominatim tradunt. Aetna ſic inſolenter aliquando efferueſcente, vt igni s inſtar incitati cuiuſdam amnis in planitiem excurrens abſorbere Catanæ mœnia, tecta vaſtare, populari agros, vrere, corripere, exſcindere velle omnia videretur, ciuitatem totam ad tumulum Agathæ confugiſſe.
*P. Tarquin. Gallutius to. 2. orat. 19.*
Hic paucis docere Meleander, longè altiſſimum eſſe illum Sicilia tota montem, qui natiuo ſulphure, recepto-

ceptoque in viſceribus vento exęſtuans, impatientem cuſtodiæ flammam per hiantis ruinas cacuminis attollit. Neque verò quotidianis ignibus, inquit, feruet hic apex. Sæpiſſimè ater fumus eſt per longa volumina cælum inficiens, fauillas interdum aſpicias huic miſtas caligini. Rarius deniqne ſe ipſo citatior turbo proruentibus flammis, vicinam regionem fœdè peruaſtat. Quippe ſpiſſiſſimus ignis à ſummo emanans cacumine, torrentibus veluti riuis deorſum exigitur, in perniciem trahens quicquid occurrerit. Tunc verò grauiora quàm è cælo tonitrua, & populis terror, ne quanta, eſt Aetna ſe ſoluat, obruatque Siciliam. Nec minore quàm pro tumultu prodigio, ſaxa ingentia ex montis viſceribus hoc tormento in campos mittuntur. Adhuc fuligine plena ſunt, totoque colore indicant ab incendio ſe venire. Cinerum deinde tanta vis ab igneo iugo, vt ad multa millia impetu primum ſuo, mox vento circumlati obruant altè campos, & deprehenſas ſegetes enecent, ſolumue corrumpant ad ſementem deinde inutile.

*Barclaius Argen. ib. 2.*

Hic certè Aetna, quam Veſuuius dicitur, imitari, horrendum illud non modo adeunti, ſed longè contemplanti ſpectaculum. tonat ruinis & alienis & ſuis in tanta feruentis naturæ pertinacia etiam glacialis. propinat è cratere nouum poculi genus, cum niuibus flammas. quoties illa igneis torrentibuss latè circumfluentibus finitimas vrbes oppreſſit? quoties profuſo cinere, libratiſque ſaxis Trinacriam omnem operuit? Arſit ſæpiſſimè, ſed recentior memoria eius incendij, quod Puteolanum vltimo præiuit anno. Kalendis enim Maij, qui dies eſt ipſo flore lætiſſimus, Sicilia tota tonare cœpit. diebus ferè duodecim crebri ſonitus, atque tonitrua, fragores ingentes, cuiuſmodi ex tormentorum bellicorum ictibus edi ſolent, longè auditi: Idibus deinde eiuſdem menſis ſub colle hiatus patuere inſoliti; è quibus ignea materies egeſtà, ac deuoluta obuia quæque proſtrauit, exuſſit. nec multò poſt Aetnæus ipſe crater tantam ſubnigri cineris per triduum vim efflauit, vt maria circumfuſa, ac trecentis ipſis paſſuum millibus à Sicilia diſiunctæ naues eo cinere ſint fœdatæ. denique inter horrendos

rendos Aetnæ mugitus ſummus ipſe apex abruptus à cratere, abſorptuſque eſt.
*P. Maſculus de Veſuu. lib. 7.*

## *Veſuuius, & eius incendium.*

NVbes, incertum procul intuentibus ex quo monte (Veſuuium poſtea fuiſſe cognitum eſt) oriebatur: euius ſimilitudinem & formam non alia magis arbor, quàm pinus expreſſerit. Nam longiſſimo velut trunco flata in altum quibuſdam ramis diffundebatur. credo quia recenti ſpiritu euecta, deinde ſeneſcente eo deſtituta, aut etiam pondere ſuo victa in latitudinem vaneſcebat: candida interdum, interdum ſordida & maculoſa, prout terram cineremue ſuſtulerat. Iam nauibus cinis inciderat, quo propius accederet calidior, & denſior: iam pumices etiam, nigrique ambuſti & fracti igne lapides. Interim è Veſuuio monte pluribus locis latiſſimæ flammæ, atque incendia relucebant, quorum fulgor & claritas tenebris noctis excitabatur. Tum crebris vaſtiſque tremoribus tecta nutabant, & quaſi emota ſedibus ſuis nunc huc, nunc illuc abire, aut referri videbantur. Sub dio rurſus, quamquam leuium exeſorumque pumicum caſus metuebant. Iam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior, denſiorque; quam tamen faces multæ, variaque lumina ſoluebant.
*Plinius iunior lib. 6. epiſt. 16.*

Tantis motibus natura rixante Veſuuij montis hiatus immurmurat, vt excitatus quidam spiritus grandiſono fremitu vicinia terrificet. fuſcatur enim aer loci illius exhalatione teterrima, & per totam pene Italiam cognoſcitur, quando illa indignatio commouetur. Volat per mare magnum cinis decoctus, & terrenis nubibus excitatis tranſmarinas quoq; prouincias pulucreis guttis compluit. Videas illic quaſi quosdam fluuios ire puluereos, & arenam ſterilem impetu feruente velut liquida fluenta decurrere. Stupeas ſubito vſque ad arborum cacumina dorſa intumuiſſe camporum, & luctuoſo ſubito calore vaſtata, quæ lætiſſima fuerant viriditate depicta. Vomit fornax illa perpetua pumiceas quidem, ſed

ſeriles arenas; quæ licet diuturna fuerint aduſtione ſiccatæ in varios fœtus ſuſcepta germina mox producunt, & magna quadam celeritate reparant, quæ paulo ante vaſtauerant. Quæ eſt iſta ſingularis exceptio? vnum montem ſic infremere, vt tot mundi partes probetur aeris permutatione terrere, & ſic ſuam ſubſtantiam vbique diſpergere, vt non videatur damna ſentire: longè latèqae pulueres rorat, vicinis autem quasdam moles eructat; & tot ſæculis mons habetur, qui erogationibus tantis expenditur. Quis credat tam ingentes glebas vsque in plana dednctas de tam profundis hiatibus ebulliſſe? & ſpiritu quodam efflante montis ore conſputas, quaſi leues paleas fuiſſe proiectas? Alibi cacumina magna terrarum localiter videntur ardere, huius incendia pene mundo datum eſt poſſe cognoſcere

*Caſſiodorus Var. l. 4. epiſt. 50.*

Nocte intempeſta ante XVII. Kal. Ian. commoueri Veſuuius in vicinia maximè viſus eſt, deinde immurmurare etiam cœpit, motu mox concuti crebriore. Iam ſummo mane malum peperit, quod nocte parturijt, quod ſæculo ſuperiore conceperat. horrendum in modum intremuit, infremuit, obicem, qui primus occurrit, vi ſpiritus atque flammæ, defregit, & fragmen, imò partem ipſam ſui, egeſtaſque moles in altum eiaculatus eſt. Interea dies adoleuerat, vel potius decreuerat, occupante latè omnia tetra fuligine. perpetui portò globi fumi, ac cinerej turbines alij alios complectebantur. candicabat modo à Sole nubes modo atra ſordidaque ſquallebat, & quadam voluminum reciprocatione collecta horrendum ſpectaculum edebat: tum identidem fatiſcente in rimas plurimas, edi tonitrua, iaci fulmina, explendeſcere fulgetra videbantur. Inter hæc montis murmur, ac fremitus increbeſcere, exaudiri è cauernis horrendi mugitus, atque tonitrua expalleſcere omnes, atque vna cum tellure communi parente contremiſcere. Egeſtæ impetu ac vi ſpiritus, atque flammæ moles, ac rupes, cum in altum protruderentur, deinde ſuo pondere depreſſæ intercurſarent alijs, atque inuicem ſe ſe collidérent, horribili fragore complebant omnia. teſtor Venetas regiones, totamque Illyriam, quæ cum ſe timore belli contra hoſtes armauit, non vidit

ſe

ſe exardeſcere contra flammam. audiebant tanto licet locorum interuallo, tot dierum itineribus à Veſuuio diſcreti, tanquam ex æneis machinis diſploſos ignis vi globos, coruſcante cælo:exiſtimabamus claſſem noſtram comitti cum Turcica. nec mora: extemplo tetra nube operiri cęlum, fuligine totum obtendi, pluuio cinere omnia conſpergi videns; qui ipſo die, paucis poſt horis, antequam hanc vrbem incendio proximã attingeret, ſtatim peruaſit Aſcrutnium, atque Pannoniam, ſtatim Adriaticum mare, ſtatim Aegeum texit, caneſcente iam fluctu ſine ſpuma. Conſecuta deinde eſt immanis lapidatio. quæ bruta, & homines oppreſſit, arbores deiecit, tecta diſturbauit. ignita erant ſaxa, cumque laberentur in terram, diffracta ignem latentem prodebant; immania erant fere ac prorſus enormia, ſępe cum ingenti ſonitu inuicem collidentia. denique lapidum tam ſæua tempeſtas, & grandinatio fuit, vt ipſe mons diffringi, totuſque collabi videretur. Verum paulo ante meridiem repente immani cum fragore monte concuſſo, halitus ille igneus, vt liberius reſpiraret, in ipſum cacumen irrumpit, eluctatur, obicem illum ingentem, quo tanti camini os claudebatur, effringit, euadit; tum copias effert, quibus erat inſtructus. Eni-muerò ſeptem ſcaturigines, torrentéſque flammarum in præceps agi, atque deuolui, pleni bituminis, pleni ſulphuris, miſti cinere ignitiſque ſaxis. quicquid obuium erat tempeſtate quadam, ac turbine ignis inuoluere; armenta greges obterere; per ſubiecta ſpatia camporum latè diffundi; arbores, tuguria, domos turres proturbare, protrudere.

*Ex lib. 1. P. Maſculi de Veſuu. incen.*

## *Alij montes flammas euibrantes.*

SEd præcipua camino Ternatenſi nobilitas. Mons in nubes aſſurgit excelsus, & arduus; cuius inferiora denſis nemoribus veſtiuntur; ſuperiora, ex incendijs glabra, & horrida ſunt. in vertice, crater, hiatu vaſto in plures circulos circumductos, maiores minoribus, ad ſpeciem amphiteatri diſcedit, inde per æquinoctia maximè certis flantibus ventis cum hor-

 riſono

riſono fremitu flammæ atro miſtæ fumo, & fauillis erumpunt, & omnia latè loca cineribus complent. Viſendi annuæ ſunt vices: nec niſi per funes, aut ferramenta, quibuſdam locis aſcenſus eſt.

*P. Maffeius hiſt. Ind. lib. 5.*

Harum inſularum vna rupibus horrenda flagrantibus, ex quibus ſæpe ſaxa ignea maximarum inſtar arborum erumpunt, tanto impetu ac fragore, quanto nulla tormenta ænea quamuis magna, globos eiaculantur: ac nonnunquam vbi acrior exiſtit flatus, indidem ingens cineris modus egeritur, quo longè ac latè diffuſo, viri feminæque laborantes in campis cinere oppleti domos reuertuntur. Apri quoque in ſaltibus complures opreſſi, piſces extincti paſſim offenduntur in litore.

*P. Turſellinus in Vita S. Franc. lib. 3. c. 3.*

In America Septentrionali. Rupem comperimus editiſſimam, Maſſaiam nomine, Veſuuij Campani ritu flammas immani cum fragore vomentem. Os illius ad bis & amplius mille paſſuum ſemper hians ac diductum, innubilam ac proinde latè conſpicuam voluit pyram, non ſine ſparſis circumquaque fulgetris. At in profundi depreſſiſſimo baratro ſtagnum bullit auro liquato ſimillimum: incendij tantis ardoribus, vt ingentia cum catenis ferreis ahena, ſi quando demittantur, puncto temporis hauriat, inque riuũ vertat. flammarum quoque vis ac rapacitas exurit omne rupis illius in ſummo ſolum, & germen. Non illic herba, non gramen, non aliquid veris, æſtatiſque viret, aut autumni prægnat: & tamen circum oram & margines eiuſdem Alpis, in tanta feruentis ignis propinquitate, frequens & impune Paſſerum nidulatur ſimplicitas.

*P. Io: Biſſelius Argon. lib. 25.*

Vltra verò Oceanum Inſula eſt vna ex ijs, quas Tertias vocant, nulli incendij diritate Secunda; hic nonnullis ante annis patefacta vi ſpiritus tellus, ingentis magnitudinis cautes in altum tanto cum impetu ſuſtulit, atque prouuoluit, vt in Cælum à Titanibus fieri lapidatio videretur; minores verò lapides tar quã è tormentis excuſſi in ſublime ferebantur, quantum oculorum acies vix ſequi poterat. inobſcurauit ſubitò diem tetra caligo; horribiles mugitus, imaniaque

conitrua

tonitrua mari, terraque; audiebantur. montis porrò fragmina, atque moles abruptæ quocunque incidèrent, ſiue in arbores, ſiue in domos, confringebant omnia; proſternebantque; tùm veluti dolia quædam ſulphureo referta puluere ex ordine deuolui videbantur è montis iugo, vt in vrbium oppugnatione machinis bellicis coneuti ſolent arces. adhæc globi flammarum, ac cinerei turbines profugos inſequebantur, occupabantque, obrutis in via plauſtris, armentis, & gregibus. denique ita ſcaturigines illæ ignium ſe longè, latèque fuderunt, vt tota regio vaſtata ſit, ac penè deeta.
*P. Maſculs de Veſuu. llib. 7.*

## *Montes altiſſimi & inacceſſi.*

DE ortu verò Nili longa percunctatione reperiebamus in regno Gogiano, quod à Sceneno ad Antarcticum extenditur, eſſe immenſam altiſſimorum montium congeriem Caucaſo & Atlante, hiſq; noſtris Europæ Alpibus multo celſiorem. Iuga eius perpetuis obſeſſa niuibus geluque rigentia, nubibus ſeſe inſerere, & cælum fulcire videntur. Harum immanium rupium media atque inſima denſiſſimis ſiluis procerrimarum arborum veſtiri conſtat. Quæ loca inacceſſa homini, luſtra cubiliaque ſunt ferarum, & belluarum omnis generis.
*Iouius biſter, lib. 18.*

## *Rupes aſpera & inuia.*

ERat mons ſaxeus medioeri caſtello, ſatis patens, in immenſum editus, vno peranguſto aditu relicto: nam omnis natura velut opere, atque conſulto præceps: aggeribus, turribuſque, & alijs machinationibus locus importunus: iter caſtellanorum anguſtum admodum, vtrinque præciſum: vineæ cum ingenti periculo fruſtra agebantur; nam cum ea paulum proceſſerant, igni aut lapidibus corrumpebantur. milites neque pro opere conſiſtere, propter iniquitatem loci, neque inter vineas ſine periculo

adminiſtrare : optimus quiſque aut cadere aut ſauciari, cæteris metus augeri.
*Saluſt. de bello Iugur.*

Excelſa & vndique abſciſſa eſt rupes, quæ ab ſatis lato fundo paulatim faſtigiatur ad ſummum, inde ad fungi maximè ſpeciem circumquaque prominet labrum, mille fere paſſuum ambitu, ex quo ſubiecta quæque. Ita luſtrantur oculis, vt nullus circa latebris inſidijſue ſit locus. Intra eius proiecturæ planitiem regia tecta, cum capaciſſimis duabus ciſternis, & ornatiſſimo templo cœnobioque viſûntur: accedit agri, quod probè cultum in annua quingentorum fere hominum alimenta ſufficiat. Vno duntaxat, eoque perangusto ac tortuoſo anfractu ad certum vſque ſpatium aſcenſus eſt, ab eo ſpatio ita arrecta ſunt ſaxa, vt funibus corbibuſque extollantur, demittanturue homines, quæque alia vel importanda, vel euehenda ſunt, ac demum ea natura eſt loci, vti prorſus neque vi, neque fame ſit expugnabilis.
*P. Maffeius hiſt. Ind lib. 11.*

Petra in altitudinem triginta eminet ſtadia, circuitu cẽtum & quinquaginta complectitur, vndiq; abſciſſa, & abrupta, ſemita perangusta aditur. In medio altitudinis ſpatio habet ſpecum, cuius os arctum & obſcurum eſt; paulatim deinde vlteriora panduntur: vltima etiam altos receſſus habent. fontes per totum fere ſpecum manant, è quibus collatæ aquæ per prona montis flumen emittunt. Rex loci difficultate ſpectata ſtatuerat inde abire.
*Q. Curtius lib. 7.*

Prærupta rupes erat, quà ſpectat Occidentem: eadem quà vergit ad Orientem leniore ſubmiſſa faſtigio, multis arboribus obſita, perennem habet fontem ex quo largæ aquæ manant. Circuitus eius triginta & duo ſtadia comprehendit. Petra non vt pleræque modicis ac mollibus cliuis in ſublime faſtigium creſcit, ſed in metæ maximæ modum erecta eſt: cuius ima ſpatioſiora ſunt altiora in arctius coeunt, ſumma in cacumen exſurgunt. Radices eius Indus amnis ſubit, præaltis vndique & aſperis ripis; ab altera parte voragines, eluuieſque præruptæ ſunt: nec alia expugnandi patebat via, quàm vt replerentur.
*Q. Curtius lib. 4. & lib. 8.*

Mons horridus, ſilueſtribuſque frondibus vmbroſus, & in primis altus fuit. Huius per obliqua deuexa, quà ſaxis aſperrimis, & ob id inacceſſis cingitur, conualles lacunoſæ cauæque nimium, ſpinetis aggeratæ, & quaqnauerſus repoſitæ naturalem præbentes tutelam ambiebant. Inſurgit ſpeluncæ, quà margines montanæ deſinunt, turris arduo caule firma, ſolidis cratibus, ouili ſtabulatione commoda, porrectis vndique lateribus, ante fores exigui tramites vice ſtructi parietis attenduntur.
*Apuleius lib. 4. metam.*

## *Rupes mobilis inſtar Parnaſſi conformata.*

TAndem ſecundo flumine deferri cœpit ingens, immaniſque Rupes, quæ nullis incitata remis, ſed rotis ſenis impoſitâ, quadrigarum more terebat aquas, ſeque ipſam temperata quadam velocitate concitabat. Cuius artificij ratio hæc ferme erat. latebat intra huius vterum montis, in imo eiuſdem ſolo ſeu carina, tractoria machina, quæ vectarijs equis obnitentibus circumducta alios atque alios verſabat orbes quorum conuerſionibus tranſuerſi iacenteſq; per carinam axes rotarum, quæ vtrinque ternæ, vt dixi, regebant molem, obuoluebantur quàm celerrimè. inde rotæ, quibus de loquor, dum verſabantur, quia in ambituſeu curuatura extantes radios denteſue tanquam palmulas habebant, aquis impactæ fluuium ſcindebant remorum vice, rupemque eodem molimine atque incitatione propellebant. Hęc autem moles, quam ſpeciem referret, mons ipſe biceps, ſeu bicornis, primi in radicibus aditus vepribus impediti, & calculoſi, iuga explicata, lauroque conueſtita, Pegaſus excuſſo iam fonte ſublimis; non modo facile ſubijciebant oculis: ſed etiam, quod nulla è nouem Camœnis præter Calliopen appareret, quæ carmina libris heroica mandat; Parnaſſi partem heroicis Vatibus ad incolendum attributam non obſcurè ſignificabant. *P. Famianus lib. 2. preluſ. 6.*

## *Spelunca.*

VIdeo antri intactum horrorem, ad quem velut i ſacrum exhorrui. Subijt inde animus vlterius explorandi id quod Dij obtulerant: ſentibuſque vtcunque dimotis circumſpicio à limine quicquid lux tenuis, & eo tantum aditu acepta aperiebat. locus deſederat in profundum, ducebantque in imum ſaxei gradus. Illatis igitur facibus cum exiguo comitatu ſubeo terram frigore & ſolitudine graue aliquid inſpirantem. Anguſto progreſſi veſtibulo tandem in patentiora ſucceſſimus. Pandebatur late ſpecus. tophi ſublimes, laterumque exſudantium curuatura nitebat pellucida cruſta, & cripatam gelu aquam imitante. *Barclaius Argen. lib.2.*

# GEMMÆ, LAPIDES, MARMORA.

## *Adamas.*

MAximum in rebus humanis, non ſolum inter gemmas, pretium habet adamas, diu non niſi regibus, & ijs admodum paucis cognitus, vnus modò in metallis repertus, per quàm rarò comes auri, nec niſi in auro naſci videbatur. Veteres enim in Aethiopum tantum metallis inueniri exiſtimauere, inter delubrum Mercurij atque inſulam Meroen, dixeruntque non ampliorem cucumis ſemine, aut colore diſſimilem inueniri. Nunc genera eius ſex noſcuntur: Indici non in auro naſcentis; ſed quadam cryſtalli cognatione. Si quidem, & colore tranſlucido non differt, & laterum ſexangulo læuore turbinatus in mucronem, aut duabus contrarijs partibus, quo magis miremur, vt ſi duo turbines latiſſimis

ſuis

ſuis partibus iungantur: magnitudine vero etiam auellanæ nuclei. Similis eſt huic quidem Arabicus, minor tantum, ſimiliter & naſcens: cæteris pallor gentis, & in auro non niſi excellentiſſimo natalis. Incudibus hi deprehenduntur, ita reſpuentes ictum, vt ferrum vtrinque diſſultet, incudeſque etiam ipſæ diſſiliant &c. *Vide Plinium.*

*Plinius hiſt. nat. l. 37. c. 4.*

## *Smaragdus.*

TErtia autoritas Smaragdis perhibetur pluribus de cauſis. Nullius coloris aſpectus iucundior eſt. Nam herbas quoque virentes frondeſque auidè ſpectamus. Smaragdos verò tantò libentius, quoniam nihil omninò viridius comparatum illis viret. Præterea ſoli gemmarum contuitu oculos implent, nec ſatiant. Quin & ab intentione alia obſcurata, aſpectu Smaragdi recreatur acies. Scalpentibusque gemmas non alia gratior oculorum refectio eſt: ita viridi lenitate laſſitudinem mulcent. Præterea à longinquo amplificantur viſu, inficientes circa ſe repercuſſum aera non ſole mutati, non vmbra, non lucernis, ſemperque ſenſim radiantes, & viſum admittentes ad craſſitudinem ſui facilitate translucida: quod etiam in aquis non fit. Iidem plerunque, & concaui, vt viſum colligant. Quapropter decreto hominum ijs parcitur ſcalpi vetitis. Quamquam Scythicorum Ægyptiorumque duritia tanta eſt, vt nequeant vulnerari.

*Plinius hiſt. nat. lib. 37. c. 5.*

*Vide alias aliarum gemmarum deſcriptiones apud Plinium lo. cit. Alias etiam lapidum & marmorum ſpecies deſcribit lib. 36. c. 6. 7. 8.*

## *Cryſtallum.*

QVis non grauiſſimas eſſe aquas credat, quæ in cryſtallum coeunt? Contra autem eſt, tenuiſſimis hoc enim euenit, quas frigus ab ipſa tenuitate facillimè gelat. Vnde autem fiat eiuſmodi lapis apud Græcos, ex ipſo nomine apparet, cryſtal-

lum enim appellant ęquè hunc perlucidum lapidem, quàm illam glaciem, ex qua fieri creditur. Aqua enim cæleſtis minimum in ſe terreni habens, cum induruit, longioris frigoris pertinacia ſpiſſatur magis ac magis, donec omni aere excluſo in ſe tota compreſſa eſt,& humor qui fuerat,lapis effectus eſt. *Seneca l. 3. nat. quæſt. c. 25.*

## *Lapis Bezuar.*

*Vide infra ſub titulo, Bruta Quadrupedes, de Hirco Americano.*

# METALLA.

## *Aurum.*

PRæcipuam gratiam aurò fuiſſe arbitror non colore, qui in argento clarior eſt, magiſque diei ſimilis, & ideo militaribus ſignis familiarior, quoniam is longius fulget · manifeſto errore eorum,qui colorem ſiderum placuiſſe in auro arbitrantur , cum in gemmis alijſque rebus non ſit præcipuus. Nec pondere aut facilitate materiæ prælatum eſt cæteris metallis, cum cedat per vtrumque plumbo.Sed quia rerum vni nihil igne deperit,tuto etiam in incendijs rogiſque durante materia.Quinimo quo ſæpius arſit, proficit ad bonitatem. Aurique experimento ignis eſt, vt ſimili colore rubeat, quo ignis : atque ipſum obryzum vocant.Primum autem bonitatis argumentum eſt,quàm difficillimè accendi. Præterea mirum prunæ violentiſſimæ igni indomitum,palea citiſſimè ardeſcere; atque vt purgetur cum plumbo coqui.Altera cauſa pretij maior , quàm minimum vſu deteri, cum argento, acre, plumbo lineæ producantur, manuſque ſordeſcant decidua materia. Nec aliud laxius dilatatur, aut numeroſius diuiditur , vt pote cuius vnciæ in ſeptingenas,& quinquagenas pluresque bracteas quaternum vtroque digitorum ſpargantur. Su-

per

per cætera non rubigo vlla, non ærugo, non aliud eſt ipſo quod conſumat bonitatem, minuatue pondus. Iam contra ſalis & aceti ſuccos domitores rerum conſtantia: ſuperque omnia netur, ac texitur lanæ modo. *Plinius nat. hiſt. l. 33. c. 3.*

## *Aurifodinæ Peruuianæ.*

MOns igitur Potoſſinus quanquam auri diues, magis tamen ab argento celebratur: cuius quatuor maximè venis ingentibus, ad prodigium vſque locus hic per mortalium ora volitat. Has vlnis non amplius binis latas quingentarum profunditas vlnarum in immenſum deprimit: procurrentibus ab Orientali rupis parte per tramitem obliquum cuniculis, ad Septentrionalem vſque loci ſitum. Protuberant porrò dextra ſiniſtraque, ſine numero quaſi rami quidam & vatices, irritandis inhiantium curis ex ipſa quotidiana nouitate: fibris ac ſurculis argenti ſingulos in dies alijs ſuper alios deprehendi ſuetis. mirabili quodam artis æquè naturæque luſu, neſcias plus ne queras, an ſtupeas? in tam vtiq; numeroſa ſupra numerũ, ſpecuum, meatuumq; copia, quã montis inteſtina felicitas aperit & offert; tramitibus argentarijs alijs ſurſum tẽdentibus, deorſum alijs; quibuſdã dextrorſum; alijs ſiniſtrorsũ; multis prorſum, compluribus retrorſum; ſæpe rectà, ſępius autem per tranſuerſum procurſantibus cauernulis: quæ quandoque decuſſatim ſe ſe per occurſus mutuos ſecant; alias nulla finis aut termini ſpe, longitudinem ſuam in profunda montis extendunt. Videas igitur tam paratis opibus eruendis illaborare pluſquam millia quatuor Hiſpani nominis; indigenarum autem millia quinquagena, continuato dierum ac noctium, menſiumque conatu. *P. Io: Biſſelius Argon. l. 12. pun. 5.*

## *Argentum.*

NOn niſi in puteis reperitur, nullaque ſui ſpe naſcitur, nullis vt in auro lucentibus ſcintillis. Terra eſt alia rufa, alia cineracea. excoqui non poteſt

niſi cum plumbo nigro, aut cum vena plumbi. Galenam vocant, quæ iuxta argenti venas plerumque reperitur. Et eodem opere ignium deſcendit pars in plumbum, argentum autem innatat, vt oleum aquis. Reperitur in omnibus prouincijs, ſed in Hiſpania pulcherrimum: id quoque in ſterili ſolo, atque etiam montibus: & vbicunque vna inuenta vena eſt, non procul inuenitur alia. Hoc quidem & in omni fere materia. mirum adhuc per Hiſpanias ab Annibale inchoatos puteos durare, ſua ab inuentoribus nomina habentes. Ex queis Bebelo appellatur hodieq; qui trecenta pondo Annibali ſubminiſtrauit in dies, ad mille quingentos iam paſſus cauato monte. Argenti vena quæ in ſummo reperta eſt, crudaria appellatur. finis antiquis fodiendi ſolebat eſſe alumen inuētum: vltra nihil quærebatur. Nuper inuenta æris vena infra alumen alba nullum finem ſpei fecit. Odor ex argenti fodinis inimicus omnibus animalibus, ſed maximè canibus. Aurum argentumque quò mollius, eo pulchrius. *Plinius hiſt. nat. l. 33. c. 6.*

## *Argentum viuum.*

Est & lapis in his venis, cuius vomica liquoris æterni argentum viuum appellatur, venenum rerum omnium. Exeſt ac perumpit vaſa permana as tabe dira. Omnia ei innatant, præter aurum: id vnu m ad ſe trahit. ideo & optimè purgat, cæteras eius ſ r-des expuens crebro iactatu fictilibus in vaſis, ita vt ijs abiectis, vt & ipſum ab auro diſcedat. In pelles ſubactas effunditur, per quas ſudoris vice defluens, purum relinquit aurum. Ergo & cum æra inaurantur, ſublitum bracteis pertinaciſſimè retinet. Verum pallore detegit ſimplices, aut prætenues bracteas. quapropter id furtum quærentes, oui liquore candido vſum eum adulterauere. In ijſdem argenti metallis inuenitur, vt propriè dicamus, ſpumæ lapis candidæ nitentiſque, non tamen translucentis, ſtimmi appellant, alij ſtibium. Duo eius genera mas, & fœmina. magis probant fœminam: horridior eſt mas, ſcabriorque, & minus ponderoſus, minuſque radians, & areno-

areноſior: fœmina contrà nitet, friabilis, fiſſuriſque non globis dehiſcens. *Plinius loco cit.*

## *Ferrum.*

PRoximè indicari debent metalla ferri, optimo peſſimoque vitæ inſtrumento. Si quidem hoc tellurem ſcindimus, ſerimus arbuſta, ponimus pomaria, vites ſqualore deciſo annis omnibus cogimus iuueneſcere. Hoc extruimus tecta, cædimus ſaxa, omneſque ad alios vſus ferro vtimur. Sed eodem ad bella cædes, latrocinia non cominus ſolum, ſed etiam miſſili volucrique, nunc tormẽtis excuſſo, nunc lacertis, nunc verò pennato: quam ſceleratiſſimam ingenij humani fraudem arbitror; ſi quidem vt ocyus mors perueniret ad hominem, alitem illam fecimus, pennaſque ferro dedimus. Obſiſtit eadem naturæ benignitas exigentis à ferro ipſo pœnas rubigine, eademque prouidentia nihil in rebus mortalius faciente, quàm quod infeſtiſſimum mortalitati. A ferro ſanguis humanus ſe vlciſcitur: contactum namque eo celerius ſubinde rubiginem trahit. *Plinius lib. 34. hiſt. nat. c. 14.*

# BRVTÆ QVADRV-PEDES.

OMnes enim animantes ſuis ex ſe pellibus texit, quò facilius poſſent vim pruinarum ac frigora ſuſtinere. ſingulis autem generibus ad propulſandos impetus externos ſua propria munimenta conſtituit; vt aut naturalibus telis repugnent fortioribus, aut quæ ſunt imbecilliora, ſubtrahant ſe periculis pernicitate fugiendi. aut quæ ſimul & viribus & celeritate indigent, aſtu ſe protegant, aut latibulis ſepiant. itaque alia eorum vel plumis leuibus in ſublime ſuſpenſa ſunt, vel ſuffulta vngulis, vel inſtructa corni-

cornibus: quibusdam in ore arma ſunt dentes aut in pedibus adunci vngues, nullique munimentum ad tutelam ſui deeſt. Si qua verò in prædam maioribus cedunt, ne tamen ſtirps eorum funditus interiret, aut in eam ſunt relegata regionem, vbi maiora eſſe non poſſunt, aut acceperunt vberem generandi fœcunditatem: vt & beſtijs quæ ſanguine aluntur victus ſuppeteret ex illis, & illatam tamen cladem ad conſeruationem generis multitudo ipſa ſuperaret.
*Lactantius lib. de Opif. Dei c. 2.*

Ex his quæ terra procreat quadrupedibus, pecuarium & armentum reperies, alias ex feritate æſtimatas morſibus vnguibuſque ſæuientes belluas, immanes & efferas ac planè formidoloſas: ſed ex manſuetis & condocefactis iumentis hominum operas adiuuant aut vectando, aut arando; illud clitellarium ſeu ſarcinarium ad onera ferenda: aliud plauſtrarium ad currus & plauſtra ducenda. Animalium alia corijs tecta ſunt, alia villis veſtita, alia ſpinis hirſuta, alia pluma, alia ſquamis obducta, alia cornibus armata, alia habent effugia pennarum. Atque in cornibus quanta diuerſitas aſpicitur? cum cornua in ramos ſparſa ceruis natura tribuerit, ſubulonibus ſimplicia; platiceroti in palmas efficta, capreis ramoſa, arietum generi in anfractum conuoluta, tauris infeſta, rupicapris in dorſum adunca, & damis in aduerſum erecta, & rugarum quaſi litarum ambitu contorta ſtrepſiceroti inter hæc palearia boues, roſtra ſues, promuſcis elephantos, arunci capras, vellera oues notant, & deſignant inſigniter.
*P. Melch. de la Cerda in Camp. Eloq. vol. 1.*

## *Leo.*

Aliter leo aurata iuba nitet, dum contrectatur, & ad patientiam recipiendi ornamenta cogitur fatigatus: aliter incultus integri ſpiritus. Hic ſcilicet impetu acer, qualem illum eſſe natura voluit, ſpecioſus ex horrido, cuius hic decor eſt, non ſine timore aſpici, præfertur illi languido & bracteato.
*Seneca epiſt. 41.*

Leonem ad timorem animantium videtur produxiſſe

xiſſe natura. Cernis vt flammeo colore rutilus accenditur? vt ſuperbè graditur, vt vaſta ſe corporis mole efferens præ ſe deſpicit omnia? quantum & quàm vegetum in hoc pondere robur? quanta in robore alacritas, quantus in ſubſtrictis membris animoſi ſpiritus dominatur vigor? Caput illi amplum maieſtatem feræ præſe fert: magni & lucentes oculi inter villoſa ſupercilia ſcintillãt, colla & armos effuſę veſtiũt iubę magna vis laterũ ſpirat, maior pectoris firmitas protuberat, maximus ſæuit oris terror, qui tutus eſt immani dentiũ rictu ſeptus. Quid genua loquar? quid tibiarũ compagẽ? quid neruorũ denſitatẽ? quid vngues, ex quibus vel ſolis leonẽ poſſis agnoſcere? quid inceſſũ, quid ſaltum, quid curſus celeritatem, quid omnia? Et cum ſit vbique magnus, quanto tamen ſe maior eſt, ſi quando venatorum ſenſerit impetum? nulla tunc mora exilit è ſpelunca, & primum truculenta rugit immanitate: ad huius rugitum pertimeſcunt, & aues cælo volantes, & per ſyluas vagantes feræ, & immerſæ maris vorticibus belluæ, ipſæ denique nemorum frondes, ipſi montium veſtitus, ipſa ſaxa contremiſcunt: hoc veluti ſigno dato accingit ſe ad pugnam; & primum longam, immanem villoſam caudam explicans terram plaudit: mox ilia percurſans, eadem veluti voluntario flagello identidem diuerberans, ad ſummum oculis eiaculatur fulgura, oris profundam voraginem aperit, dentes exerit, in hoſtes ſumma velocitate inuolat, hos cauda atterit, illos pedibus conculcat, aliorum trementes artus cruentis faucibus, fœdiſſima laceratione populatur.
*P. Cauſinus l. 2 de Eloq. deſcr. 72. ex Græcis.*

Leonem ferarum omnium, & belluarum immaniſſimarum Regem eſſe magno ſunt argumento caput, pectus, genua, inceſſus, ſaltus celeritas, curſus, viſus, iuba, os cataphractum, latera firma, nerui ſolidi, vngues magni. Ille capite firmiſſimo eſt, facie magis quadrata, quàm oſſea Quam ſpeciem habet frons in medio magis caua, eminentibus decorata ſuperciliis, qui oculos habet charopos, concauos, non admodum rotundos, magnitudine mediocri, aſpectu horribili. Rictus oris amplus, & in tantam amplitudinem labra tenuia, ita vt partes ſuperiores inferioribus ſuperiniecta ſint. Dentes habet teretes & acutos,

ceruicem rigentem, & ex vno oſſe conſtantem, nullis vertebris cohærentem. Quamobrem nullis eam articulatis oſſibus, nullis ſpondilis coniunctam flectere nequit, nullam in partem retorquere. Sed quæ ſpiritus magnitudo, quæ celſitas animi in leone videtur ineſſe, cum colla armoſque veſtiunt iubæ? quàm ſumma vis & robur in pectore? ijs coſtis, eo dorſo valde firmo munitum eſt, vt omnes ictus, & plagam omnem illatam per ferre poſſit. Cum verò crura multum roboris ac neruorum habeant, tum pedes ad incedendum & ſiſtendum ſtabiles: ſed priores quinis diſtinguuntur digitis, poſteriores quaternis, atque vnguibus armatos rapaciſſimis, & ad diſcerpendos hoſtes, & carnificinam exercendam aptiſſimos.

*P. Mel. de la Cerda in Camp. Eloq. vol. 1.*

*Vide Plinium l. 8. nat. hiſt. c. 16.*

## *Elephas.*

IMmenſum & informe animal, pene omnibus mẽbris vna mole confuſis. Merſum caput inter humeros, nec à globo multum diſpar, niſi qua proboſcis in terram deſcendit, fœdè promiſſa à naribus, & ſi color abſit, inſtar longi & tumidi anguis, neruorum circulis ita articulatim nexa, vt contrahi, laxarique, flecti etiam poſſit & eſſe pro manu. Patulæ aures vtrumque tempus tegunt. Oculi exiguo orbe ſub tumida fronte reconditi. Ebur, quo pretioſiſſimi ſunt, longè ex ore eminet, pene inſtar lituorum, niſi quod debiliori parte inflectitur.

*Barclaius Argen. lib. 4.*

## *Elephantorum pugna.*

MAgnum belluæ iniecere terrorem, inſolituſque ſtridor non equos modo, tam pauidum ad omnia animal, ſed viros quoque & ordines turbauerat. Iam fugæ circumſpiciebant locum paulo ante victores, cum Alexander leuiter armatos emiſit in belluas. Ingentem ij vim telorum iniecere elephantis, & regentibus eos. Phalanx quoque inſtare con-

ſtanter

ſtanter territis cæpit. Sed quidam auidius perſecuti belluas in ſemet irritauere vulneribus. Obtriti ergo pedibus earum, cæteris, vt parcius inſtarent fuere documentum. Præcipuè terribilis illa facies erat, cum manu arma viroſque corriperent, & ſuper ſe regentibus traderent. Anceps ergo pugna nunc ſequentium, nunc fugentium elephantos in multum diei varium certamen extraxit, donec ſecuribus, (id namque genus auxilij præparatum erat) pedes amputare cœperunt. Copidas vocant gladios. leuiter curuatos falcibus ſimiles queis appetebant belluarum manus. Nec quicquam inexpertum non mortis modo, ſed etiam in ipſa morte noui ſupplicij timor omittebat. *Q. Curtius lib. 8.*

*Quæ de Elephantis admiranda traduntur Vide apud Plinium hiſt. nat. l. 8. c. 1. & ſequen. P. Cauſinum l. 11. de Eloq. deſcr. 73. Iuſtum Lipſium Epiſt. ſel. cent. 1. epiſt. 50. P. Melch. de la Cerda in Camp. Eloq. vol. 1.*

## Monoceros.

IDem affirmant de Monocerote, quod animal vnicorne à Noſtris appellatum, pulli equini forma, colore cinereo, iubata ceruice, hircina barba, bicubitali cornu armatam frontem præfert, quod læuore candoreque eburneo, & pallidis diſtinctum ſpiris ad obtundenda, hebetandaque venena mirificam poteſtatem habere dicitur. Cornu enim immiſſo, & per lymphas circumducto fontes expiare perhibent, vt ſalubriter bibat, ſi inde viroſæ beſtiæ præpotarint. Id viuo animali non detrahi, quum vllis inſidijs intercipi nequeat. Cornu tamen ſponte deciſum in deſertis reperiri, vt in ceruis accidere videmus, qui ex ſenectæ vitijs renouante natura vetus cornu exuunt, venantibusque relinquunt. Hoc cornu regijs impoſitum menſis, toxica ſi qua ſint epulis inditio emiſſo ſtatim admirabili ſudore conuiuis prodere narrant. *Iouius hiſt. lib. 18.*

Monoceros animal eſt Indicum, ferox, horribile, truculentum; non vnam feram diceres, ſed portentum ex multis belluis in vnum coeuntibus, ad terrorem humani generis fuiſſe conflatum. Corpore eſt inſtar

equi,

equi, non modo procero ſed valenti; capite ceruo, pedibus elephanto, cauda apro, ritu leenæ ſimilis. Eminet in media fronte nigrum cornu, duorum ferme cubitorum, quo nihil aſperius natura molita eſt: neque enim vt cætera cornua, aut concinnitatem habet vllam aut læuitatem, neque pari vndique læuore riget æquabiliter diffuſum, ſed ferri lima mordacius, multiplicibus in orbem gyris conuoluitur: hoc inſolenter profuſam capitis iubam quatiens, quaſi ſtrictum mucronem, longum, minacem, noxium protendit: currit autem quàm velociſſimè, & magno ſonitu, fremituque fertur, inacceſſas montium ſolitudines, & denſiſſimos ſaltus peragrans; quod ſi aut laſciuia, aut iracundia in ſuum genus exardeſcat, furit inſaturabiliter, fodicat, vellit, infringit, laniat quacunque rapitur huc furorem, huc inſaniam, huc ſtrages concatenatas, & funera ruere crederes: at ſi forte eximia virgo proceſſerit obuiam continuo furiales animalis iræ deferueſcunt, mitteſcit animus, rectà ad virginem pergit, demittit ſe ſe, blanditur, in eius denique ſinu molliter conquieſcit.

*P. Cauſinus lib. 11. de Eloq. deſcr. 81. ex Solino, & aliis.*

## *Tigris.*

Oſtia Oxi fluminis Hyrcani habent, gens ſyluis aſpera, copioſa immanibus feris, fœtaque tygribus: quod beſtiarum genus inſignes maculis notæ, & pernicitas nobile rediderunt: fuluo nitent, hoc fuluũ & nigrantibus ſegmentis internudatum, varietatem apprimè decet; pedum motum neſcio pernicitas, an velocitas magis adiuuet: nihil tam longum eſt, quod non breui penetrent: nihil adeo antecedit, quod non illicò aſſequantur. At maximè potentia earum probatur cum maternis curis incitantur: cum catulorum inſiſtunt raptoribus. ſuccedant ſibi equites licet, & aſtu quantolibet amoliri prædam velint, niſi in præſidio maria fuerint, fruſtra eſt auſum omne. Notantur frequentiſſimè, ſi quando latrones ſuos aſportantes catulos renauigantes vident, in littore irrita rabie ſe

dare

dare præcipites, velut propriam tarditatem voluntaria caſtigantes ruina. *Solinus cap. 21.*

## *Rhinoceros.*

RHinoceros Elephanti ſimilis, longitudine par, breuior cruribus, cornu in nare habet, in quo id eſt peculiare, vt quamuis alia ſingulis animalia cornibus conſpiciantur, vt Oryx, Onager, cæteris tamen à media fronte, huic vni è naribus promineat. Cuius fiducia aduerſus Elephantem pugnare non metuit: cuius duo cingula tamquam draconum volumina cernere eſt à dorſo in ventrem vſque tantum animal circumeuntia, vnũ iubam verſus, alterum ad lumbum, frons illius eſt ornata pilis, & leuiter ruſa, dorſum flauo ſpectatum colore, & maculis diſtinctum purpureis. Pellis tamen tanta firmitate munita eſt, vt ægrè iaculo penetrari queat; nam prædenſa cernitur, ceu cruſtis quibuſdam ſquamarum compacta, colore & figurà teſtum referente teſtudinis, cornu autem illud in hanc formam figuratum, vt repandum ſit, idem modicè reflexum, breue tamen & acutum inſtar enſis, & adeo valens, vt quidquid impetierit, aut ventilet, aut perforet, ferrum etiam & ſaxa traijciat; quod contra Elephantum pugnaturus ſaxis etiam exacuit, & lenit: poſtea congrediens eo acuminato elephanti crura toto rictu ſubiens aluum petit, quam ſcit eſſe molliorem, & ſuis ictibus peruiam, eamque diſcerpit

*P. Melch. de la Cerda in Camp. Eloq. vol. 1.*
*Breuius Plinius hiſt. nat. l. 8. c. 20.*

## *Panthera.*

PAntheræ quoque numeroſę ſunt in Hyrcania, minutis orbiculis ſuperpictæ; ita vt oculatis ex fuluo circulis, vel cærulea, vel alba diſtinguatur tergi ſupellex. Tradunt odore earum & cõtemplatione armenta mirè affici, atque vbi eas perſentiſcant, properatò conuenire, nec terreri, niſi ſola oris toruitate; quam ob cauſam Pantheræ abſconditis capitibus,

quæ reliqua ſunt ſpectanda præbent, vt pecuarios greges ſtupidos in obtutu populetur ſecura vaſtatione. Sed Hyrcani, vt hominibus intentatum nihil eſt frequentius eas veneno, quàm ferro necant. Aconito carnes illinunt, atque ita per compita ſpargunt ſemitarum, quæ vbi eſæ ſunt, fauces earum angina ſtatim obſidentur: ſed pantheræ aduerſus hoc virus, excrementa humana deuorant, & ſuopte ingenio peſti reſiſtunt. lenta illis viuacitas, adeo vt eiectis interaneis mortem diu differant. *Solinus cap. 21.*
*Vide Plinium etiam lib. 7. hiſt. nat. c. 17.*

## *Camelus.*

CAmelos inter armenta paſcit oriens, quorum duo genera, Bactriani, & Arabici: differunt quod illi bina habent in dorſo tubera, hi ſingula, & in pectore alterum cui incumbant. Dentium ſuperiore ordine, vt boues, carent in vtroque genere. Omnes autem iumentorum in ijs terris dorſo funguntur, atque etiam equitantur in prælijs. Velocitas inter equos, ſed ſua cuique menſura ſicuti vires. Nec vltra aſſuetum procedit ſpatium, nec plus inſtituto onere recipit. Odium aduerſus equos gerunt naturale. Sitim & quadriduo tolerant, implenturque cum bibendi occaſio eſt, & in præteritum & in futurum, obturbata proculcatione prius aqua, aliter potu non gaudent. Viuunt quinquagenis annis, quidam & centenis. Vtcumque rabiem & ipſi ſentiunt.
*Plinius hiſt. nat. l. 8. c. 18.*

Præclarum, mite, domeſticum eſt Camelorum genus hominibus ad circumuehenda onera perquam familiare. Corpus illi ſupra cæterorum animantium ſpeciem procerum, & punctis interſtincto tergore maculoſum: caput cæteroqui amplum paulatim ad verticem graciſeſcit: ex eo geminæ cornuum ſpecies emergunt. ſuprà verò tempora ſecundum aures, duo molliter conſurgunt apices: in ore lacteus prominet numeroſa ſerie dentium nitor: oculi iucundiſſima luminis face ſcintillant: terga lata, & inſigni colliculo protuberantia: crurum non æqualis menſura: poſtici enim pedes anterioribus minores, ex quo non-
nihil

nihil claudicare videtur. Cauda talis eſt qualis ceruis aut damis eſſe ſolet, ſummis à tergo nigricantibus villis hirſuta. Ad ſummum tali eſt ingenio, vt onera quam maxima dorſo ferat, & longam viam continuo curſu deuoret; quod ſi quando conſiſtat, non vult flagris & verberibus adigi,ſed ſuaui modulatione demulceri: hac itineris labores mitigat, & veluti nouis animis ac viribus reuireſcit.
*P.Canſinus l.11.de Eloq.deſcr.77.ex Oppiano.*
*His ſimilia leges apud Solinum cap. 52.*

## *Chamæleon.*

GIgnit Africa Chamæleontem, quamquam frequentiorem Indiæ, figura, & magnitudo erat lacertæ, niſi crura eſſent recta, & excelſiora. latera ventri iunguntur vt piſcibus, & ſpina ſimili modo. Eminet roſtrum, vt in paruo haud abſimile ſuillo: cauda prælonga in tenuitatem deſinens, & implicans ſe viperinis orbibus:vngues adunci. motus tardior vt teſtudini: corpus aſperum ceu crocodilo: oculi in receſſu cauo,tenui diſcrimine prægrandes,& corpori concolores, nunquam eos operit, nec pupillæ motu, ſed totius oculi verſione circumſpicit. Ipſe celſus hianti ſemper ore, ſolus animalium nec cibo,nec potu alitur, nec alio quàm aeris alimento. circa caprificos,ferus,innoxius alioqui. Et coloris natura mirabilior. Mutat namque eum ſubinde & oculis,& cauda, & toto corpore: redditque ſemper quemcunque proximè attigit præter rubrum, candidumque. Defuncto pallor eſt. Caro in capite & maxillis, & ad commiſſuram caudæ admodum exigua, nec alibi toto corpore. ſanguis in corde, & circa oculos tantum: viſcera ſine ſplene, Hybernis menſibus latet vt lacertæ. *Plinius hiſt. nat.l.8.c.33.*

Eſt & quadrupes tardigrada, agreſtis, humilis, aſpera teſtudinem Pacuuianam putas? non eſt. capit & alia beſtiola verſiculum de mediocribus oppido,ſed nomen grande: Chamæleontem qui audieris, haud ante gnarus,iam timebis aliquid amplius cum leone. Vt cum oſtenderis apud vineam fermè ſub pampino totum,ridebis illico audaciam,& Græciam nominis:

quippe

quippe nec ſuccus eſt corpori, qui minutioribus multo licet. Chamæleon pellicula viuit, capitulum ſtatim à dorſo, nam deficit ceruix. itaque durum reflecti, ſed circumſpectu emiſſitij ocelli, imò lumi-nis puncta vertiginant. Hebes feſſus vix ſe à terra ſuſpendit, molliter inceſſum ſtupens promouet, gradũ magis demonſtrat quàm explicat, ieiunus ſcilicet ſẽper & indefectus: oſcitans veſcitur, follicans ruminat, de vento cibus. tamen Chamæleon mutare totus nec aliud valet. Nam cum illi coloris proprietas vna ſit, quid acceſſit inde ſuffunditur. Hoc ſoli Chamæleonti datum, quod vulgo dictum eſt decorio ſuo ludere. *Tertullianus lib. de pallio.*

*Eadem fere habet Solinus cap. 44.*

## *Vrus.*

TErtium eſt genus eorum qui Vri appellantur: ij ſunt magnitudine paulo infra elephantos; ſpecie, colore, & figura tauri magna vis eſt eorum, & magna velocitas. neque homini, neque feræ, quam conſpexerunt, parcunt. hos ſtudioſè foueis captos interficiunt. hoc ſe labore durant adoleſcentes, atq; hoc genere venationis exercent: & qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quæ ſint teſtimonio, magnam ferunt laudem. ſed aſſueſcere ad homines, & manſuefieri, nec paruuli quidem excepti poſſunt. amplitudo cornuum, & figura, & ſpecies multum à noſtrorum boum cornibus differt. hæc ſtudioſè conquiſita ab labris argẽto circumcludunt, atque in ampliſſimis epulis pro poculis vtuntur. *Cæſar de bello Gal. l. 6.*

## *Vrſus.*

VRſorum coitus hyemis initio: nec vulgari quadrupedum more, ſed ambobus cubantibus complexiſque Deinde ſeceſſus in ſpecus ſeparatim, in quibus pariunt trigeſimo die plurimum quinos. Hi ſunt candida informiſq; caro paulo muribus maior, ſine oculis, ſine pilo: vngues tantum prominent,

hanc

hanc lambendo paulatim figurant. Nec quicquam rarius, quàm parientem videre vrſam. Hyeme mares quadragenis diebus latent, fœminæ quaternis menſibus. Specus ſi non habuere, ramorum fruticumque congerie ædificant, impenetrabiles imbribus, mollique fronde conſtratos. Primis diebus bis ſeptenis tam graui ſomno premuntur, vt ne vulneribus quidem excitari queant. Tunc mirum in modum veterno pingueſcunt. illi ſunt adipes medicaminibus apti contraque capilli defluuium tenaces. Ab ijs diebus reſidunt, ac priorum pedum ſuctu viuunt. fœtus rigentes apprimendo pectori fouent. non aliter quam incubitu oua volucres. mirum dictu, credit Theophraſtus, per id tempus coctas quoque vrſorum carnes, ſi aſſeruentur increſcere: cibi tunc nulla argumenta, nec niſi humoris minimum in aluo inueniri, ſanguinis exiguas circa corda tantum guttas, reliquo corpori nihil ineſſe. Procedunt vere ſed mares prapingues. cuius rei cauſa non prompta eſt; quippe nec ſomno quidem ſaginatis præter quatuordecim dies, vt diximus. Exeuntes herbam quandam aron nomine laxandis inteſtinis, alioqui concretis deuorant, circaque ſurculos ſentium prædomantes ora. Oculi eorum hebetantur crebrò: qua maximè cauſa fauos expetunt, vt conuulneratum ab apibus os leuet ſanguine grauedinem illam Inualidiſſimum vrſo caput: ideo vrgente vi, præcipitaturi. ſe ex aliqua rupe, manibus eo operto iaciuntur, ac ſæpe in arena colapho infracto exanimantur. Ingrediuntur & bipedes. arborem auerſi derepunt. Tauros ex ore cornibusque eorum pedibus omnibus ſuſpenſi, pondere fatigant. nec alteri animalium in maleficio ſtultitia ſolertior. *Plinius hiſt. nat. l. 8. c. 36.*

*Videndus Solinus cap. 29.*

## *Vrſæ fœtus.*

COgitare recentem ab Vrſę partu catulum, quem hiſtoriographi tradunt inter primos natales portento, quàm animali propiorem, nec lineamentis ſuis digeri, neque membris artubuſque diſtingui, neque modulis figurari; ſed imbellem maſſam, ipſiq; etiam

etiam matri metuendam velut abortum proijci: nec eum niſi crebro deinde linatu, ad formam aliquam, naturamque confingi. Scilicet tanti non fuerat deformem peperiſſe, quanti laboris eſt eundem refingere.
*P. Bidermanus l. 1. Acroa. 2. num. 32.*

## *Equus.*

INdicamus nos venientibus legatis veſtris more gentium ſuſcepiſſe pretia deſtinata, equos argenteo colore veſtitos, quales decuit eſſe nuptiales. Quorum pectora vel crura ſphæris carneis decenter ornantur: coſtæ in quandam latitudinem porriguntur aluus in breuitate conſtringitur: caput ceruinam reddit effigiem, imitantes velocitatem, cuius videntur habere ſimilitudinem. Hi ſunt ſub pinguedine nimia manſueti, magna mole celerrimi, aſpectibus iucundi, vſibus gratiores: incedunt enim molliter, ſeſſores ſuos inſanis feſtinationibus non fatigant: quieſcitur potius in ipſis quàm laboretur, & compoſiti delectabili moderatione, agilitate norunt continua perdurare.
*Caſſiodorus Variar. l. 4. epiſt. 1.*

Cum in equo quatuor ſpectanda ſint, color, forma, meritum, & pulchritudo, hi colores præcipui ſunt, bladius, aureus, albineus, rufus, murteus, ceruinus, giluus, ſcutulatus, albus, niger, preſſus; fortiſſimus autem illorum laudabitur magnopere, qui à teneris didicit laborem ferre, altius ingrediens, & reponens crura molliſſimà, primus viam inire reliquis præire, fluuios traijcere tumentes, & incitatos, & ignoto ponti committere se ipſum audet, nullos ſtrepitus, nullos fragores exhorret. Ea autem eſt compoſitione oris, & conformatione corporis, vt ardua ceruice, arguto capite, breui aluo, obeſo tergo luxuriante thoris, animoſo pectore. Si vero datum fuerit ſignum committendi prælij, & procul armorum horror ingruere viſus fuerit, & campi latè armatorum millibus occupati buccinæ clangore perſonuerint, ſtare loco neſciat, & in arma, in prælia furens præcepſque feratur, micet auribus, & tremat totis artubus, & compreſſum, concluſumque intus ignem naribus efflet,

ſlet, multiplici hinnitu, horrendoque fremitu complens omnia, denſis admodum iubis iactatis, ac dextro in armo recumbentibus, duplici ſpina quæ per lumbos agatur, ducaturq; fodiat ictu terram quacunq; tranſierit vehementi, vbicunque fuerit ſolido cornu ſemper vngula perſonante.
*P. Melch. de la Cerda in Camp. Eloq. vol. 1. ex. Virg.*

## *Equi Docilitas.*

EQuorum docilitas tanta eſt, vt vniuerſus Sybaritani exercitus equitatus ad ſymphoniæ cantum ſaltatione quadam moueri ſolitus inueniatur. Iidem præſagiunt pugnam, & amiſſos lugent dominos, lacrymaſq; interdum deſiderio fundunt. Interfecto Nicomede rege equus eius inedia vitā finiuit. Ingenia eorū inenarrabilia iaculantes obſequio experiuntur, difficiles conatus corpore ipſo nixuque inuitantium. Iam tela humi correpta equiti porigunt. Nam in Circo ad currus iuncti, non dubiè intellectum adhortationis & gloriæ fatentur. Claudij Cæſaris ſæcularium ludorum Circenſibus excuſſo auriga in carceribus, albati equi palmam occupauere, primatum obtinuere oppoſita effundentes, omnia quæ contra æmulos debuiſſent peritiſſimo auriga inſiſtente facientes: cum puderet hominum artes ab equis vinci peracto legitimo curſu ad metam ſtetere.
*Plinius l. 8. hiſt. nat. c. 42.*

Vidiſtis aliquando intractatum ac ferocientem equum, calcitronem mordacem, cubitorem, ad omnes habenarum flexiones conuerſioneſq; moroſum, alligate eum ſi placet ad palum, date illi domitorem generoſum, atque bene peritum, qui non verbera ſolum, ſed induſtriam ſingularem adhibeat ad domandum: breui vſualem equum habebitis, condocefactum, facilem, tractabilem, qui leuiore modo curſu, modo pleniore, laxis tum habenis incitatiore feratur, inde tolutarius molliter, inde gradarius incedat, tum ſubſultim, tum ſaltuatim, qui modo in gyrum ſe commodè flectat, mox aperto curriculo præcipiter, ſubitoque ex incitato curſu conſiſtat, qui declinet, incurſet idem atque

inuadat, qui latus præbeat, poſtremò quaſi ductili ac lento corpore ad ſeſſoris ſe ſtatim mores componat, in omnemque partem inflectat,
*Ex Palatio Floq. exerc. 2 lect. 7. pun. 2.*

Equum puſillum deformem circumducebat agyrta quidam, cuius iuſſu atque etiam ſolo interdum nu tu, mira ille faceret. Ambulare, ſuccuſſim properare, currere, ſaltare vel quadrupes, vel bipes. Vinum bibere vidimus, in clunibus ſedentem anteriores pedes ad pateram ferre. Peluim ſine malluuium cruribus ſuſtinere, quaſi à tonſore lauaretur Humo ſe ſternere, proiectum atque etiam porrectum iacere: ciliorum compreſſione annuere, caput ad heri nutum tollere, in terga vertere, ſupinum cubare.
*Lipſius cent. 3. ad Belg epiſt. 56. ex Scalig.*

## *Equi inceſſu vario gradientes.*

PRimus ſe in conſpectum dedit Iouianus Pontanus, ſatiſq; oſtendit ab ſe referri Papinium Statium popularem ſuum. Prealto ferebatur impoſitus equo, cui non vulgaris in inceſſu gradus, ſed ſonora alterno crurũ explicatu glomeratio videbatur. *Quadrupedante putrem ſonitu quatere vngula campum.* proximus ibat Balthaſar Caſtilionius Claudiano ſimilis: gradario inſidens equo, peregrinis phaleris bracteiſque tinnientibus inſtratus. At Herculi Strozza, qui P. Ouidij perſonam gerebat, longè aliud ornamentum. expeditus in equulo ſtatim emicuit; nec facilè apparuiſſet in ea hominum frequentia, equeſne an pedes iret, niſi acrem volucremque belluam agitator ipſe callidus in omnem partem ingenioſè flectendo, omniũ admirationem, quo ſe cumq; moueret, excitaſſet. Interea exaudiri è proxima vicinia Bætici fragor equi, ac turba latè calcibus ſubmoueri. Erat hic Ianus Parrhaſius Annæum Lucanum referens: qui dum quadrupedem paſſim fatigat, eumque modò tolutim, ac volutatim cedere, modo ſe in aera ſaltu librare docet, nactus equum refractarium & caducum, excuſſo in terram galericulo, minus bellè pompam equeſtrem dabat.
*P. Famianus lib. 2. prol. 5. Acad. 1.*

*Bonus,*

## *Bonus, & malus Equus.*

BOnus, inquit, excellentiori habitu eſt ſpecie ſublimis erectaque ceruice, nigricantibus quidem oculis, ſed ipſe colore candidus, conſpectuque toto nitidus, honoris vbique appetens, ac temperantiæ pudoriſque mirè particeps, ſtimulis nunquam aut virgæ nutu, ſed cohortatione plauſuque ſemper in gyrum rationis flecti ſolitus. At alter contra deformis intortus, capito, peruicax, temere proſiliens, aut reſtitans, anguſto & cadente collo, colore ferrugineo, cæſijs oculis ſanguineque ſuffuſis, hirſutis auribus ac ſurdis, vixque flagello ac ſtimulis obtemperans. *P. Famianus lib. 1, prol. 5.*

## *Malus Equus.*

OMitte equum, cuius caput graue, & carnoſum fuerit, aures magnæ, nares anguſtæ, oculi caui, ceruix oblonga iuba parum piloſa, pectus anguſtum, & latera parum carnis habentia, lumbi acuti, coxæ aſperæ, crura duriora & tarda ad motum, genua ægrè flexilia, parum mollia, femora parum ſolida, tibiæ varicoſæ, cynepodes craſſi, tenues vngues, & vngulæ planè carnoſę. Pauidus, & qui paſſim ad inanes vmbras conſiſtere, retrocedere, à via diſcedere cernitur *P. Melch. de la Cerda in Camp. Eloq. vol. 1.*

## *Bos.*

QVid de bubus loquar? quorum ipſa terga declarant non eſſe ſe ad onus accipiendum figurata; ceruices autem natæ ad iugum, tum vires humerorum, & latitudines ad aratra extrahenda: quibus cum terræ ſubigerentur, fiſſione glebarum ab illo aureo genere, vt poetæ loquuntur, vis nulla vmquam afferrebatur. tanta autem putabatur vtilitas percipi è bubus, vt eorum viſceribus veſci ſcelus haberetur. *Cicero lib. 2. de nat. deor.*

Parandi ſunt boues nouelli, quadrati, grandibus membris, cornibus proceris ac nigrantibus & robuſtis, fronte lata & criſpa, hirtis auribus, oculis & labijs nigris, naribus reſimis patulíſque, ceruice longa toroſa, palearibus amplis, & ad genua pæne promiſſis, pectore magno, armis vaſtis, capaci & tanquam implente vtero, lateribus porrectis, lumbis latis: dorſo recto planoque, vel etiam ſubſidente, clunibus rotundis, cruribus compactis ac rectis, ſed breuioribus potius quam longis, nec genibus improbis, vngulis magnis, caudis longiſſimis & ſetoſis, piloſiſque, corpore denſo breuique, colore rubeo, vel fuſco, tactu corporis molliſſimo.

*Collumella de re ruſt. lib. 6. c. 1.*

Qui gregem armentorum emere vult, obſeruare debet vt ſint hæ pecudes bene compoſitæ, integris membris oblongæ, amplæ, nigrantibus cornibus, latis frontibus, oculis magnis, & nigris, piloſis auribus, compreſſis malis, ſubſimiſue, gibberi ſpina leuiter remiſſa, apertis naribus, labris ſubnigris, ceruicibus craſſis ac longis, à collo palearibus demiſſis, corpore amplo, bene coſtatæ, latis humeris, bonis clunibus, cauda profuſa vſque ad calces, vt habeant inferiorem partem frequentibus pilis ſubcriſpam, cruribus potius minoribus, rectis genibus, eminulis, diſtantibus inter ſe, pedibus non latis, neque ingredientibus, qui diſplodantur, nec cuius vngulæ diuaricent, corium attactu non aſperum, ac durum, colore potiſſimum nigro dein rubeo, tertio heluo, quarto albo.

*M. Varro de re ruſt. lib. 2. c. 5.*

## *Taurus.*

TAuris in aſpectu generoſitas, torua fronte, auribus ſetoſis, cornibus in procinctu dimicationem poſcentibus. Sed tota comminatio prioribus in pedibus ſtat ira gliſcente alternos replicans, ſpargenſque in altum arenam, & ſolus animalium eo ſtimulo ardeſcens. Vidimus de imperio dimicantes, & ideo demonſtratos rotari, cornibus cadentes excipi iterumque reſurgere, modo iacentes ex humo tolli, bigarumque etiam curſu citato, velut aurigas inſiſte-

re.

ræ. Hinc victimę opimæ, & lautiſſima Deorum placatio. Huic tantum animali omnium, quibus procerior cauda non ſtatim nato conſumatæ vt cæteris menſuræ: creſcit vni, donec ad veſtigia ima perueniat.
*Plinius hiſt. nat. l. 8. c. 45.*

## *Lupus.*

VIde prægrandem & atrum Lupum, eumque ferociſſimum ouibus infeſtum, quarum carnes appetit, in ſpeciem & ſimilitudinem canis, ore, & dentibus valens, rigenti collo, humeris latis, hirſutis femoribus, vlulat horrendum in modum, & toto impetu fertur illo rictu ſuo ampliore, os quàm maximè diducens, vt maiore vi mordere queat, inuadit in feras voraciſſimus, & prope inſatiabilis, pilos & oſſa deuorat, & multa ſolida. Qui ferox adeo & inſidioſus, audax & doloſus, vt eorum rapax natura fert. Vbi caulas intrauit, non ſolum interficit quod ſatis eſſet ad ventrem, ſed magnam partem gregis iugulat. Præterea cum Lupi ſint immanes & crudeles, vt homines inſidias moliantur: circumagi ſcias illos, in orbes conuerti plures, deinde excurrere, donec ex vertigine currendi & caligine, eorum aliquis lapſus eſt, quem illico ſtratum hu mi cæteri omnes impetu facto dilaniant.
*P. Melch. de la Cerda in Camp. Eloq. vol. 1.*

## *Simia.*

SImiæ dictæ ſunt, quod ſimæ ſint & naribus depreſſis, vel quaſi mimæ & imitatrices, fæda ſanè facie & deformi cernuntur, quæ quanquam hac deformitate ſint & fœditate prędite, tamen hominis faciem referunt, ſed rotundam. tam prona, quàm ſupina corporis parte tote piloſæ ſunt, & craſſiore pilo veſtiuntur. Congruunt cum homine facie, vt aures, nares, dentes tam primores, quàm molares hominis more habeant. ad hæc habent brachia, manus, digitos, vngues hominis ſimiles, verùm omnia rudiora, efferatioraque. adde lacertos & femora breuia pro-

portione cubitorum & tibiarum. Simia quemuis ludum docetur, natum ad imitationem animal: ſed vitia potius quàm recte facta hominum imitatur: triſtis, fraudulenta cernitur; nunquam ita manſueta, vt veterem omnino feritatem exuat: rabie agitatur aliquando, facit impetus cœcos & vehementes. Iudendi ſtudioſa delectatur ludendo cum pueris, cum canibus, ſaltare cupit, & numeros in ſaltatione ſeruare.
*P. Melch. de la Cerda loco ſup. cit.*

## *Ceruus.*

CEruus eſt procera corporis figura, præcellenti forma, lata facie, magnis & inſignibus oculis tergore varijs maculis interſtincto: huic obæſa pectora, & ingentes armi decorè protuberant: crura ad pernicitatem curſus aptiſſima molliter gracileſcunt: nares patulis foraminibus veluti quatuor ſiphonibus conciſæ ingentem ſpiritum hauriunt, & identidem crebris flatibus emittunt. Ceruix minuta atque elegans protenditur, ſed præcipuum in cornibus miraculum: nemus diceres denſis præaltiſque arboribus conſitum, & longis ramorum flexibus intertextum. Hoc illi natura præſidium aduerſus venatores dedit, quo ſi ſemel obuios perculerit, lethaliter vulnerat. Sed in hac membrorum ſpecie, & decori corporis quadam maieſtate deſidet imbellis animus, qui non ita ſæpè laceſſit Matrem, adeo omnem ſalutis & vitæ ſpem collocat in fuga; currit enim quam velociſſimè, Parthiam ſagittam crederes, aut fulgur, tam pernici tam violento concitatur impetu.
*P. Cauſinus. de Eloq. lib. 11. ex Oppiano.*

## *Sus.*

IN omni ſpecie quadrupedum ſpecies maris diligenter eligitur, quoniam frequenter patri ſimilior eſt progenies quàm matri. Quare etiam in ſuillo pecore probandi ſunt totius quidam corporis amplitudine eximij, & qui quadrati potius, quàm qui longi, aut rotundi ſunt, ventre promiſſo, clunibus vaſtis, nec

proinde

proinde cruribus aut vngulis proceris, amplæ & glandulosæ ceruicis, roſtris breuibus ac reſupinis. *Columella de re ruſt. l. 7. c. 9.*

Ergo qui ſuum gregem vult habere idoneum, eligere oportet primum bona forma. Ea eſt cum amplitudine membrorum, præterquam pedibus, capite vnicolores potius quàm varias. Cum hæc eadem vt habeant verres videndum, tum vtique ſint ceruicibus amplis, boni ſeminis. Sues animaduertuntur à facie & progenie, & regione cæli. A facie, ſi formoſi ſunt verres & ſcrofa. A progenie, ſi porcos multos pariunt. A regione, ſi potius ex his locis vbi naſcuntur, amplas quàm exiles pararis. *M. Varro de re ruſt. l. 2. c 4.*

## *Lepus.*

LEporum tria genera ferè ſunt. Vnum Italicum hoc noſtrum pedibus primis humilibus, poſterioribus altis, ſuperiore parte pulla, ventre albo, auribus longis: qui lepus dicitur, cum prægnans ſit, tamen concipere. In Gallia tranſalpina, & Macedonia fiunt permagni; in Hiſpania, & Italia mediocres. Alterius generis eſt quod in Gallia naſcitur ad alpes, qui hoc fere mutant, quod toti candidi ſunt. Tertij generis eſt quod in Hiſpania naſcitur, ſimilis noſtro lepori ex quadam parte, ſed humile, quem cuniculum appellant. *M. Varro de re ruſt. l. 3. c. 12.*

## *Aries & Ouis.*

ITaque non ſolum ea ratio eſt probandi arietis, ſi vellere candido veſtitur, ſed ſi palatum atque lingua concolor lanæ eſt. Nam cum hæ corporis partes nigræ, aut maculoſæ ſunt, pulla, vel etiam varia naſcitur proles multoque minus ipſa vniuerſitas tergoris maculis variet. Habitus autem maximè probatur, cum eſt altus; atque procerus, ventre promiſſo atque lanato, cauda longiſſima denſique velleris, fronte lata, teſtibus amplis, intortis cornibus: non quia magis hic ſit vtilis (nam eſt melior muti-

lus aries ) ſed quia minimè nocent intorta potius quam ſurrecta & patula cornua. Oues mercaberis intonſas: variam & canam comam improbabis, quod ſit incerti coloris. Maiorem trima dente minacem ſterilem repudiabis. eligies bimam vaſti corporis ceruice prolixa, prolixi villi nec aſperi, lanoſi & ampli vteri: nam vitandus eſt glaber & exiguus. *Columella de re ruſt. l. 7. c. 3.*

## *Ouis Americana.*

GEnus habent quadrupedis admirandum, quod Lamam indigenæ, noſtri verò corporis menſuram ac formam ſecuti, transmarinam, aut Indicam Ouem m dicunt. Eſt hoc animal non ſolum carne, corio, lana dominis ſuis vtibile, ſed iumento præterea fungitur, vectandis geſtandiſque ſarcinis, & molibus peridoneum. Dimidio grauantur illius, quod muli geſtarent. Ne quis autem de diſpendio maioris ponderis queratur, parſimonia victus & apparatus eam iacturam ſarciunt. Nam minimo cultu ſtabulantur, diario perquam parabili vilique pabulantur, & hordeum neque datum faſtidiũt, neque negatum imminutumque requirunt. Phaleras, habenas, accinctum ignorant. Dorſa geſtationis aſſuetudine durantur in callum, tanquam natiuas inclitellas. quodque firmitudinis argumentum maius eſt; inſoleatæ quoque ſub quibuſuis oneribus incedunt, naturæ beneficio conceſſis vngulis in aſſiduitatem ſubarmatæ. *P. Io: Biſſelius Argon. lib. 12. num. 8.*

## *Hircus Americanus ex quo lapis Bezuar.*

EſSt in ijsdem montibus animal quadrupes, Guanacos & Vicunnas appellant, genus caprarum & hircorum Americæ ſylueſtrium: eſt enim verè quadam, vt plurimum hirci ſpecie qualem Orientalis Indiæ paſtores norunt, ſed planè cornibus exarmatum; colore præterea rufo, pernicitateque ſtupenda,

da, quam auget ipſe naturæ pauor; formidine fugaciſſima, quoſuis ad motus ignoti ſoni, ſtrepitusque ſuſpicax & auerſus. Pelli ventris marſupium natiuum geſtat adſutum, in quo recondit, & creberrima volutatione retractat herbas quibus non niſi ſaluberrimis ex omni montium delectu paſcitur. Harum lento de ſucco, gemma ſeu lapis innaſcitur animalis aluo, nec alijs ſcilicet, quàm illius ipſius loculi latebris: quem Bezuarem etiam noſtrates pharmacopæi dicunt: magnitudine dimidium oui gallinacei non rarò ſuperante.

*P. Io: Biſſelius Argon. lib. 14. num. 6.*

## *Caper, & Capra.*

CAper cui ſub maxillis binæ verruculæ collo dependent, optimus habetur, ampliſſimi corporis, cruribus craſſis, & plena & breui ceruice, flaccidis & prægrauantibus auribus, exiguo capite, nigro denſoque & nitido atque longiſſimo pilo. Capella præcipuè probatur ſimillima hirco, quem deſcripſimus, ſi etiam eſt vberis maximi, & lactis abundantiſſimi. *Columella de re ruſt. l. 7. c. 6.*

## *Aſinus.*

IAmque alternis conatibus libratis brachijs in auem ſimilem geſtiebam. Nec vllæ plumulæ, nec vſquam pinnulæ; ſed planè pili mei craſſantur in ſetas, & cutis tenella duratur in corium; & in extimis palmulis perdito numero toti digiti coguntur in ſingulas vngulas, & de ſpinæ meæ termino grandis cauda procedit. Iam facies enormis, & os prolixum, & nares hiantes, & labia pendula. Sic & aures immodicis horripilant auctibus.

*Apuleius l. 3. metam.*

## *Canis.*

CAnum verò tam fida cuſtodia, tamque amans dominorum adulatio, tantumque odium in externos, & tam incredibilis ad inueſtigandum ſagacitas narium, tanta alacritas in venando, quid ſignificat aliud, niſi ſe ad hominum commoditates eſſe generatos. *Cicero l.2. de nat. deor.*

## *Canis cuſtos gregis.*

VIllæ cuſtos eligendus eſt ampliſſimi corporis, vaſti latratus, canorique, vt prius auditu maleficum, deinde etiam conſpectu terreat; & tamen nonnunquam ne viſus quidem horribili fremitu ſuo fuget inſidiantem: ſit autem coloris vnius, iſque magis eligatur albus in paſtorali, niger in villatico: nam varius in neutro eſt laudabilis. probatur quadratus potius quàm longus, aut breuis; capite tam magno, vt corporis videatur pars maxima: deiectis & propendentibus auribus, nigris vel glaucis oculis acri lumine radiantibus, amplo villoſoque pectore, latis armis, cruribus craſſis, & hirtis, cauda breui, veſtigiorum articulis & vnguibus ampliſſimis. Hic erit villatici Canis ſtatus præcipuè laudandus. mores autem neque mitiſſimi, neque rurſus truces atq; crudeles, quod illi furem quoque adulantur, hi etiam domeſticos inuadunt: ſatis eſt ſeueros eſſe nec blandos, vt nonnunquam etiam conſeruos iratius intueantur, ſemper excandeſcant in exteros Maximè autem debent in cuſtodia vigilaces aſpici, nec erronei, ſed aſſidui; circumſpecti magis quàm temerarij, nam illi niſi quod certum compererunt non iudicant, hi vano ſtrepitu & falſa ſuſpicione concitantur. *Columella de re ruſt. l 7. c. 12.*

Primum ætate idonea parandi, quod catuli & veteli neque ſibi, neque ouibus ſunt præſidio, & feris beſtijs nonnunquam prædæ facie debent eſſe formoſi, magnitudine ampli, oculis nigrantibus aut rauis, naribus congruentibus, labris, ſubnigris aut rubicundis

dis neque reſimis ſuperioribus, nec pendulis ſubtus, mento ſuppreſſo, & ex eo enatis duobus dentibus dextra,& ſiniſtra, paulo eminulis ſuperioribus, directis potius quàm brocchis, acutos quos habeant labro tectos; capitibus & auriculis magnis ac flaccis, craſſis ceruicibus ac collo, internodijs articulorum longis, cruribus rectis, & potius varis quàm vatijs, pedibus magnis & altis qui ingredienti ei diſplodantur, digitis diſcretis, vnguibus duris ac curuis, ſolo nec vt corneo, nec nimium duro, ſed vt fermentato ac molli; à feminibus ſummis corpore ſuppreſſo, ſpina neque eminula neque curua, cauda craſſa latratu graui, hiatu magno, colore potiſſimum albo.

*M. Varro de re ruſt. l. 2. c. 9.*

## Canis Venaticus.

CAnis ſi abſolutum modo videre deſideras, talis eſt. Corpus illi procerum, & validum; caput amplum, laue, bene oculatum, lumina miti fulgore cærulea in oculis ardeſcunt: os oblongum,& pulchra dentium pectinatim coeuntium ſerie bene ſerratum, aures modicæ delicata obducuntur cute, ceruix protenſa, robuſta pectora, ampli latique armi, obliquę coſtarum ſeries, craticulatimque diſtinctæ, lumbi modica carne ſufferti nec prærpingues ſunt nec macilenti, crurum rectæ, & mollibus internodijs prolixæ tibiæ, Anteriores pedes poſticis breuiores, cauda gracilis & promiſſa ad talos vſque deſinit.

*P. Cauſinus de eloq. l. 11. ex Oppiano.*

Canis venaticus, qui maximè venatoribus probatur, celer, & mediocriter robuſtus eſſe debet, qui cum incredibili ſit ad inueſtigandum ſagacitate narium, ſimul atque odoratus fuit ſagaciſſimè feram, latratu ſtatim excitare poſſit, aduolantem mira celeritate perſequatur, neque deſiſtat, quoad à venatoribus incitatus magis ac magis ad inſequendum, currat,& inuolet vſque eo, quoad conſequatur leporem ore capiat, & ex illo deferat pendentem ad herum nullo modo affectum. Quod ſi valentiſſima fuerit & robuſtiſſima fera, vt capere non poſſit, morſu vrgeat, premat, defatiget, quoad curſu deſiſtat. &

venatores comprehendant occiſam venabulo, vel adigant in retia.
*P. Melch. de la Cerda in Camp. Eloq. vol. 1.*

## *Canis horti cuſtos.*

PLacet igitur excubitor Canis (vt minutas prætercam notas) vſu villaticus, aut paſtoralis, ne Draconis Heſperidum fideles excubiæ deſiderentur: educatione placidus in domeſticos, implacabilis in exteros ne blanditijs corrumpatur: toroſo corpore robuſtus, vt cominus: vaſto latratu canorus, vt eminus: arduo ſtatu minax, vt vtrinque terreat inſidiantes: oculis ſanguinea luce ſuffuſis fulgurans vt dentium fulmina protendat audacibus: villo niger, vt luce clara terribilior furibus conſpiciatur, vtque in tenebris nocti concolor penitus inuiſum ad hoſtes acceſſum habeat. Huiuſmodi canem interdiu captiuum vinculis contineto, vt noctu manumiſſus & libertus excubias agat alacrior.
*P. Ferrarius in flora lib. 1. c. 4.*

## *Canis pugna cum Elephanto.*

INdiam petenti Alexandro Magno Rex Albaniæ dono dederat inuſitatæ magnitudinis vnum: cuius ſpecie delectatus iuſſit vrſos, mox apros, & deinde damas emitti, contemptim immobili iacente eo. Qua ſegnitie tanti corporis offenſus Imperator generoſi ſpiritus, eum interimi iuſſit. Nuntiauit hoc fama regi. itaque alterum mittens, addit mandata, ne in paruis experiri vellet, ſed in leone, elephantoue. Duos ſibi fuiſſe: hoc interempto, præterea nullum fore. Nec diſtulit Alexander, leonemque fractum protinus vidit. poſtea elephantum iuſſit introduci, haud alio magis ſpectaculo lætatus. Horrentibus quippe per totum villis, ingenti primum latratu intonuit: mox ingruit aſſultans, contraque belluam exurgens, hinc, & illinc artifici dimicatione, quà maximè opus eſſet, infeſtans atque euitans, donec aſſidua

dua rotarum vertigine afflixit, ad caſum eius tellure concuſſa. *Plinius hiſt. nat. l. 8. c. 40.*

*Videndus Lipſius cent. 1. epiſt. ad Belgas ep. 44. vbi multa de Canibus.*

## *Animal quod Pigritiam dicunt.*

VAlde etiam inuſitata & effigie & naturà eſt animal, quod ab re ipſa Luſitani Pigritiam appellant, Cerigonum fere magnitudine, ſed roſtro fœdiore ad aſpectum, & vnguibus ad digitorum ſimilitudinem promi[n]entibus. Huic ex occipitio exiſtens coma ceruicem velat, lentoque ipſa ventris adipe verrit humum, neque vnquam in pedes exſurgit: denique tàm tardè mouetur, vt quindecim ipſis diebus ad lapidis iactum continuo tractu vix prodeat. Victitat arborum folijs, & in earum cacuminibus degit plerunque: quarum in aſcenſu biduum circiter, tantundem in deſcenſu ponit. neque verò adhortationibus tantum, aut minis, ſed ne plagis quidem fuſtibuſue beſtiam vel tantillum de inſita ignauia ac tarditate dimoueas. *P. Maffeius lib. 2. hiſt Ind.*

Nouum belluæ genus patrum memoria Luſitani in India reperere: ferum cui ab re ipſa indoleq; nomen Pigritiæ indiderunt. Quo quidem nullo nomine alio rectius inſigniri monſtrum id potuiſſe mox intelligetis. Eam enim feram ſcribunt lento ventris adipe humum verrere; & ingluuie præpinguem nunquam in pedes aſſurgere: denique vel aſſiduè reptando tam lentè ſegniterque moliri, vt ipſis quindecim diebus continuo motu ad teli iactum peræg[r]è progrediatur. interim vrgeas licet, miniſque in excitanda torpedine aſſiduis inſtes; fatigari te quidem aiunt poſſe, belluam verò digitum vnum promoueri non poſſe. Quod ſi plagas poſtremò fuſteſque lateri impingas, ſi tundas itidem & contundas, negant aliud lucri te reportaturum, quàm vt ingenio ſuo tardam, artificio tuo reddas tardiorem.

*P. Bidermanus l 3. acroa. 6 pun. 65.*

*Aliæ deſcriptiones, quibus non tam figura corporis, quàm mores animalium exprimuntur, ſunt apud Plinium toto lib. 8.*

SER-

# SERPENTES.

## *Aſpis.*

QVod ad ſerpentes attinet, vulgatum eſt colorē pleroſq; terræ habere, qua occultentur. Colla aſpidum intumeſcere nullo ictus remedio, præterquam ſi confeſtim partes contactæ amputentur. Vnus huic tam peſtifero animali ſenſus, vel potius affectus eſt. Coniuga ferme vagantur, nec niſi cum compare vita eſt: itaque alterutra interempta, incredibilis alteri vltionis cura. Perſequitur interfectiorem, vnumque eum in quantolibet populi agmine notitia quadam infeſtat, perrumpit omnes difficultates, permeat ſpatia, nec niſi amnibus arcetur, aut præceleri fuga. Non eſt fateri rerum natura largius mala, an remedia genuerit. Iam primum hebetes oculos huic malo dedit, eoſque non infronte ex aduerſo cernere, ſed in temporibus; itaque excitatur ſæpius auditu, quam viſu.

*Plinius l. 8. hiſt. nat. c. 23.*

## *Baſilicus.*

BAſilicus ſerpens eſt pene ad ſemipedem longitudinis alba quaſi mithrula lineatus caput. Nec hominis tantum, vel aliorum animantium exitijs datus, ſed terræ quoq; ipſius, quam polluit & exurit, vbicunque ferale ſortitur receptaculum. Denique extinguit herbas, necat arbores, ipſas etiam corrumpit auras ita vt in aera nulla alitum impune tranſuolet infectum ſpiritu peſtilenti. Cum mouetur, media corporis parte ſerpit, media arduus eſt & excelſus. Sibilum eius etiam ſerpentes alij perhorreſcunt; & cum acceperint fugam quæ quoquo poſſunt propenant. Quicquid morſu eius occiditur, non depaſcitur fera, non attrectant volucres. Muſtelis tantum vincitur, quas illuc homines inferunt cauernis, in quibus delite-

delitesſcit. Vis tamen ne defuncto quidem deeſt. Denique Baſiliſci reliquias amplo ſeſtertio Pergameni compararunt; & vt ædem Apollinis manu inſignem nec araneæ intexerent, nec alites inuolarent, cadauer eius reticulo aureo ſuſpenſum ibidem locarunt.
*Solinus cap. 29.*

### *Draco.*

SEd prodeuntem inde libertum ſuum dum vigilatè expectat; ecce tibi, monſtrum horrendum, informe, ingens: draco viſu dictuque terribilis, immanis bellua. Recedere oculi exſangues, ſtare iubata ceruix, criſtatus rigere vertex, dehiſcere rictus, lingua ſeſquipedem exerta minari, corpus omne ſquamis varium, & loricatum horrere, caudæ volumen tractu lubrico in mille ſpiras glomerari. Quid multis? monſtrum horrendum, informe, ingens proreperе.
*P. Bidermanus l. 1. acroa. 3 pun. 38.*

*Alias huius generis deſcriptiones vide apud Plin. l. 8. hiſt. nat. c. 20.*

# ANIMALIA INSECTA TERRESTRIA.

### *Bombyx.*

BOmbyces & in Co inſula naſci tradunt, cupreſſi, terebinthi, fraxini, quercus florem imbribus decuſſum terræ halitu animante. fieri autem primo papiliones paruos nudoſque, mox frigorum impatientia villis inhorreſcere, & aduerſum hyemem tunicas ſibi inſtaurare denſas, pedum aſperitate radentes foliorum lanuginem in vellera. Hanc ab his cogi, ſubigique vnguium carminatione, mox trahi inter ramos, tenuari ceu pectine. poſtea apprehenſam corpori

pori inuolui nido volubili. Tum ab homine tolli, fictilibuſque vaſis tepore, & furfurum eſca nutriri; atque ita ſubnaſci ſui generis plumas, quibus veſtitos ad alia penſa dimitti. Quæ verò cœpta ſint lanificia, humore leteſcere, mox in fila tenuari iunceo fuſo. *Plinius hiſt. nat. l.11. c.23.*

Fertur hic corniger vermis conuerti primum in ſpeciem erucæ, atque in eam mutari naturam; inde proceſſu quodam fieri bombilius: nec eam tamen formam figuramque cuſtodit, ſed laxis & latioribus folijs videtur pennas aſſumere Ex huius folijs mollia illa Seres depectunt vellera, quæ ad vſus ſibi proprios diuites vendicarunt.

*P. Cauſinus de eloq. l.11. ex S. Ambroſio.*

Nam quid ego de Bombyce dicam? eſt illi fœminarum ſinus auſpicium vitæ. ſcilicet fouetur pectore & complexu arcetur illecebra etiam nondum nata. illaqueatur animus cura, antequam fila ducantur. obſedit amotis arcem cupiditas, antequam id exiſtat, quod amatur. iam ſtudio inhæret, & inſeritur cordi, quod nondum eſt ſericum. adeo nihil eſt in cupiditate ſerum. Interim occupat præcipuam hominis partem animalculum vile, ac nondum funerati vltrò extuberamus in vermes.

*P. Maſculus de Incen. Veſ. l.5.*

## *Scorpio.*

SCorpiones terreſtres vermiculos ouorum ſpecie pariunt, ſimiliterque pereunt: peſtis importuna veneni ſerpentium; niſi quod grauiore ſupplicio lenta per triduum morte conficiunt; virginibus letali ſemper ictu, & fœminis fere in totum: viris autem matutino, exeuntes cauernis priuſquam aliquo fortuito ictu ieiunum egerant venenum. Semper cauda in ictu eſt: nulloque momento minitari ceſſat, ne quando deſit occaſioni. ferit & obliquo ictu & inflexo.

*Plinius hiſt. nat. l. 11. c. 25.*

Formi-

## *Formica.*

FOrmicæ vermiculum gignunt ſimilem ouis vere: & hæ communicantes laborem vt apes; ſed illæ faciunt cibos, hæ condunt. Et ſi quis comparet onera corporibus earum, fateatur nullis portione vires eſſe maiores. Gerunt ea morſu: maiora auerſæ poſtremis pedibus moliuntur, humeris obnixæ. Et ijs Reipublicæ ratio, memoria, cura. Semina arroſa condunt, ne rurſus in fruges exeant è terra maiora ad introitum diuidunt. Madefacta imbre proferunt atque ſiccant. Operantur & noctu plena luna eędem interlunio ceſſant. Iam inopere qui labor, quæ ſedulitas? Et quoniam ex diuerſo conuehunt altera alterius ignara, certi dies ad recognitionem mutuam nundinis dantur. Quæ tunc earum concurſatio? quam diligens cum obuijs quædam collocutio atque percontatio? ſilices itinere earum attritos videmus, & in opere ſemitam factam: ne quis dubitet qualibet in re quid poſſit quantulacunque aſſiduitas. Sepeliuntur inter ſe viuentium ſolæ præter hominem. Non ſunt in Sicilia pennatæ. *Plinius hiſt. nat. l. 11. c. 30.*

Eſt certè formica Dei opus, tum rei dignitate præſtans, artis ſubtilitate limatum, operis perfectione abſolutum, quàm humanis ſenſibus tenue, rude, impolitumque videri ſolet. Et vbi fulgentes oculos, & viſum natura prætendit in formica? vbi odoratum applicuit, vbi inſeruit guſtatum? quomodo duriuſculis partibus quaſi oſſibus corpuſculum interſtinxit? qua ratione venulas inſtar ramulorum diffudit? quo pacto à vertice per dorſi vertebras ad caudam vſque diffluentem medullam produxit? qua ſollertia tenues membranulas diſtendit? qua molitione mouentem omnia ſpiritum, acrem, vegetum, actuoſum tam fragilibus & delicatis particulis affudit? An etiam iecur, & in iecore vaſculum bilis receptaculum? cor denique & renes coſtularum interſtinctione quaſi parietibus obſepſerit neſcio, cuncta tamen admiror. *P. Cauſinus de eloq. l. 10. c. 18.*

Omnem denique ſpem vltro proiecimus, poſteaquam formicæ ſuis proreptare latibulis cœperunt, com-

compreſſione, ſicut reor, noſtra proritatæ. Nam vt primum corporum decumbentium motum illæ perſenſere, velut de caſtello ſuo periclitantes, portis ſuis omnibus, & cauernis ſubterraneis egreſſæ, per centurias ac legiones aduerſum nos tendunt, & prælium non tantùm indicunt, ſed ſtatim vix dato ſigno committunt. Nec erant eæ vulgaris Hiſpanæque magnitudinis beſtiolæ, ſed vaſtæ, gibboſæ, ventricoſæ; dentibus præterea morſuque præferoces: & ſi quando quem illuuie contaminaſſent, penetrabili tabo contagioſæ. *P. Biſſelius Argon. l. 8. pun. 6.*

## *Araneus.*

ARaneorum plura ſunt genera. Phalangia appellantur quorum noxij morſus, corpus exiguum, varium, acuminatum, aſſultim ingredientium. Altera eorum ſpecies, nigri prioribus pedibus longiſſimis. Omnibus internodia terna in cruribus. Tertium eorumdem genus erudita operatione conſpicuum. Orditur telas, tantique operis materiæ vterus ipſius ſufficit: ſiue ita corrupta alui natura ſtato tempore, vt Democrito placet, ſiue eſt quædam intus lanigera fertilitas: tam moderato vngue, tam tereti filo, & tam æquali deducit ſtamina ipſo ſe pondere vſus. Texere à medio incipit, circinato orbe ſub tegmina adnectens, maculaſque paribus ſemper interuallis, ſed ſubinde creſcentibus, ex anguſto dilatans indiſſolubili nodo implicat. Quanta arte cælat pedicas ſcutulato rete graſſantes? quam non ad hoc videtur pertinere cribratæ pexitas telæ, & quadam politura arte ipſa per ſe tenax ratio tramæ? quàm laxus ad flatus, non ad reſpuenda quæ veniant, ſinus: derelicta laſſo prætenti ſumma parte, vt arbitrari licet illa quæ difficile cernuntur, atque vt in plagis lineæ offenſæ præcipitant in ſinum? Specus ipſe qua concameratur architectura? & contra frigora quanto villoſior? quàm remotus à medio, aliudque agenti ſimilis? incluſus verò ſic, vt ſit nec ne intus aliquis cerni non poſſit. Age, firmitas quanta irrumpentibus ventris? qua puluerum mole degrauante? latitudo telæ ſæpe inter duas arbores cum exercet artem &

diſcit texere: longitudo fili à culmine, ac ruſus à terra per illud ipſum velox reciprocatio: ſubitque pariter ac fila deducit. Cum verò captura incidit, quàm vigilans & paratus ad curſum? licet extrema hæreat plaga ſemper in medium currit: quia ſic maximè totum concutiendo implicat. Sciſſa protinus reficit ad polituram ſarciens.

*Plinius hiſt. nat. l. 11. c. 24.*

*Aranea etiam deſcriptio eſt apud P. Cauſinum lib. 12. ex Philoſtrato.*

## *Pulex.*

IN media ſilua excepit nos pulicum exercitus. Hi nempe tellure ſemper illic humenti, ſemperque putida ſqualentiue progeniti, ſimul ritu ſuo connubijs in immenſum excreuerant. Tunc autem humana ſubodorati corpora turmatim excurſionibus ſe dare, nuda calore mque ſpirantia membra latenter & palàm incurſare; latera, ſuras, femora, totumque corpus vellicare, præmordere, terebræque more per fodicare. Denticulorum autem tanta non modo barbaries erat, ſed etiam cupiditas & tumultus, vt ipſe multitudinis in paſtu conſenſus (ſicut in bombycum conuictu fit) aures noſtras clariſſimo ſonitu, ſtridoreque morſuum precelleret. Vermiculos Serum dixiſſes mori folia derodentes. In quo ſanè mendacij me non facile quiſquam arguerit, cui perſuaſum erit, & omnem eſſe pulicem impudentem, & hos Pſyllos Europæis fuiſſe multo grandiores, innumerabilique copiarum colluie centuriatos. Nos igitur dolor obſcænuſque ſtrepitus, & potiſſimum indignitas impune graſſantis peſtis huius extimulabat. cumque nec manibus, nec membrorum volutatione ſordidam luem profligaremus; frondes ac ramalia certatim arbuſto diripimus, & in multipedes illas Harpyas claſſico cantato, per tenebras, perque furias, truces & implacabiles inimici graſſamur vulneribus, cædæ, cruore, ſtrage.

*P. Biſſelius l. 8. Argon. num. 5.*

# IGNIS INCENDIVM.

EST ignis cæleſti corpori, vt in multis natura ſimillimus, ita loco proximus. occupat quaquauerſum, ambitque ſub luna extimam cæli faciem. latè per ſpatia circumfuſus immenſa, quæ implet ea magnitudine, qua elementa cætera longè ſuperat. nec quia ibi noſtrum fugit obtutum, ideo fugit intelligentiam: & ſi quidam eum inde deijciant quaſi ſuſpectum, ne forte cæli cardines obſidens flamma cuncta peruaſtet, ac mundi mœnia ſubruat. verùm quod in ſuo regno ignis delitescat, neque ſe prodat, dignitatis eſt; quod laxior & ſolutior, libertatis; quod ſecretus à cæteris elementis craſſiſque corporibus, honeſtatis; quo fit vt tutius ibi degat & purius. magnum ſanè pudicitiæ documentum: nempe puriſſimus eſt tandiu ille ignis, quandiu latet, quandiu quaſi domi ſuæ manet, quandiu ſimplex & inornatus; contra, cum apud nos foris apparet, cum materiæ tenacius inhæret, cum luce ſe comit, impurus eſt. quamquam ita quoque ratiocinari libet. supernè non ſplendet ignis, quia caret hoſte, quia non vrgetur aduerſis. nemo feriatus & otioſus in nominis celebritate, ac famæ luce verſatur; qui actuoſus eſt clarus eſt. addo illud: vix quiſquam in patria euadit illuſtris; foris quærendus eſt ſplendor laudis & gloriæ. tunc ardet ignis cum velut è patrijs exulat focis, torret extorris. Sed quanam ratione fieri dicamus, vt ignis qui mitis eſt in ſuo foco, nec niſi vitalis, apud nos feritatem quodammodo induat, apud homines inhumanitatem? ita ille plerumque in domorum, oppidorū, vrbium vaſtitate graſſatur, atque in mortales ipſos excruciandos excandeſcit? materiam potius, ac nutrimenti genus incuſa. quemadmodum enim aquæ aliundè quàm à ſua natura habent, vt congelaſcant; ita ignis ex aliena materia, vt immaniter ſæuiat. ſiccitas ipſa cos eſt, vt ſapientes loquuntur, & lima caloris: hac ille acuitur, & explendeſcit; ita fit, vt non modo ex minimis initijs abundè paſtus penè in immenſum adoleſcat, ſed peruincat omnia, atque perſuadat

uadat ea celeritate, quæ volucrem quoque hominis cogitatum anteuertere videatur. nobiliſſimum enim elementum cum ſit, ſortitum eſt à natura dotem æquè præſtantem, vt ageret & vehementer,& expeditè. quamquam eadem prudens ita vires ignis attemperauit, vt quo eſt ille violentior ad inferendam perniciem,eo ſit imbecillior ad propulſandam iniuriam.nam cum multis aduerſarijs ſit expoſitus,reniti ac reſiſtere diu non poteſt, quia tandem extinguatur atque intereat. nimirum id fit ob materiæ paucitatem, quæ cum interdiu laxior ſit, vis ignis diſpergatur neceſſe eſt; quod minimè accideret, ſi eſſet in ſe ſe conſtipata atque collecta. præterea cum leuiſſimus ſit ignis, conſtare non poteſt, euolare contendit ad ſupera;quod dum aggreditur,dum elabitur,ſimul intercidit, ac euaneſcit; ac nimio patriæ ſedis repetendæ ſtudio incenſus emoritur. illa ipſa, quam interea ſibi excitat, pyramis, omen eſt mortis ipſe ſibi rogus eſt, atque fax.

*P. Maſculus de Veſuu. l. 5.*

Primigenium corpus ignis, cæteris longè maius ſubtilius,naturæque corpori vacanti cognatum atque proximum, cum lunæ globo, cui ſubeſt, in orbem contorquetur, ſemperque viget. Cuius munera (vt paucis & generatim agamus) aquæ & terræ frigus temperare in coagmentatis corporibus: eorundem vitalem confouere ſpiritum: renouare, purgare,conſumere, maturitates afferre percoquere: cuius imaginem poſſidet hic noſter ignis,quem ad vſum atque victum adhibemus: quia calidus & ſiccus, multis alioquì rebus diſſimilis. Ille eſt purus quidam feruor,hic minimè purus: ſed aqua & terra concretis qualitatibus admiſtus ſe ſe hominibus indulget. ille aſpectu propter ſummam raritatem non ſentitur, nec nutritur, cum ſimplex ſit, & alijs potius alimentum largiatur: at hic noſter ſub oculos cadit, & niſi tu pabulum iterum iterumque ſufficias,non ſufficit. Ille vitalis, ſalutaris, omnia conſeruat, alit,auget,ſuſtinet, ſenſuque afficit: hic noſter quem vſus vitæ requirit,confector, conſumtorque eſt omnium, & quocunque inuaſerit,omnia diſturbat. ac diſſipat.

*P. Pontanus vol. 3. par. 1. prog. 10.*

## *Incendium.*

SEd ſubitum Vrbis incendium auertit illuc feſtinantium prædatorum curas. Cœpit ea peſtis ab regione ad Rhenum verſa: ventoque immodicè perfurente, atque igneos ſparſim globos in diuerſa eiaculante, repente corripuit magnam vrbis partem, obnoxijs igni domibus intrinſecus ligno plerumque conueſtitis. Acceſſit & nox malorum additamentum, quippe exitialis flammarũ crepitantium fulgor; tectorũ decidentium fragor; & ſuper omnia miſerorum aſpectus, velut feraliũ vmbrarum tota vrbe volitantium, atq; à debacchante igne in prędabundũ militem incidentiũ, horrorē profectò terrorēq; vel ipſi armatorũ implacabili ſæuitiæ incutiebant. Sed nulla quàm mulierum miſerabilior facies: quarum alias templis quamuis abditas ſcrutator ignis inuadebat: aliæ templorum ruinam fugitantes, paruorum liberùm mora implicitæ, à ſequaci vbique flamma circumueniebantur. Iamque ignis pleramque vrbem rapidiate incredibili peruagatus, eadem violentia conſumptis exæquatiſque humi publicis, priuatiſque ædificijs, inania locorum ſpatia patefecerat,

*P. Famianus de bello belg. dec. 2. l 8.*

Initium in ea parte Circi ortum, quæ Palatino Cælioque montibus contigua eſt; Vbi per tabernas, quibus id mercimonium inerat, quo flamma alitur, ſimul cœptus ignis, & ſtatim validus, ac vento citius longitudinem Circi corripuit. Neque enim domus munimentis ſeptæ, vel templa muris cincta, aut quid aliud moræ interiacebat. Impetu peruagatum incendium plana primum, deinde in edita aſſurgens, rurſus inferiora populando ante jr remedia velocitate mali, & obnoxia vrbe arctis itineribus, hucque & illuc flexis, atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit. Ad hoc lamenta pauentium fœminarum, feſſa aut rudis pueritiæ ætas, quique ſibi, quique alijs conſulebant, dum trahunt inualidos, aut opperiuntur, pars morans, pars feſtinans, cuncta impediebant: & ſæpe dum in tergum reſpectant, lateribus aut fronte circumueniebantur: vel ſi proxima euaſerant, illis

quoque

quoque igni correptis, etiam quæ longinqua crediderant, in eodem caſu reperiebantur, Poſtrmò quid vitarent. quid peterent ambigui, complere vias, ſterni per agros: quidam amiſſis omnibus fortunis diurni quoque victus, alij caritate ſuorum, quos eripere nequiuerant, quamuis patente effugio interiere. Nec quiſquam defendere audebat; crebris multorum minis reſtinguere prohibentium.

*Corn. Tacitus Ann. lib. 15.*

Acciditque memorabili caſu, vt multa vis tormentarij pulueris, & multitudo ingens vaſorum fictilium ſulphure ac reſina oppletorum, quæ ad obruendos ſubeuntes Gallos erant parata, protinus incenderetur; cum forte excuſſa tormenti ictu modica fauilla cadi eo puluere pleni flammã corripuiſſent. Extemplo enim ingenti crepitu edito, & tota penitus eius conclauis teſtudine vi vaporis reuulſa, atque diſiect a ea vis incendij fuit, vt multorum qui in proximo erant, ſæuum atque deforme ſpectaculum puncto temporis ediderint: multi namque flamma, fumo, ruinaque exanimati ſunt; ſed multo plures ſemiambuſti lacerique artubus ignis violentia fœdè abreptis euaſere, qui miſerabili eiulatu dolorem exprimendo, ac fruſtra implorando opem, amentes tota arce diſcurrebant: quibus neque opportuna remedia, alijs alio periculo occupatis, neque loca ad quietem ſatis tuta præberi poterant.

*Iouius hiſtor. lib. 2.*

Longè maiore cladis mole rem Venetam afflixit natum repente incendium media in vrbe attrox, ſi vnquam antea, & luctuoſum atque terribile Si quidem initio ſtatim ſequentis anni, qui fuit à partu Virginis milleſimus quingenteſimus quartus decimus, tertio Idus Ianuarias de prima vigilia in Riualto frequẽtiſſima vrbis regione, repentinus ac validus ignis multiplicis mercimonij tabernas primum inflãmauit, mox iuuantibus aquilonibus, qui ſæuiſſimi ea nocte forte perflabant, attigua etiam ædificia corripuit. mirum dictu ac viſu horrendum quanta velocitate & ſimul cœperit, & ab dextera læuaque in immenſum populabundus, innumeras ædes. D. Ioannis templum, & cuncta ſimul quæ ad farinas (id loci nomen eſt) & ad forum piſcarium vergunt, abſump-

abſumpſerit, Ita vt momento temporis ſuper ſemiuſtas, & corruentes domos miſerabili vaſtitate inſolitum atque inane loci ſpatium flammæ patefecerint. Eadem violentia hauſtis nummulariorum officinis, recta per argentarios ad templum Apollinaris vſque peruagatus, nihil reliquum fecit, præueniendo remedia miſerorum ſui rapidiate atque ſæuitia. Stetit intactum ope fauentis numinis D. Iacobi vetuſtiſſimum ſacellum circumambuſtis lateribus. Inde perpetuam noctem debacchante flamma, neque exitus calamitatis, neque remedium reperiebatur. Nam ipſa noctis obſcuritas, vbi exitialis ſplendor non aderat, turbatum ventis mare, & diſcurrentibus in contraria cimbis aduerſum, diſſonæ plorantium voces ac fugientium callibus anguſtis pauidarum turba mulierum humanum omne ſubſidium abſtulerant. Denique plena omnia luctus atque mœroris. Nec deerant, qui ſpecie officij, dum res è proximis flammis ereptas, ac per manus traditas ſimulatione iuuantium accipiunt, dominis alio atque alio diſcrimine attonitis paſſim furarentur.

*Iouius. hiſtor. lib. 18.*

## *Homo incendio abſumptus.*

IN ijs præter cætera tormenta, ferrumque, ardentibus maximè iaculis certabatur, maiore oppugnantium, quàm defenſorum pernicie. quippe goſſipio, quo Indi ad veſtem vtuntur, ignis tenaciter adhæreſcens, momento excitatum incendium per confertos manipulos, cuneoſque latè fundebatur. quos autem flamma comprehendiſſet, ij abiectis armis, cum ſimul veſtimenta proijcere non valerent, exterosque ab ijs adiuuandis, exuendiſue, ſui quemque periculi metus auerteret, cæci amenteſque crebro cum gemitu, incerto veſtigio extra ordines ferebantur. Hinc deformatos vultus, exuſta lumina, pendentem è nudatis artubus cutem, ac velut in lora diſſectam, horrendo ſpectaculo cerneres. At Luſitanum multominus lædebat ignis amictu laneo, & inſuper ocreis, & chirothecis ac thorace munitum.

*P. Maffeius hiſt. Ind. l. 13.*

In ea feſtinatione dum facularn puer ſubitò verſat, raptimque modò hac, modò illac inclinat, proſilit ſcintilla; paruula quidem illa, & ſtricturæ ſimilis, quam è ſilice quondam excudimus; eoque magis neglecta, velut innoxia, dum ſuo ſe nidore mox proderet. Nam vt in herum illa propter adſtantem, incidit, reperto in veſte ſtupea alimento, paulatim conualuit, donec in haud dubiam flammam violenta prorupit. Hic multi, vt in ludo, cachinnum tollere: & aliqui rem non fortuitò oblatam, ſed dedita opera natum incendium credere, vt materies ſpectaculo eſſet. At non illi mens eadem, qui ſerpere in ſe peſtem, atque ad viuum graſſari iam ignes ſentiebat. Ille manu, totoq; corpore pugnare, & excuſſa, quam habebat, teſſera, ad flammam reſtinguendam, omnia arma conuertere, pedemque captum ſtudet incendio liberare. Sed peſtis contumacior, dicto citius, manum ipſam auxilio ſubeuntem, pedemque alterum, corpuſque totum furenti contagio inuoluit. Tum enimuero vlulare infelix, & veſtem, quæ corpori tenax adhæſerat, nequicquam reuellere; alij mutato riſu, queſtus, ac gemitus ciere; alij opem, & ſuppetias parare; alij aquam, fontemque poſcere, omnes omnia agere, nemo proficere. Iam humi abiectus adoleſcens, vſtulabatur interea, & in luculento rogo Herculem Oeteum adſtantibus referebat; cùm eminus auditi mugientis clamores, mouere ſocios, vt laboranti collegæ, & ipſi auxilium portarent. Aduolant ambo, atque vti erant perſonati, ſeſe inferunt, perque turbam vi penetrant: & manibus iniectis, ſtupeam veſtem à fratre (nam duorum hic germanus erat) diripere, ignemque laborant defendere. Quo tamen officio dum impensè funguntur, non modò cladem à ſocio non diuertunt, ſed inoanti eodem vterque incendio ſe ipſi inuoluunt. Vix enim manu germanum ij contigerant, cum exiliens flamma alterum duorum, alterumque corripuit: & inhærens laciniæ momento per veſtem reliquam victrix euaſit: quæ veſtis vt tota floccis pendentibus, villiſq; horrebat, pabulum igni nutrimentumque idoneum miniſtrabat. Ea res vel inuitos coegit fratrem omittere. & de ſuo quemque periculo, vitaque dimicare Quanquam hoc & iam ipſum ijs ſerum erat, cum po-

pulante flamma ſepti, tunicam moleſtam vterque iam induiſſent. Poſtremò cum illis & manuum cutis, & digitorum vngues vndique ambuſti defluerent, reſtabat vt collapſi per pauimentum volutarentur, an ibi attritu ſaltem affrictuque flammam eliderent. Verùm vt quidquid attigere, cõfeſtim ignis liquente pice efforatus inflammauit, ipſaque iam domus, ne quà ruinam traheret, ſibi metuebat. Quo factum proinde eſt, vt in tot ſpectatorum oculis tres nobiliſſimi iuuenes, priuſquam ſubueniri humanitus poſſet lentis ignibus quaſi per ludum in ſcena toſti aſſatique conflagrarint.

*P. Bidermanus l. 3 acroam. 7. pun. 34.*

## Incendium nauium.

Ergo propior militi facta nihil tale cogitanti, medio nigri pulueris aceruo ſubijcit facem. Enimuerò flamma celeriter concepta, omnia tetro ſimul incendio conflagrarunt, ſimul ingenti tonitru diſſilieate nauigio, alij veluti è tormentis muralibus in altum ſub ati, alij aut vapore præfocati, aut igne combuſti, tabulisue vna fumantibus impliciti, in aquis perquam miſeris modis extincti ſunt. Demum tranſmiſſo pariter igne in proximas onerarias, graſſante incendio per tabulata pice adipeque illita, ingentes illæ machinæ laxatis compagibus, ac diſtractis toto æquore fragmentis conciderunt. Atque in hunc modum opes tot annorum ſpatio collectæ, ac Cypriæ flos nobilitatis, proſpectantibus è Nicoſienſe littore ciuibus, ſtragemque ſuorum tanquam in ſcena lamentantibus, voraci inter vndas incendio celerrimè deflagrarunt.

*P. Famianus l. 2. prol. 3.*

Cum in Actiaco bello Cæſariani vndiq; ad hoſtilem nauem accedentes iacula ignifera emitterent, faces manu conijcerent, ollulaſque carbonum, piciſque plenas cominus tormentis eiacularentur: Antoniani marinam aquam hauſerunt, vt flammam extinguerent. ſed auxilium in perniciem ceſſit, ac vires malo addidit; aqua enim marina flammæ infuſa non multa, eam potius exſuſcitat. proinde etiã maris

præſidio

præſidio deſtituti, centones & cadauera in flammam iniecere. quod aliquandiu ignem inhibuit, ſed mox ventis irritatus magis exarſit. itaque alij fumo necabantur. alij etiamſi circumfuſo pelago cincti torrebantur: alij armis ignem concipientibus colliquabantur, marinis aquis accendentibus rogum.
*P. Maſculus de Veſuu. l. 3.*

## Nauis incendiaria.

INter hæc Tyrij nauem magnitudine eximia, ſaxis arenaque à puppi oneratam. ita vt multum à prora emineret, bitumine ac ſulphure illitam remis concitauerunt, & cum magnam vim venti vela quoq; cōcepiſſent, celeriter ad molem ſucceſſit tum prora eius accenſa remiges deſiluere in ſcaphas, quæ ad hoc ipſum præparatæ ſequebantur. Nauis autem igne concepto latius fundere incendium cœpit: quod priuſquam poſſet occurri, turres & cætera opera in capite molis poſita comprehendit. At qui deſiluerant in parua nauigia faces & quidquid alendo igni erat, in eadem opera ingerunt. Iamque non modo Macedonum turres, ſed etiam ſumma tabulata conceperant ignem; cum ij, qui in turribus erant partim haurirentur incendio, partim armis omiſſis in mare ſemetipſi immitterent.
*Q. Curtius lib. 4.*

Illud etiam incendiariæ machinæ genus ab ijs excogitatum. Vaſtę magnitudinis ad onera tranſuehenda nauis erat in portu. Huic naui præcelſam ex arida materia pyram, pice, ſulphure, nitro, aliiſque ad fœtorem ſimul ac fumum excitandū rebus imponunt. Conſilium erat ardentem ſtruem in marinum propugnaculum æſtu reciprocante demittere, vt vel præſidiarijs ſlamma tetroque vapore ſpiritum intercluderet; vel certe dum extinguendis ignibus occupantur, inter eam trepidationem atque caliginem, Turcæ traiecto celeriter euripo, ſcalis in muros euaderent. Sed Luſitanus fauente Deo ad locum ſine damno prouectus, in pyram multis ſimul partibus ignes conijcit.
*P. Maffeius hiſt. Ind. l. 11.*

## *Igneus torrens è Veſuuio.*

IGitur paulo ante meridiem repente immani cum fragore monte concuſſo, halitus ille igneus vt liberius reſpiraret, in ipſum cacumen irrumpit, eluctatur, obicem illum ingentem, quo tanti camini os claudebatur, effringit, euadit tum copias effert, quibus erat inſtructus. Enimuero ſeptem, vt qui diligenter rem obſeruarunt, narrant ſeptem inquam, ne Nilo aut camino illi Babylonio ſepties accenſo cederet, ſcaturigines, torrenteſque flammarum in præceps agi atque deuolui pleni bituminis, pleni ſulphuris miſti cinere ignitiſque ſaxis. quicquid obuium erat, tempeſtate quadam ac turbine ignis inuoluere: armenta ac greges obterere: & ſubiecta ſpatia camporum late diffundi arbores, tuguria, domos turres proturbare, protrudere. Ex ijs ignis torrentibus duo rapidiſſimi vnus Herculanum, alter Pompeios verſus cum impetu ruunt; ædificia, ſubſtructiones, vicinias integras ſecum rapiunt: domi, foris, in delubris ipſis quos inueniunt, obruunt: natos (ò rem miſeram) natos inquam in ſinu matrum matres in amplexu natorum opprimunt atque contumulant: cæteri torrentes igniti cineris alij aliò varijs diuortijs deuoluuntur. At verò cum rapidiſſimus ille turbo, atque torrens bituminis flammarum, cineris, arenæ, atque ſaxorum euertiſſet oppida, vaſtaſſet agros, tria fere hominum millia diuerſis in locis oppreſſiſſet, maioribus illis quaſi copijs auctus, elatus immani victoria, Cãpaniæ clade ſuperbiens, validiorem hoſtem laceſſit, latiorẽ in campum prodit in ipſum mare prorumpit tanta cum vi atque impetu, vt alicubi per longum tractum ad quadrigentos, apud Pompeios ad mille fere paſſus viam conſtrauerit, maritimamq; plagam effecerit infinita materia opplente gurgitem; idque veſtigio penè temporis.

P. *Maſculus de Veſuu. l. 1.*

Ecce tibi ſubito ſub meridiem inter fumeos turbines cœca nox; quaſi recedente Sole, ne mundi oculus aſpicere cogeretur tot funera. mox lucem ferens quæ tenebras horrore vicit (incredibile dictu) torrens

rens igneus è vertice montis exilijt, qui bitumine, ſulphure, cinere illitus per cliuum ſe ſummo impetu, parique fragore deijciens, in planitiem cœpit excurrere. Hic hæret calamus, horretque vel ipſam tantæ calamitatis memoriam. Recrudeſcit exulceratus ea commemoratione dolor: & iam libet magis flere quam ſcribere. Itaque cum largiſſimè ignis defflueret, atque horrendo ſibilo, quam meditabatur perniciem, minitaretur; oppidiani vndique flammis obſepti, ſera intẽpeſtiui reditus pœnitentia, quæ loca peterent, quæ vitarẽt incerti hærere, trepidare, omnia luctu & clamore miſcere. Multi tamen collegere ſe ſe ad fugam, ſed profectò parua ſępe moramagna rerũ momẽta intercidunt. Nam dum pars carioribus mercibus, pars cõiugibus ac liberis proſpicit, pars opperitur inualidos, pars contendit euadere, pars cunctatur, pars feſtinat: in mutuam perniciem implicari, alij vix adornata fuga, alij tentata, inter fugiendum oppreſſi. Anteiuit remedijs pernicitate mali. Quippe torrens igneus, antequam è monte deuolueretur ad campos, in plures veluti riuos ac ramos quadam fluminis ſimilitudine deriuatus, ſeptem vt ferunt aliò atque aliò flamarum fecit diuortia; vt ſcilicet vndequaque ſimul plures opprimeret, neque vllus fugæ locus daretur. Vnus ignei fluuij riuus in pagum effuſus, qui tergo montis impoſitus à S. Gregorio nomen accepit, pagum, paganos, pecora, tuguria, tecta, contignationes, ſuppellectilem, vno verbo omnia exhauſit. *P. Recupitus de Veſuu. incen.*

Videre erat ſpectaculum prorſus immane, tetrum, atque horribile: imaginem quandam mundi ruentis, mons ipſe vel à ſedibus conuelli, vel colliqueſcere videbatur, in ſubiectas detonare vrbes atque oppida: excandeſcere totus atque efferueſcere in crateres, quos ignita materia diffuſa per montem effingebat plurimos: intuebantur quanquam præſtrictis terrore oculis, ſcaturigines flammarum, volumina, torrentes, & quendam velut igneum phlegethontem in præceps à monte deuolui, abſorbentem omnia, obruentem omnia; tum ingentes rupes ac fragmina montis per aerem ferri, ab his quicquid occurrebat obteri, tecta, parietes, delubra, turres, mœnia: euelli è fibris proceras arbores; conuelli ipſa nemora, incen-

di prædia domos, vicinias, integra oppida in mare protrudi atque prouolui, denique deleri patriam in cinerem labi vna cum ſuis. Quam miſerabilis illa ſpecies fuit, cum in miſeros turbo ille Veſuuianus totis viribus incumberet graui odore ſulphuris, torrente bituminis iactatione terræ, fragore, fremitu, tonitru, globis flammarum, ſaxorum ignitorum telis diluuio cineris. quæ conſternatio, quæ perturbatio rerum omnium fuit? ardente terra, pallente cælo, illa mugiente, hoc tonante, ſepulta Campania tremente Italia, obſtupefacta Europa, prodigio fauillæ, deniq; nutante, vti videbatur mundo.

*I. Maſculus de Veſuu. l. 1.*

## Bellum aduerſus ignem ab Aegyptijs ſuſceptum.

ITaque Ægyptiorum pauci admodum ad vnguem naturæ facti, pauciores ad librile prudentiæ æſtimati, pauciſſimi ad perpendiculum ſapientiæ exacti fuerunt, cæteri dedolati ruditer à natura, lapides erant nigri molares, piſtriniſque debiti ipſo naturæ iure Horum maiores, & ab origines longe ſtultiores nepotibus nullum ignis, neque flammarum vſum cognouerant, nunquam ignem accenderant, nunquam ignem viderant; cibos ferinos torrebant ad æſtum adulti Solis; cæterum herbis, & eruca potiſſimum paſti, naſturtium non edebant. Fortè fortuna accidit, vt Ægyptius quidam, ſiue Pappus, ille fuerit, ſiue Paniſcus, dum glebas, ac frutices ferro comminuit, percuſſo lapide ſilice ſcintillam exprimeret. Fauilla ſtipulas nacta prægingues concepto paulatim igne propagare incendium occœpit. Ruſticus primò quidem per igniſpicium nouus aruſpex diuinare tentabat, quò nam tenderet illuſtre portentum: mox vbi malum vorax internecino morbo depopulari latè ſaltuaria, & campeſtria videt, exhorreſcit totus. & in meticuloſam paralyſim reſolutus, quam ne Æſculapius quidem ſanauiſſet, incertis manibus, ac pedibus reptat ad ſuos: ruſticorum panegyri conuocata nuntiat aduenisse in agros hoſpitem forma quidem non illiberali, & luculenta, ſed neque boni, neque liberalia

talis officium fungi, communem corruptelam camporum,ſylueſtrem eſſe lamiam,quæ ſuccum omnem regionis exugeret, adeſſe manduconem lemurem Bacchanalibus operantem, qui opima quæque camporum abliguriens, neque creſcere, neque naſci ſegetem pateretur: niſi quam primum peregrinam Nemeſim bacchantem perſaltus propitiarent, enim verò fuit Aegyptus. Actum eſt de ſtolonibus, & draconibus,de hibiſco, & lentiſco,de Pomona,& Mellona, Nodina, & lactucina,vite, ac vitiario, ſemente,ac ſeminario. Audita calamitate, factoque Senatus conſulto in eam pedibus itur ſententiam, vt induti lacernis,& centonibus profeſtis, & lautioribus, cum citharis,tibijſque ſylueſtribus eant ſalutatum,ac rogatum nouum hoſpitem, vt ex ipſorum Regionibus pedem efferret; quod ſi oratus exorari nolit, arcus, ac tela,ſudes,ac fuſtes præacutos expediant, vt omiſſis nugis rem aggredientes hoſti redderent hoſtimentum. Igitur cornu bubulo conclamatis ſarcinulis conuaſantes magnis itineribus caſtra mouent. Stat ſententia per ius, atque iniuriam, manibus, ac pedibus terra, marique permiſcere ſacra profanis. Deuenere,ad ignis primum conſpectum fauſta vociferatione conclamatur,& ſeparatis ordinibus,demiſſiſque in terram corporibus,rati de ampliſſima e ius luce filium Solis ignem eſſe, ſalutem plurimam nouello hoſpiti dicunt: mox propiores facti aperto capite, genibuſque identidem acclinatis, omnes obſequij ciuilis, & aulicæ adulationis numeros obeunt. Barbatus neſcio quis homuncio, vt beneuolentiæ ſingularem notam efferret, dum circumſtare propius ignem, eumque exoſculari,apertiſque brachijs amplexari aggreditur, barbæ miſeræ compendium fecit in incendio; cæteri comploſis, & pectinatim implicitis manibus in riſum liberalem effuſi, & ſudore multo de propinquis ardoribus madidi, mirabantur, vndè nam hoſpes tam calidus aduentaſſet. poſitiſque ægrè pallio, & endromide, ſudariolis, & linteis ſeipſos quidem extergere, ignem verò longè calidiſſimum, cum proiecta in eum ſudaria, ac lintea non ſufficerent, frigerare etiam incipiũt aſpergine aquarum, quas è proxima palude deduxerant. Ignis ad primum liquoris attactum inter ardentes frutices

perſtrepebat; vt illi saltem querimonias eſſe malè habentis hoſpitis, vt ſolatium aliquod afferrent, Muſici pulſatis citharis, ac tibijs circa incendium, & cantione lugubri ad Lydium melos inclinata, Næniam, & Nannam, næniam, atque næniolam, concinebant: cæteri ſaltatione barbara ludibundi lentum epodon ad ſpondeũ ruſticũ ſuccincti cãpeſtribus deſultabant. Sed & hi ſurdo canebant; illi ſaltabant extra chorum. Alij Aſinum habebant ad lyram, alij ſtimulos pugnis, & calcibus feriebant. Diſruptis etenim calore chordis, pellibuſque tibiarum ardore conſtrictis, ſtupore defixi hærebant ibidem. Ignis verò latè bacchatus, occupato ſaltu teterrimam etiam ex fimo aduſto mephitim exhalans, afflabat Ægyptos ſuffitu peſtilenti. Igitur pedem illicò referentes ad collem proximum ſtatuunt in re ſubita temporarium Oratorem ex capillatis antiquioribus Pappoſilenis, qui pacem, ac fędus à furioſo hoſte deprecetur, & cõpoſito varijs ceſpitibus, ac ſtramentis tumultuario ſuggeſtu verba facit Orator. Ecce tibi ventus ex aduerſo commotus, globum ingentem flammarum, fumo, & caligine pluxima inuolutum, in temporarium aggerem magno impetu deturbauit, Oratoremque cum clientibus ſemiuſtum, ſuſque, deque raptatum præcipitauit in paludem proximam, vt cum ranunculis aclamantibus declamaret. Porrò Ægyptij vbi ſacroſanctas legationis, & officij leges, & communia iura gentium violari vident, deierantes per Genium Oſiridis Magni, perq; matrem familias Iſidem, quam maximè verentur ac metuunt, ad arma conclamantes è colle, quem inſederant, vim telorum maximam in hoſtiles flammas ingeſſerunt. Ilicet incendium nouo illo ſagittarum pabulo recreatum, proximam etiam ſyluam exhauriebat. Tunc enim verò ad inopiam conſilij redacti, fuſtes, ac ſtimulos extrahunt, & incompoſito agmine, ſolutiſq; ordinibus, quaſi prædabundi impreſſione facta medios ignes irrũpunt. Cerneres beſtiarios iam dudũ, nunc verò et à beſtuarios lanitas præuſtis, & incenſis fuſtibus lymphatos excurrere, fumumq; & caliginem validiſſimis ictibus petere, pungere, ſecare, premere, retardare, propellere, contrucidare, laceſſere, findere, vincere victorias non communes illas è pugnis terreſtribus, atque naualibus, ſed inu-

ſitatas ex incendiali bello reportandas ſpe præcipere, & conclamare. Sed non ſemper fortunata ſtultitia eſt: malum vas aliquando frangitur: certaminis exitus hic tandem fuit. Amentiores, qui altiori ſe ſe crediderant incendio, flammis hauſti Plutonis aſſatæ victimæ ceciderunt. E ſapientioribus alij cacumine montis proximi ſuperato, ſupinatis ad auram corporibus, æſtum venis comprehenſum flabris euentilandum curabant; alij in paludes, ac flumina ſponte proiecti, inteſtinum incendium temperauerunt.

*P. Leo Sanctius, l. 1. flor præf. 5.*

# GLACIES, ET FRIGVS.

## *Poma glacie ſepta.*

SVbitum menſæ luxum miratus Arſidas, nihil tamen altiori intentione ſpectabat, quàm inter promulſidaria eſſe varij generis poma, ita glacie circumuenienti inſerta, vt aliorum pars emineret extra hoc frigus, alia prorſus condita, tamen ſub lucentis aquæ cruſta natiuo colore cernerentur. Quid potiſſimum crederet ambigebat nouitate illa concuſſus. Certè enim hæc poma recentia erant, rurſuſque ſub illorum menſium ſideribus aqua frigore non coibat. Tum ne ficta imagine luderetur, primum manum glaciei admouet, quæ vt iuſto rigore digitos vſſit, vt non poſſet dubitari quin aqua hec eſſet, & veriſſimo quidem gelu concreta; mox & poma dentibus tentat: & hæc quoque natiuo ſapore mitia erant; niſi quod ad nimium algorem obſtupeſcebat guſtus.

*Barclaius Argen. l. 5.*

## *Glacies arte facta per æſtatem.*

NOua eſt apud nos, inquit, hæc ratio reuocandi arte hyemem ſub medio ſole: quam exequar poſtquam multum guſtaueris. Aderat puer cum mulſo, quod in calice præferebat, & ipſo ex glacie facto: quo exhauſto cum in terram à puero collideretur,

doleretque Arſidas fragile quidem, ſed in æſtatem pretioſum vas perire; noli indignari (inquit Iuba) in ſingulas potiones vſus eiuſmodi ſcyphorum eſt. Iterato eundem in menſa conſpici vile eſſet. Nihil amplius guſtabat Arſidas, auidus cognoſcendi qua arte ad naturæ veritatem ſic perueniretur: Cum allata ſunt variarum formarū ex ęre prototypa. Orbium, poculorum, paropſidum, omnis denique conuiualis inſtrumenti ſpecies erant. Tum Iuba; hæc ſunt clauſtra, quæ aquis infuſis glaciem concipiunt Quippe vnum quodque operculo ſuo ſic tegitur, vt oræ inuicem cohæreant, excepta foraminis anguſtia; per quā aqua liquitur in interiora; quomodo ex ſtanno, vel plumbo fuſilis ſupellex conflatur. Alueolo deinde ligneo illa deponimus. cuius fundum Sale primum nigro illo, parūmq; contuſo, & mox niue, contegitur; quæ nobis ſemper ad manum eſt, fulta ſtraminibus, & in vmbra antrorum toto anno inuiolata. Supra ipſa deinde prototypa, in alueolum ſic demiſſa, pari modo nix quoque aliquoties cumulatur ſale toties intercecto. Ita hæc aqua illo in ære ad glaciem præparata, accipit vndique circumiectæ niuis frigus: quam ſal acri mixtura vetat liqueſcere; in locis præcipue vmbroſis, qualia vini, aut olei apothecis effodimus. Trium circiter horarum ſpatio coit aqua, & ſi quæ poma inſeruimus, qualia nunc miraris, hærent ſepta in glacie.

*Barclaius in Argen. l. 5.*

# HOMO.

QVid eſt homo? quodlibet quaſſum vas, & quodlibet fragile iactatu. non tempeſtate magna, vt diſſiperis opus eſt, vbicunque arietaueris, ſolueris. Quid eſt Homo? imbecillimum corpus, & fragile, nudum, ſuapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam proiectū, cum bene lacertos exercuit, cuiuslibet feræ pabulum cuiuslibet victima: ex infirmis, fluidiſque contextum & lineamentis exterioribus nitidum, frigoris, æſtus laboris impatiens, ipſo rurſum ſitu, & otio iterum

in

in tabem. Alimenta metuens ſua, quorum modò copia, modò inopia rompitur, anxiæ ſollicitæq; tutelæ, precarij ſpiritus, & malè cohærentis. Soli ſemper nutrimentum vitioſum, & inutile. Miramur in hoc mortem vnius, qua ſingulis opus eſt? Nunquid enim, vt concidat, res eſt magni molimenti? Odor illi, ſaporque & laſſitudo, & vigilia, & humor, & cibus, & ſine quibus viuere non poteſt, mortifera ſunt, quocunque ſe mouet ſtatim infirmitatis ſuæ conſcium non omne cœlum ferens, aquarum nouitatibus, flatuſque non familiaris auræ, & tenuiſſimis cauſis, atq; offenſionibus morbidum, putre, caſſum: à fletu vitam auſpicatum. Cum interim quantos tumultus hoc tam contemptum animal mouet? inquantas cogitationes oblitum ſuæ conditionis venit. Immortalia æterna volutat animo, & in nepotes, pronepoteſque diſponit: cum interim longa conantem eum mors opprimit, & hoc, quod ſeneſtus vocatur, pauci ſunt circuitus annorum.

*Seneca lib. de conſol. ad Mar. c. 11.*

Principium iure tribuetur Homini, cuius cauſa videtur cuncta alia genuiſſe natura, magna & ſæua mercede contra tanta ſua munera, vt non ſit ſatis æſtimare melior parens homini, an triſtior nouerca fuerit. Ante omnia vnum animantium cunctorum, alienis velat opibus: cæteris variè tegmenta tribuit, teſtas, cortices, coria, ſpinas, villos, ſetas, pilos, plumam, pennas, ſquamas, vellera. Truncos etiam arboreſque cortice, interdum gemino, à frigoribus, & calore tutata eſt. Hominem tantum nudum, & in nuda humo, natali die abijcit ad vagitus ſtatim, & ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrymas, & has protinus vitæ principio. At Hercule riſus, præcox ille, & celerrimus ante quadrageſimum diem nulli datur. Ab hoc lucis rudimento, quæ ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus: itaque feliciter natus iacet, manibus pedibuſque deuinctis, flens animal cæteris imperaturum, & à supplicijs vitam auſpicatur, vnam tantum ob culpam quia natum eſt. Heu dementiam ab ijs initijs exiſtimantium ad ſuperbiam ſe genitos Prima roboris ſpes, primumque temporis munus quadrupedi ſimilem facit. Quando homini

inceſſus? quando vox? quando firmum cibis os? quamdiu palpitans vertex, ſummæ inter cuncta animalia imbecillitatis indicium? Iam morbi, totque medicinæ contra mala excogitatæ, & hæ quoque ſubinde nouitatibus victæ. Cætera ſentire naturam ſuam, alia pernicitatem vſurpare, alia præpetes volatus, alia vires, alia nare: hominem ſcire nihil ſine doctrina, non fari, non ingredi, non veſci, breuiterque non aliud naturæ ſponte, quam flere. Itaque multi extitere, qui non naſci optimum cenſerent, aut quam ocyſſimè aboleri.

*Plinius l. 7. nat. hiſt. in proe.*

Deus igitur ſolidamenta corporis, quæ oſſa dicuntur, nodata, & adiuncta inuicē neruis alligauit, atque conſtrinxit: quibus mens ſi excurrere, aut reſiſtere velit, tanquam retinaculis vteretur, & quidem nullo labore, nulloq; conatu, ſed vel minimo nutu, totius corporis molem temperaret, ac flecteret; hæc aut viſceribus operuit, vt quemque locum decebat, vtq; oſſa ſolida tegerentur. Item viſceribus ipſis venas admiſcuit, quaſi riuos per corpus omne diuiſos, per quas diſcurrens humor & ſanguis vniuerſa membra, succis vitalibus irrigaret. Et ea viſcera formata in eum modum, quid vnicuique generi aptum fuerit ſuperiecta pelle contexit: quam, vel ſola pulchritudine decorauit, vel ſetis adoperuit, vel ſquamis muniuit, vel plumis inſignibus adornauit. Illud verò commentum Dei mirabile, quod vna diſpoſitio, & vnus habitus innumerabiles animantium præferat varietates. Nam in omnibus ferè, quæ ſpirant, eadem ſeries, & ordo membrorum eſt. Primum enim caput, & huic annexa ceruix. Item collo pectus adiunctum, & ex eo prominentes armi, adhærens pectori venter. Vltimo loco femora pedeſque. Nec ſolum membra ſuum tenorem, ac ſitum in omnibus ſeruant ſed etiam partes membrorum. Nam in vno capite ipſo certam ſedem poſſident, aures, certam oculi, nares item, os quoque & in ore dentes, & lingua.

*Lactant. Firmianus lib. de Opif. Dei c. 7.*

Videbant hunc vnum ex animantibus ſagacem, multiplicem, acutum, memorem, plenum rationis, atque conſilij: videbant hunc vnum ſapere, intellige-

re, prouidere, videbant in hoc vno æternitatis æmulam immortalitatem, animum indiuiduum, ac ſimplicem, qui cum dirimi, diſtrahique non poſſit, in ſingulis totus eſt corporis membris; infuſuſque penitus, omnibus articulis motum impertitur, & vim. Videbant in eodem rerum omnium velut epitomen, atq; admirabilem ipſius vniuerſitatis contractæ comprehenſionem: vitam qua ſola ſunt ſtirpes imbutæ: ſenſum, & motum, quibus præterea pollent animantes rationis expertes: intelligentiam, quæ mentibus illis cæleſtibus à mortali concretione ſeiunctis eſt attributa: libertatem, atque arbitrium illud, cuius beneficio ſui iuris, ſuæque ſpontis eſt animus noſter, nullo cogitur imperio, nullas compedes, aut vincula pertimeſcit. Quid ea vis, quæ cernit atque intuetur abſentes, trans mare currit aſpectu, abdita penitus, & retruſa ſcrutatur, cælum ingreditur, ad inferos vſque deſcendit, cogitationes denique veluti quoſdam ſatellites per omnes terrarum oras temporis puncto circumfert.

P. *Tarquin. Gallutius to. 2. or. 1.*

Intelliget proinde ſanctum hoc animal, præteritorum memor, præſentium ſagax, prouidum futurorum multiplex acutum, viribus inſtructum, ſenſibus armatum, intelligentia communitum, mentis, & conſilij plenum cui nomen Homini fecimus, à ſummo Deo præclara quadam conditione generatum, ſic è rebus vniuerſis, vt floribus eſſe delibatũ, vt cũ Opifice ſuo, & arctiſſima neceſſitudine legis æternæ, & ſimilitudinis immortali religione teneatur. Hinc & intelligeret figuræ ſuæ vim, ac ſtatum: & quid ſit illud anquiret, quàm ob rem cæteris animantibus in ventrem proiectis, ipſe ſtatu celſus, & excitatus ex humo ſe conuerterit ad cæli conſpectum: hoc eſt ad agnitionem domicilij ſui vultum oculoſque contulerit? Propemodum hic cum ipſo Deo conſociatus exercet illam aciem ſuæ mentis, & tanquam exacuet, & in ſedem patriam, imò ſuam inſinuabit, & in ſanæ cupiditatis excuſſa compede ſolutus, ac liber toto cælo magnificè triumphabit.

P *Stephonius proſa 3.*

Sanctum verò animal, ſui iuris atque mancipij natam auræ diuinæ particeps inſigniterque præter

cæte-

cæteras animantes mentis intelligentia, tanquam ſummi Regis inſcriptione notatum, plenum conſilij plenum rationis, præteritorum memoria inſtructum, ornatum animaduerſione præſentium, prouidentia præditum futurorum, qui cælum animo conciperet, virtute conſequeretur, ſeque non tam ſibi, quam Deo natum putaret: vt legis æternæ ſibi primum, deinde alijs (ſi res ferret) & ſuaſor & interpres eſſet non enim homo ſolitarius & vagus factus eſt, qui breuiſſimi temporis animans æuum ritu ferino tranſigeret in ſolitudinibus & ſpeluncis, ſed qui cum apprime ſocietatis appetens, & omnis humani diuinique iuris intelligens eſſet, idem inter ſui generis animantes, Iuſtitiæ diligens æſtimator, omniſque cultor honeſtatis, atque officij moderator haberetur: religione caſtus, humanitate blandus, liberalitate munificus, comis aflatu, tum magis cum vires & opes in commune quæreret, regeret leges, oppida muniret conſtitueret templa, gymnaſia celebraret, genus ipſum humanum inter ſe commercio ſermonis & ſapientiæ deuinciret: argumento eſt ſolitarium non eſſe natum, quod recenti adhuc mundo nonnullis ſæculis ante naufragum humanum genus è ſiluarum latebris naturæ inuitatu in oppida conceſſit, & quod multo diligentius poſt aquas inter homines iure ciuili conſtituto, terras vrbibus paſſim notauit, vrbes hominum cœtibus impleuit, cœtus humanos rerum omnium communitate ſociauit.

*P. Stephonius Proſa.* 5.

Obſtupuiſſe ferunt aliquando Medicorum Principem Galenum ad humani corporis fabricæ præſtantiam, & aſpectum. Quis, aiebat vir ſubtilis ingenij, tam peritus artifex, tanto tamque ſingulari ordine tam nobilem membrorum compagem coaptauit? quis quaſi baſes, ſic oſſa fundauit, quæ neruis muniantur, carne veſtiantur, venis irrigentur, cute & ornentur & contegantur: quis tam admirabiles in compingendis illis oſſibus nexus ſtatuerit, vt imbecilliori quaſi vinculo tam ſolidè inter ſe tam multa coagmententur? quis tam eleganti compoſitione ſummum ſtabilierit verticem, caput ſenſuum operibus tam accomodatum? quis totius ædificij baſes tam firmiter ſubiecerit pedes, quibus vndique circumſe-

cumferatur iſta mobilis ædificatio? denique quis omnia ſuo loco tam perfectè collocauerit? Vnum ſi Deum excipias, ego quidem exiſtimo, id à nullo aliter fieri potuiſſe; ſed ne cogitari quidem.
*Ex Palatio Eloq. extr. 2. pun. 16.*

## *Homo inſtar parui Mundi.*

NEc minor admiratio vobis oboritur ex horum duorum clariſſimorũ luminum ſplendore præſtantiaq; ſi ſpectetis hominẽ vt imaginem mundi quẽ hominem ob id veteres Microcoſmum appellauerunt: in quo, quemadmodũ in magno mundo; cuncta rerum genera diuinitus illigantur, mortalium, & immortalium; cæleſtium, & terreſtrium, ſic vt complexu deuinciat ſuo vitã arborũ ſenſum animaliũ, rationem Beatarum mentium, diuino ſimile imperium; tum terram, aquam, aerem, ignem; & ſupra omnia ſimulacrum quoddã cæli capite præferat ſtellis illuſtribus ſplendens, quæ ſi non claritate cæleſtia ſidera, certè præſtantia laceſſunt. In hoc præter aſtra minora ſenſuum, duo ſplendidiſſima ſidera collucent rationis, & orationis nominibus conſignata; quæ lampades illas maximas aſtrorum principes; geminos cæleſtis orbis oculos, diei noctiſque arbitros Solem, & Lunam ſimilitudine referunt. Nam vt illæ cæleſti accenſæ lumine Cælum, in quo fixę feruntur exornant, & inferiorem mundum, cui præſident, illuminant: ſic ratio, & oratio ſuis ornamentis colluſtratæ. caput, in quo ſedem habent mirè decorant: & reliquum corpus, atque hominem cui præſunt imperio, nobilitant. Illæ dierum noctiumque curriculis ordiuntur menſes, texunt annos, anniſque ſeriem conficiunt ſæculorum: hæ vitam humanam, quæ tum animi luce, corporiſq; tenebris, tum proſperitatis, & infelicitatis permiſtione; tamquam diei noctiſque viciſſitudine conſtat, ratiocinando ſapienter, & eloquendo prudenter, memoria nominis, fama litterarumque monumentis in tempus æternum, infinitumque propagant. Illæ luce ſua colores accendunt, & quidquid in mundo pulchri latet compreſſum tenebris, hominum oculis obijciunt, redduntque ſpectabile, hæ ſuis quoque ſapientiæ,

tiæ, & eloquentiæ ſplendoribus illuſtrant omnes actiones humanæ vitæ pulchritudinemque cogitationum, ſcientiæ, doctrinarum, artium, hiſtoriarum, quæ deliteſcit tum in hominum pectoribus, tum in memoriæ theſauris, aperiunt, & efferunt in aures oculoſque Mortalium.

*P. Iul. Nigronius Orat. 10.*

Multas ſanè cauſas eſſe comperio, cur homo diuinum animal à ſapientibus, in primiſque à Triſmegiſto, atque ab Hebræo Philone mundus alter, aut mundus quidam anguſtior appellatus ſit. Habet enim expreſſum in capite quaſi cælum: habet in geminis oculis duo illa pulcherrima cæli ſidera, quorum alterum noctu, alterum interdiu terras illuſtrat habet animũ, Dei ſimulacrum, ſenſibus præſidentem, aurigam & gubernatorem corporis prope Diuinum: habet ea rerum initia, quæ vocamus elementa in quatuor illis humoribus, quorum apta conuenientia hominis ipſa conſtitutio continetur, & vita. Habet in ætate tam varia illa quadripartita tempora quibus diſtinguitur annus. Habet in concreta corporis mole terram, in ſpiritu ventos, ac tempeſtates, in venis fluuios, in arterijs, & ſemitis animæ ſubterraneos ductus, Habet denique in ipſa membrorum commiſſura, in neruorum omnium vertebrarumque compage coniunctionem illam rerum omnium inexplicabilem, quas illigatas atque implexas incredibili vinculo in hac vniuerſitate ſuſpicimus.

*P. Tarquin. Gallutius to. 1. orat. 2.*

Si homo mundus minor vere dicitur, neceſſe eſt eũ aliquo modo rerum omnium gerere ſimilitudinem, & proportione quadam reſpondere omnibus. Vt ergo in maiore mundo quatuor corporum elementa ſunt, ſic in homine humores quatuor reperiuntur, cholera, ſanguis, pituita, atra Bilis: quorum primus ignis, alter aeris, tertius aquæ, poſtremus terræ habet imaginem. Vt in magno mundo cæli octaui incitatione orbes inferiores conuerſantur: ſic in homine penes rationem eſt principatus, cui appetitus omnes ſeſe obſequentes præſtare, & ab ea moueri atque gubernari debent. Quod in illa eſt media regio aeris, in quam elati terrarum, aquarumque halitus condenſantur, & in nubes coguntur, id eſt, in

homine

homine cerebrum, quo in loco aſpirationes, vaporeſque è viſceribus ſublati frigeſcunt, indeque velut in pluuias ſoluti deſtillant. Cum ſint item ſubſtantiarum genera quatuor, quibus vniuerſum conſtat, componiturque, ſubſiſtentium, viuentium, ſentientium, intelligentium, eadem quatuor in homine inſunt. Etenim cum inanimis, & ſtirpibus illi cognatio intercedit, quod ad corpus & elementorum temperationem, & ad vim vegetatricem, altricem accretionis, & generatricem attinet. Cum animantibus, & in ijſdem, & in virtute ſentiente, appetente, ac mouente. Cum Beatis ſpiritibus quod rationis particeps.

*P. Pontanus vol. 3 par. 1. prog. 9.*

# CORPVS HVMANVM, ET EIVS PARTES.

C*Orporis humani longior deſcriptio eſt apud Ciceron. lib. 2. de nat. deor. & apud Lactan. Firmianum lib. de opificio.*

## *Caput.*

HOminis itaque ſolius recta ratio, & ſublimis ſtatus, & vultus Deo Patri communis ac proximus, originem ſuam fictoremque teſtatur. Eius propè diuina mens, quia non tantum animantium, quæ ſunt in terra, ſed etiam ſui corporis eſt ſortita dominatum, in ſummo capite collata, tamquam in arce ſublimis ſpeculatur omnia, & contuetur. Hanc eius aulam Deus non obductam porrectamque formauit, vt in mutis animalibus, ſed orbi, & globo ſimilem, quod orbis rotunditas perfectę rationis eſt ac figuræ. Eo igitur mens & ignis ille diuinus tanquam cælo tegitur, cuius cum ſummum faſtigium naturali veſte texiſſet, priorem partem, quæ dicitur facies, neceſſa-

zijs

rijs membrorum miniſterijs & inſtruxit pariter & ornauit.

*Lactan. Firmianus lib. de Opif. Dei c. 8.*

Hominem ob naturæ maieſtatem miraculum miraculorum, animal adorandum, & venerandum à ſapientiſſimis Aegyptiorum Sacerdotibus appellatum fuiſſe conſtat. Maieſtatis porrò imaginem licet vbiq; habeat expreſſam; lucent tamen in capite plures diuinitatis illius, & principatus animæ radij. Quid ſine capite eſt Homo? iacet mehercule, iacet ſine honore, ſine nomine quaſi truncus iners & ignobilis: ſola Principum capita, auro, ære, marmore ſculpta in pretio ſunt, per caput iurabant veteres, capitis nutu pacta confirmabant, caput vbique pleniſſimum maieſtatis: at illud ipſum ſolius cerebri gratia conſtructum eſt, cuius domicilium, & propugnaculum à Principe Medicorum appellatur.

*Andr. Laurentius l. 1. de Anat.*

## Cerebrum.

PLato cerebrum, diuiniſſimum appellat membrũ, nec ſolum præcipuum, ſed etiam totum in corpore. Homerus cælum nominat, quod ad inſtar primi orbis eius vi ac illuſtratione inferiora moueantur, ac ſentiant: hic ſacram Palladis arcem Poetæ locant, dum eam Iouis cerebro natam fingunt, propterea à cerebri eſu, tamquam à re ſacra abſtinebãt veteres & ſternutantibus benè precabantur. Quod denique in mundo eſt cælum, in homine eſt cerebrum: illud intelligentiarum, hoc rationis eſt domicilium. Sunt ſanè hæc omnia diuinitatis cerebri certiſſima, & hoc vnum inter cætera præſtantiam luculenter demonſtrat, quod cerebro omnia famulentur, eiuſque ſolius gratia totum corpus conſtructum ſit, homo nempe ad intelligendum totus eſt natus, at intelligentis facultatis ſedes eſt cerebrum. Situm eſt in editiſſimo loco, tamquam arce, ac domicilio omnium tutiſſimo, & vt irruentibus extrinſecus iniurijs minus foret obnoxium, oſſibus vndequaque, quaſi proprijs ſepimentis hoc natura obuallauit, orbiculari figura tornatum eſt, tum vt capacius, tum vt nocumentis mi-

nus

nus occurſet: adde quod diuiniſſimo membro perfecta debetur figura, eſt tamen quodam tenus oblongum geminis verticibus extumeſcens. Et,vt eius magnitudo ingens eſt, & homini, quam cæteris animalibus capacius, & amplior moles,vt vnicum Hominis cerebrum, duobus boum cerebris grandius ſit, & capacius: quid eius fabricæ concinnitatem loquar,quid ſolertem naturæ in eius ſtructura ſolertiam? quid huius regiæ domus columnas, & concamerata inuolucra? quæ ſuperbæ molitionis ingentem molem ſuffulciunt, quid atria? quid thalamos? quid ſinus quatuor,quid ſepulcrum lucidum,quid arteriolarum inexplicabiles Mæandros,& quaſi labyrintæos flexus, miror profectò, & cum vetuſtiſſimo Zoroaſte exclamare cogor: O homo audacis naturæ miraculum.

*Andr. Laurentius l.1.de Anat.*

## *Capillamentum.*

QVid cum capillis color gratus, & nitor ſplendidus illucet,& contra Solis aciem vegetus fulgurat, vel placidus renitet, ac in contrariam gratiam variat aſpectum? & nunc vt aurum coruſcans in leuem mellis deprimitur vmbram,nunc coruina nigredine cæruleos columbarum colli floſculos æmulatur; vt non guttis Arabicis obunctus & pectinis arguti dente tenui diſcriminatus, & pone verſum [coactus] amatoris oculis occurens inſtar ſpeculi reddit imaginem gratiorem? Quid cum frequenti ſobole ſpiſſus cumulat verticem, vel prolixa ſerie porrectus dorſa permanat? Tanta denique eſt capillamenti dignitas, vt quamuis auro, veſte,gemmis, omnique cætero mundo exornata mulier incedat,tamen, niſi capillum diſtinxerit,ornata non poſſit abire. Sed in illa non operoſus, ſed inordinatus ornatus addebat gratiam. vberes enim crines leniter emiſſos, & ceruice dependulos, ac deinde per colla diſpoſitos, ſenſimque ſinuato patagio reſidentes, pauliſper ad finem conglobatos in ſummum verticem nodus adſtrinxerat.

*Apul. l.2.metamor.*

## *Cultus capillorum immodicus.*

QVid illos otioſos vocas, quibus apud tonſorem multæ horæ tranſmittuntur, dum decerpitur, ſi quid proxima nocte ſuccreuit, dum de ſingulis capillis in conſilium itur, dum aut diſiecta coma reſtituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur? Quomodo iraſcuntur, ſi tonſor paulò negligentior fuit, tanquam virum tonderet? Quomodo excandeſcunt, ſi quid ex iuba ſua deciſum eſt, ſi quid extra ordinem iacuit, niſi omnia ſua in annulos ſuos reciderunt? Quis eſt iſtorum, qui non malit rem publicam ſuam turbari, quam comam? qui non ſollicitior ſit de capitis ſui decore, quam de ſalute? qui non comptior eſſe malit, quam honeſtior? *Seneca de Breu. vita c. 12.*

Exordiamur à capite, itur deinde ad reliqua corporis luxui dicata. Crines non vt olim leniter reflexi, qui per colla dehinc diſperſi decoriter diffluerent natura ductrice: ſed capillaturæ totius ſtructrices quæruntur, nec tenui ſatis eſt pectine diſcriminari, itur ad ferrum, & ignem, ne quid criſpando deſit. Vertuntur & capilli croco, & pulueris aſpergine, & lixiuiorum non vno genere: quaſi ætatis & gentis pudeat, ita annos patriamque capillo transferimus. Accedunt exuuiæ capitis alieni, forte immundi, nocentis, & gehennę deſtinati, vt quę non poterat auro, crinium artificio coronetur, capillis mutuo in orbem ſuperſtantibus. Nec onus ſentiunt quæ gaudent videri.

*Tanti eſt quærendi cura decoris.*
*Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum*
*Ædificat caput. Andromachen à fronte videbis,*
*Poſt minor eſt; aliam credas.*

aliæ quaſi de neglectu gloriam venantur, cum in frontè ludunt dependentes cincinni, nec moleſtiam ſentiunt ſtudio prouocatam. iam flores qui ſublimem diſtinguunt verticem, quàm variè interludunt? Arabicis exin odoribus obunctum caput cuius aucupetur nares, ſi non alienas? intercurrit diſcriminalis acus, quam niſi gemma claudat Indico, aut Britannico

piſcata

piſcata mari, aut ignobilis conchæ dura verruca, periiſſe rem credas.

*P. Car. Scribanius in Phil. Chriſt. c. 6.*

Etenim capillum comere, fouere, inungere, vertere ſeu colore, ſeu ferro, modo vibrare ſinuoſis anfractibus ſerpentis in morem modo æqualiter pectere, vt à ceruice, tamquam à fonte pleno alueo molliter in humeros fluat; nunc diſcriminali acu à fronte ad occipitium diſpeſcere, vt hinc inde in aures depluat, nunc vnam in partem totum corriuare; nunc à ſummo vertice in omnes partes deducere quaſi vaginā capiti, vel operculū accomodarent; nunc erraticum fluxum calamiſtri lege compeſcere, & alios crines in annulos adſtringere, & in frontem corymborum inſtar demittere, vt exangui expudorato, prorſus verò marmori depicto, fictoque auro honor accedat; alios nulla lege coercere, vt vagi, ac volucres elabantur, non bona ſimplicitate diſſimulante faſtidium, vt gloria de neglectu captetur; denique in tenera ceruice non ſecus, atq; in latifundio excolendo curam omnem, cogitationemq; conferre: an non vt muliebris otij negotia ſunt, & leuiſſimæ mentis curæ grauiores, ſic etiam fœminarum ſunt propria ornamenta, omniſque ipſarum laudis argumenta potiſſima?

*Ex lib. Orationum quas Franc. Sanbenedictus collegit or. 3. aduer. capill. cultores.*

Capillos itaque quos natura ſimpliciter fundit, ferro, igni, coloribus, vnguentis inuertere quid aliud eſt, quam diuino operi manus per ſummam artificis iniuriam admouere? Edit natura, Deo duce, capillos, vt à nobiliſſima corporis parte arce ſcilicet mentis, huius Microcoſmi cælo, cæli aſperioris iniurias propulſet; vt turpem capitis nuditatem cohoneſtet; non vt in annulos, aut nodos torti; & corymborum inſtar dependentes feſtiuam ſemper, ac ludibundam pronuncient ceruicē, vel ſupini, refugique vndique ſuo auro caput coronantes, molliſſimo cuique deferant regnum; vel inuerecundæ frontis marmori alludant, vel illudant ſpeculo, atque oculis ſuis, vel blandiantur alienis vt planè non ſupergredi conemur naturam, ſed vitiare; qui, quod ipſa neceſſitatis ergò parere inſtituit, in delicias, luxumque traducunt. Scilicet natura in crinibus ambitioſa eſt, aut luxum

quærit,

quarit quæ ad illorum procreationem abiectâ damnataque materia abutitur; naturæ, itaque adeoque ipſius Dei conſilium non modo arrogans, & iniurius; ſed penè etiam bſalphemus reprehendit; qui rem ab ipſis ſeruitute mulctatam penè ſolam in delicijs habet, ſolam ſibi ornamento, atque honori eſſe putat. *Ex eod. lib. ſupra cit. or. 4.*

An tu reformidabis hominem, cui bellè compoſitus venerandi verticis decor, & quædam quaſi cidaris capillorum in apicem attollitur, & in annulos conformata, promiſſaque longius velut exundatione cæſaries ſparſim in humeros fluit, leuiſſimaque ventorum agitatione quaſi captans ab aura gloriolam permouetur; plauditque non tam collo, quam ſibi? meræ ſunt illæ deliciæ, meræ illecebræ voluptatis, non inuitamenta terroris.

*P. Guiniſis alloc. 6.*

## *Barba.*

VNa *Sacerdotis* barba, ceu nouella Pythia ſine voce ac ſenſu, inaudito quodam genere metamorphoſeos oracula profundebat. Etenim ſi minus proſperè euenturum erat id, de quo quærebatur, ſtatim barba illa decretoria, quaſi calamitatem miſerata, ſubito ſquallore obſita, immani amplitudine ſuccreſcebat ad pectus: vultus caprinæ antiquitatis plenus agreſtis ac triſtis, non ſecus ac ſi aceto & labruſca, ſinapi & abſynthio victitaſſet, futuris cladibus explicato barbatio, ceu tragico ſyrmate præludebat: barbam illam non Dodonæam quercum, ſed piloſum Arcadiæ nemus credidiſſes, Pappoſileni, non Aegypanis alicuius vmbraculum, ſyluestre hoſpitium penſilis enthuſiaſmi. Contra verò ſi fortunatus exitus votis ſupplicantium reſponſurus erat; ecce tibi nullo tonſore, præraſa continuo barbula fatidica, faſtigiata molliter in conum, leuis ac nitida Nitelam nitoribus anteuertebat, & amaracina madens aquula, totam ſpirans Arabiam, felicitatis futuræ gaudiola titillatione diuinacula argutabatur.

*P. Leo Sanctius flor. l. 1. præf. 11.*

Os.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

## Os.

Alijs animantibus ad explendam victus neceſſitatem, inferendaſque ventri copias os comparatum eſt: ſed homini promptuarium potius rectæ rationis, & ſuauiſſimæ datum eſt; vt quæ prudentia corde conceperit, ea ſenſa promat oratio. Hoc eſt animi veſtibulum, orationis ianua, & cogitationum comitium: pars hominis loco celſa, viſu prompta, vſu fœcunda. feris & pecudibus os humile, & deorſum ad pedes deiectum, veſtigio & pabulo proximum, nunquam fermè niſi mortuis, aut ad morſum exaſperatis, conſpicitur; hominis verò nihil prius tacentis, nihil prius loquentis contemplare.

*P. Nigronius or. 2. ex Apul.*

## Oculi.

Oculi tamquam ſpeculatores altiſſimum locum obtinent, ex quo plurima cōſpicientes fungantur ſuo munere. Quis verò opifex præter naturam, qua nihil poteſt eſſe calidius tantam ſolertiam perſequi potuiſſet in ſenſibus? quæ primum oculos membranis tenuiſſimis veſtiuit & ſepſit, quas primum perlucidas fecit vt per eas cerni poſſet: firmas autem vt continerentur. Sed lubricos oculos fecit & mobiles, vt & declinarent ſi quid noceret, & aſpectū quò vellent facilè conuerterent. Aciéſque ipſa qua cernimus, quæ Pupula vocatur, ita parua eſt, vt ea quę nocere poſſint facilè vitet; palpebræ quæ ſunt tegmenta oculorū molliſſimæ tactu ne læderent aciem, aptiſſimæ factæ, & ad claudendas pupulas, ne quid incideret, & ad aperiendas: inde prouidit, vt identidem fieri poſſet cum maxima celeritate. Munitæque ſunt palpebrę tamquam vallo pilorum, quibus & apertis oculis ſi quid incideret, repelleretur, & ſomno conniuentibus, quum oculīs ad cernendum non egeremus, vt qui tanquam inuoluti quieſcerent. Latent præterea vtiliter, excelſis vndique partibus ſepiuntur. *Cicero l. 2. de nat. Deor.*

Oculus vnicolor nulli, cum candore omnibus medius color differens, neque vlla ex parte maiora animi indicia cunctis animalibus, ſed homini maximè, ideſt moderationis, clementiæ, miſericordiæ, odij amoris triſtitiæ, lætitiæ. Contuitu quoque multiformes, truces, torui, flagrantes, graues, tranſuerſi, limi, ſummiſſi, blandi. Profectò in oculis animus inhabitat. ardent, intenduntur, humectant, conniuent. Hinc illæ miſericordiæ lacrimæ. hos cum oſculamur, animum ipſum videmur attingere. hinc fletus & rigantes ora riui. Quis ille humor eſt in dolore tam fœcundus & paratus? aut vbi reliquo tempore? Animo autem videmus, animo cernimus: oculi ceu vaſa quædam viſibilem eius partem accipiunt, atque tranſmittunt. Sic magna cogitatio obcæcat abducto intus viſu. Sic in morbo comitiali aperti nihil cernunt, animo caligante. Quin & patentibus dormiunt lepores, multiq; hominum, quod corybantiaun Græci dixere. Tenuibus multiſque membranis eos natura compoſuit, calloſis contra frigora caloreſque in extremo tunicis, quas ſubinde purificant lacrimationum ſaliuis, lubricos propter incurſantia & mobiles: media eorum cornea feneſtrauit pupilla, cuius anguſtiæ non ſinunt vagari incertã aciem, & velut canali dirigunt, obiterq; incidentia facile declinant: alijs nigri, alijs raui, alijs rufi, alijs glauci coloris orbibus circumdatis, vt habili mixtura & accipiatur circumiecto candore lux, & temperato repercuſſu non obſtrepat.

*Plinius l.11.nat.hiſt.c.37.*

Naturæ ſpeculum eſt oculus, microcoſmi lumen, pars ætherea, ſolis ianua, feneſtra animi, magnæ mentis imago. figura eſt in primis rotunda, & aliquantulum oblonga, quò ad capacitatem, robur, agilitatem promptior ſit atque expeditior. Et gemini quidem ſunt ocelli in loco editiſſimo capitis collocati, vt noctu atque interdiu non ſecus ac vigiles excubent, & nocitura quæque agili declinatione atque flexu deuitent: nec ſatis in antrum quoddam, ac veluti ſinuoſam vallem retruſi cernuntur, quo & eorum ſecuritati prouideatur, & minori naturæ diſpendio ſpiritus diſſipentur: quin vt extrinſecus irruentibus iniurijs minus ſint obnoxij, oſſibus vndequaque, & palpebris, quaſi proprijs ſepimentis ſunt obuallati: magnitudo

tudo eorum tanta eſt, quanta ad rerum imagines ſufficiat: natura tota eſt aquea, mollis, lubrica, ſplendens pellucida, vt celerius rerum omnium ſpectra, colores imaginem excipiant. Totum præterea oculorum corpus, ſex muſculis, totidem tunicis, tribus humoribus, duobus neruis, venis, & arteriolis quamplurimis, adipeque copioſo conſtituitur. Muſculi vndequaque mira volubilitate oculum verſant, tunicæ fluentem naturam veluti ſolidiori vallo muniunt; quarum vna eſt venulis, & arteriolis quamplurimis diſtincta, fundæ ſimilitudinem reddit, altera cornea duritie, & pelluciditate cornu prætenue, & accuratè politum refert. Tertia vuæ acinum, & folliculum, à quo pedunculus auulſus eſt, figura, colore tenuitate, læuitate externa ſpectantibus exhibet. Quarta tenuitate telas aranearum æmulatur, Quintam reticularem à retis ſimilitudine medici dixerunt. Poſtrema veteribus incognita, vitrea, & ipſa vitreum humorem, omni ex parte ambit. Detectis tunicis effluunt ſtatim, & in apertũ prodeunt partes oculorũ nobiliſſimæ; humores quippe, aqueus, cryſtallinus, & vitreus, ſed cryſtallino ſummus debetur honor, qui anima oculi, ſpeculum interius, & centrum ideo dici ſolet. Quid neruos loquar? quorũ vnus viſioni, alter motioni deſeruit, quid adipem? quid venas? quid arteriolas? quid muſculos? porten: profecto ſimile eſt quod vno corpuſculo, tam varij generis particulas cõcluſerit. Quid de oculorum effectis dicam? vident mirantur, adamant, concupiſcunt, amoris, iræ, furoris, miſericordiæ, vltionis indices ſunt, in audacia proſiliunt, in reuerentia ſubſident, in amore blandiuntur, in odio efferantur, gaudente animo hilares ſubrident, eodem mærente langueſcunt, in ira exaſperantur, in cogitatione, ac cura quieſcunt, cum mente ſemper intenti: vnde tot vſus, tot nomina, torui, truces, flagrantes, graues, tranſuerſi, limi, ſubmiſſi, blandi, ad ſummum ad animi motus ita ſunt compoſiti, vt alter animus eſſe videatur.

*Andreas Lauren. l. 11. de Anat.*

Oculi inſtar excubitorũ, ſeu ſpeculatorũ bini in arce ſunt collocati, quorũ vnus ſeruet à dextris, alter à ſiniſtris. Hi tuniculis, membranuliſq; tenuiſſimis pellucidulis, ac bene firmis conueſtiuntur, quorum pupillæ quaſi quadam iride in orbem cinguntur. Sunt autem

ob id lubrici, ac verſatiles,vt & declinent ſi quid lædat, & quaquauerſus aſpectum velociter, facileque conuertant. tegumenta eorumdem palpebræ mira ſunt mollitudine·non ſolum enim prohibere debent, ne quid pupillas offendat, ſed ipſæ etiam eoſdem, dum claudunt, dum aperiunt, minimè lædere. Hæ pilis tamquam telis, & haſtilibus muniuntur,quibus cilijs nomen impoſitum, quo paruorum corporum, vt puluiſculorum,arenularum, feſtucarum,quæ ventorum flatibus excitari ſolent, damna arceantur,excludanturq; in volatu culices, & eius generis inſecta. Præterea oculis velut tectum Deus impoſuit ſupercilia, quæ defluentem à fronte ſudorem, vt pluuias excipiant,& ad tempora tranſmittant.

*P. Pontanus vol.3. p.1.prog.9.*

## *Aures.*

Auditus ſemper patet, cuius etiam ſenſu dormientes egemus, à quo cum ſonus eſt acceptus,etiam è ſomno excitamur. Flexuoſum iter habet, nequid intrare poſſit, ſi ſimplex & directum pateret prouiſum etiam, vt ſi qua minima Beſtiola conaretur irrumpere, in ſordibus aurium,tamquam in viſco inhæreſceret: Extra autem eminent,quæ appellantur aures,& tegendi cauſa factæ, tutandique ſenſus,& ne adiectæ voces laberentur, atque errarent, priuſquam ſen ſus ab his pulſus eſſet. Sed duros,& quaſi corneolos habent introitus, multiſque cum flexibus, quod his naturis relatus amplificatur ſonus. Quocirca & infidibus,teſtudine reſonatur aut cornu,& ex tortuoſis locis & incluſis redduntur ampliores. Aurium item eſt artificioſum quoddam, & admirabile iudicium, quo iudicatur, & in vocis & in tibiarum, ac neruorum cantibus varietas ſonorum, interualla, diſtinctio,& vocis genera permulta,canorum,fuſcum lene aſperum,graue,acutum, flexibile, durum, quæ hominum ſolummodo auribus iudicantur.

*Cicero l. 2. de nat. Deor.*

Aures duas eſſe voluit,quarum duplicitas incredibile eſt quantā pulchritudinem præ ſe ferat, quod tū pars vtraq; ſimilitudine ornata eſt,tum vt venientes altrin-

altrinſecus voces facilius colligantur. Nam & forma ipſa mirandum in modum ficta, quod earum foramina voluit eſſe nuda & inobſepta, quod,minus decorum, & minus vtile fuiſſet, quoniam ſimplicium cauernarum anguſtias preteruolare vox poſſet, & ſpargi,niſi perceptam per cauos ſinus, & repercuſſu retentam foramina ipſa conueherent, illis ſimilia vaſculis, quibus impoſitis ſolent anguſtiora vaſa compleri. Eas igitur aures noluit Deus artifex mollibus pelliculis informare, vt pulchritudinem demerent pendulæ, atque flaccentes, neque duris, ac ſolidis oſſibus, ne ad vſum inhabiles eſſent immobiles, ac rigentes: ſed, quod eſſet horum medium excogitauit,vt eas cartilago mollior alligaret.& haberent aptam ſimul, & flexibilem firmitatem.

*Lactantius l. de opif. Dei c. 8.*

## *Nares.*

NAres ad odores percipiendos,& ſuaues quidem admittendos, fœdos autem, nocenteſque repellendos,& auerſandos, & ad capitis defluxus excipiendos rectè etiam ſurſum poſitæ: & quod cibi potioniſque iudicium magnum earum eſt, ori vicinæ ſunt. Quia verò neceſſariæ vtilitates, vt ſint patulæ requirunt, anguſtiores habent aditus, ne quid in eas, quod lædat, poſſit peruadere: humidæ perpetuò ad puluerem, multaque alia repellenda vtiliter.

*P. Pontanus vol.3.par.1.prog.9.*

## *Lingua.*

DEinde in ore ſita eſt lingua finita dentibus, & ea vocem immoderatè profuſam fingit, & terminat, quæ ſonos vocis diſtinctos & preſſos efficit, quum & ad dentes, & ad alias partes pellit oris Itaque plectri ſimilem linguam noſtri ſolent dicere, chordarum dentes, nares cornibus his, qui ad neruos reſonant in cantibus.

*Cicero lib. 2.de nat. Deor.*

Lingua intus incluſa, quæ vocem motibus ſuis in

verba diſcernit, & eſt interpres animi, nec tamen ſola poteſt per ſe eloquendi munus implere, niſi acumen ſuum palato illiſerit, niſi adiuta, vel offenſione dentium, vel compreſſione labiorum. Dentes tamen plus conferunt ad eloquendum: nam & infantes non antè incipiunt fari, quam dentes habuerint: & ſenes amiſſis dentibus ita balbutiunt, vt ad infantiam reuoluti denuò eſſe videantur. Sed hæc ad hominem ſolum pertinent, aut ad aues, in quibus acuminata, & vibrata certis motibus lingua, innumerabiles cantuum flexiones, & ſonorum varios modos exprimit. Habet præterea & aliud officium, quo in omnibus, ſed tamen ſolo in mutis vtitur, quod contritos, & commolitos dentibus cibos colligit, & conglobatos vi ſua deprimit, & tranſmittit ad ventrem. Itaque Varro à ligando cibo putat linguæ nomen impoſitū. Beſtias etiam potu adiuuat, protenta enim cauataque hauriunt aquam, eamque comprehenſam linguæ ſinu, ne tarditate ac mora defluat, ad palatum celeri mobilitate complodunt. Hæc itaque palati concauo tamquam teſtudine tegitur: eamque dentium ordine ſepiens Deus quaſi muro circumuallauit.

*Lactantius lib. de opif Dei c. 10*

Habet lingua præter vſum loquendi, alia non contemnenda munera. Primum quidem cum ſit guſtatus primaria ſedes, vel vt propriè loquar, prætoria ſella, Tribunalque iudiciale poculentorum, & eſculentorum, in ea reſidens Guſtus cum cognitione ſaporum omnium iudicium de ijs exercet, vt iudex fertque ſententiam: adeò vt pro eius arbitratu quibus veſcimur cibi, quibus depellimus ſitim, potiones, ſi non illi placeant à ſtomacho atque ore protinus reſpuantur: nihilque planè in ſtomachum alimenti demittatur, quin illa conuiuij moderatrix, & quaſi præguſtator ſuo conſenſerit præiudicio. Deinde cibum extenuatum, molitum, manſumque dentibus, agitatione, impulſu, motibuſque ſuis depellit, & tamquam edentis manus detrudit in ſtomachum. At eius præcipuum officium, nobiliſſimumque munus eſt, aeris in vocem, & vocis in orationem conformatio. Nam ea ſpiritum à pectore, pulmoneque per arteriam aſperam immoderatè profuſum terminat; fingit, moderatur: ex eo vocem rudem primum diſcernit, quam deinde

deinde ſonis diſtinctis ac preſſis modulans in verba perfecta concinnat: & cum dat ſuos articulos, ac ſonos vocibus, tribuit nobis vt articulatè loquamur: quod beneficium Lucretius merito linguæ refert acceptum, cum inquit.

*Mobilis articulat membrorum dedala lingua Voces.*
Cuius rei gratia, vt intra buccas quaquà verſus, longè lateque ſurſum deorſumque moueri, flecti, circumferri poſſet hæc vocum ſonorum verborumq; fictrix, adeo tenera, lata, mobilis nobis ingenita eſt, vt teneritate, latitudine, ac mobilitate omnium pro corporis portione linguas ſuperet animantium. Non vno verbo præſtantiſſimum hoc munus explicare queo; tam multa de eius dignitate, ac vi, mente concepi. Vix expreſſero non nullum eius vſum, cum Obſtetricem Animi, Typum verborum Memoriæ clauem, plectrū mentis manumque rationis appellauero.
*P. Nigronus or. 2. n. 6.*

## Vox, Locutio, Oratio.

QVamobrem Architectus hic diuinus inſeruit nobis hanc vim facultatemque loquendi, mentis arcanorum explicatricem, rationis interpretem, conciliatricem humanæ ſocietatis, in ore potiſſimum tamquam in animi veſtibulo reſidentem, quæ linguæ dentiumque percuſſione, aerem, quem reſpiramus à pulmonibus ac reddimus, format, & fingit in voces non aſperas ac rudes, vt cæterarum animantium, ſed ſuaues modulis dulces flexionibus, expreſſas litteris ac syllabis, coagmentatas vocalibus & conſonantibus, ſignificanteſque notionum, & cogitationum abditarum pro arbitrio quidem loquentium, ſed tamen ex pactione conuentuq; nationum: quarum vocum, ſonorum, ac verborum, quæ ſigna quædam ſunt, & notæ earum rerum, quæ in animi receſſibus latent, collectionem ac ſeriem ordine diſpoſitam, ſermonem, orationemque nominamus. *P. Iulius Nigronus or. 1.*

Mirifica planè vocis natura eſt, humanæ præſertim, quæ cæterorum animantium voci multis nominibus antecellit. Vincit magnitudine: quod pro cor-

puſculi portione maxima, vox humana cum aliarum beſtiarum vocibus comparata cenſeatur. Vincit varietate: nam bouem à boue paris ætatis, mugitu; luſciniam à luſcinia, cantu, aut vix, aut nulla ratione diſtinguimus: at hominum totidem ſunt voces quot in rerum natura mortales. Vincit ſuauitate; quod animalium voces aſperæ rudes, abſonæ, ſi paucula auiculas canoræ vocis eximas, aures obtundunt, feriunt, vulnerant; noſtra verò, niſi morbus aliquis eam ſciderit, aſperitas extraordinaria ſauciarit, contentio raucam fecerit, canora, dulcis, blanda, mulcet, lenit, oblectat aures, & ea iucunditate, quæ potiſſimum oritur è tribus ſonis inflexo, acuto graui, infecta eſt adeo atque affecta, vt non homines modo, ſed etiam beſtiæ immanes cantu flectantur. Vincit denique teneritate, ac mollitudine, de qua ſuauitatis mater varietas quædam naſcitur incredibilis. Nihil enim magis fingitur, frangitur, flectitur: nihil pluribus flexionibus, argutijs, ſonis in cantu præſertim commutatur, ad auium vſque cantus, animantiumque omnium vocis abſolutam imitationem. Nunc in longum trahitur continuato ſpiritu, nunc variatur inflexo, nunc diſtinguitur conciſo: modo falſis voculis mollitur: modo certis ac ſeueris intenditur: ſæpe deorſum à ſumma vel ſaltu, vel per gradus præcipitatur: ſæpe ſurſum ab ima ſimiliter attollitur. Quid cum intorto ſpiritu copulatur, promittitur reuocato, infuſcatur ex inopinato? Quid cum diutius extenta perdurat, cum deſinit antequam ſatiet, cum puncto temporis euolat: Grauis interdum emittitur, acuta, inflexa: tum plena & exilis: crebra & rara: vibrans aliquando & lenta: incitata & tarda: diffuſa nonnunquam & contracta attenuata & inflata: ſumma, media, ima. *Idem or. 2.*

## *Manus.*

QVàm verò aptas, quàm multarum artium miniſtras manus natura homini dedit: digitorum enim contractio facilis, faciliſque porrectio, propter molles commiſſuras, & artus nullo in motu laborant, itaque ad pingendum ad ſculpendum,

dum, ad neruorum eliciendos ſonos ac tibiarum, apta manus eſt admotione digitorum. Atque hæc oblectationis, illa neceſſitatis: cultus dico agrorum, extructioneſq; tectorum, tegmenta corporũ, vel texta, vel ſuta omneſq; fabricam æris, & ferri; ex quo intelligitur, adinuenta animo, percepta ſenſibus adhibitis opificum manibus omnia nos conſequutos, vt tecti, vt veſtiti, vt ſalui eſſe poſſimus, vrbes, muros, domicilia, delubra habeamus. Iam verò operibus Hominum, manibus cibi varietas inuenitur, & copia nam & agri multa ferunt, quæ vel ſtatim conſumantur, vel mandentur condita vetuſtati, & prætereà veſcimur Beſtijs, & terrenis, & aquatilibus, & volatilibus, partim capiendo, partim alendo; efficimus etiam domitu noſtro quadrupedum vectiones, quorum celeritas, atque vis nobis ipſis adfert vim, & celeritatem: nos onera, quibuſdam Beſtijs, nos iuga imponimus, nos elephantorum acutiſſimis ſenſibus, nos ſagacitate canum, ad vtilitatem noſtram abutimur, nos è terræ cauernis ferrum elicuimus, rem ad colendos agros valde neceſſariam. Nos æris, auri, argenti venas penitus abditas inuenimus, & ad vſum aptas, & ad ornatum decoras: arborum autem confectione, omnique materia, & culta & ſylueſtri partim ad calefaciendum corpus igni adhibita; & ad mitigandum cibum vtimur, partim ad ædificandum, vt tecti, ſepti, frigora caloreſque pellamus magnos vſus autem affert ad nauigia facienda, quorum curſibus ſuppeditantur, omnes vndique ad vitam copiæ, quaſque res violentiſſimas natura genuit, earum moderationem nos ſoli habemus, maris, atque ventorum, propter nauticarum rerum ſcientiam, plurimiſque maritimis rebus fruimur, atque vtimur.
*Cicero lib. 2. de nat. Deor.*

## *Cor.*

COr animalibus cæteris in medio pectore eſt: Homini tantùm infra læuam papillam, turbinato mucrone in priora eminens. Piſcibus ſolis ad os ſpectat. Hoc primum naſcentibus formari in vtero tradunt deinde cerebrum, ſicut tardiſſimè oculos:

Sed hos primum emori, cor nouiſſimè. Huic præcipuus calor. Palpitat certè, & quaſi alterum mouetur animal, intrà præmolli firmoque opertum membranæ inuolucro, munitum coſtarum, & pectoris muro, vt pariat præcipuam vitæ cauſam & originem. Prima domicilia intra ſe animo, & ſanguini præbet, ſinuoſo ſpecu, & in magnis animalibus triplici, in nullo non gemino. Ibi mens habitat. Ex hoc fonte duæ grandes venæ in priora, & terga diſcurrunt, ſparſæque ramorum ſerie, per alias minores omnibus membris vitalem ſanguinem rigant. Solum hoc viſcerum vitijs non maceratur, nec ſupplicia vitæ trahit: læſumque mortem illico affert. Cæteris corruptis vitalitas in corde durat. Bruta exiſtimantur animalium, quibus durum riget: audacia quibus eſt paruum: pauida, quibus prægrande.
*Plinius hiſt. nat. l. 11. c. 37.*

# CORPORIS HVMANI HABITVDO, ET QVALITAS VARIA.

## *Corpus hominis melancholici.*

PRincipio agmen mihi ducant melancholici, genus hominum vt vulgus exiſtimat ſolitarium ac penè ſubruſticum. Videas adoleſcentem macie decoloratum, capillo fuſco criſpoque ſanguineis oculis, & pellucidis: videas tardum inceſſum, ſeuerum aſpectum, vultum vultuoſum, frontem exaratam, diductum prominenſque ſupercilium: ipſum oris habitum non quidem arte conformatum, qualem ſibi Caligula ad omnem formidinem terroremque componebat in ſpeculo: ſed ingenio naturaq; ſubtriſtem, cogitabun-

cogitabundum ſemperque magnum aliquid molientem: cui ſi quid ex tempore dicendum vel è ſuperiore loco ad populum, vel ad familiares ex æquo: hæſitat lingua torpetque: nec verba facili volubilitate præterfluunt, ſed ori veluti affixa hærent aque vix decidunt. *P. Guiniſius alloc. 4.*

## *Corpus in quo pituita dominatur.*

SEd redeo vnde me dicendi feruor abripuit atque aggredior ad aliam hominum claſſem, hiſce quos ante deſcripſimus aduerſam oppoſitamque; loquor eos adoleſcentes in quibus magna vis pituitæ, & vt vocant phlegmatis, hoc eſt inertiſſimi pigerrimique dominatus humoris, facultatem intelligendi magnam partem extinguit: quos ego vt quod res eſt, planè loquar, amicè moneo, faceſſant procul tanquã à templo profani, ab erudito illorum choro, quos naturæ deſtinatione ad ſapientiam informamus: ſic enim de ijs ipſe decernit habitus oris, ſic tota corporis facies & conſtitutio, ſic mores, & quædam animi lineamenta pronunciant. Obeſum, nitidum, & adipale corpus, ab humeris, & pectore quadratum, ſi quædam præterea argumenta ſtolidæ mentis accedant; plerunque pinguis, & craſſæ Mineruæ ſimulacrum eſt. Vidiſtine interdum aliquos Auditores, quorum errat in ore, in oculis, in fronte, in auribus, toto demum corpore ſtupiditas? nimirum hi ſunt ex hoc hominum genere, quos ab ſapientiæ finibus abſtinemus, amandamus, expellimus.
*Idem ibidem.*

## *Corpus in quo Sanguinis vis exuberat.*

SEd omittamus hæc ludicra: reuocat enim nos ab hiſce portentis eiectamentiſque naturæ, hominum genus aliud, qui laudem neque cum primis Principem, neque cum ſecundis omninò nullam merentur ingenij Hos ego antequam nomino, & quibus apti ſint diſciplinis naturæ deſtinatione, pronuncio, libet eorum ſigna conglobare aliqua quibus quaſi

veſtigijs teneri quos quærimus facilè poſſint. Et ſanè nihil eſt facilius, quàm eiuſmodi claſſem internoſcere; quam enim partem in cæteris anni totius ætatibus ver obtinuit, eam ſibi occupauit illa in reliquis conſtitutionibus. Candido in vultu rubet aſſiduè color, flauus plerunque in vertice capillus, in cute læuitas & mollitudo, in forma dignitas, & auctoritas. Cæterum non aliud genus hominum illo feſtiuius: lepores, vrbanitates, & gratiæ nunquam diſcedunt. Sunt enim in Hominum ſocietate iucundi, ſunt liberales in iocis, comes in facetijs, hilares in argutijs; vt horum in vultu tamquã in nummis antiquorum, legi ſemper epigramma videatur inſculptum, Hilaritas generis humani. vſque adeo nullæ in ſupercilio nubes, nulla in fronte toruitas, in oculis acerbitas nulla, nihil moleſtum, nihil triſte: ſed explicata, ſed quieta, ſed tranquilla omnia, cæloque, cum ſudum eſt ſanè ſimillima: vt per eam placidiſſimæ frontis ſpeciem, veluti perſpicuam tranſlucentemque cryſtallum, ad ingenij ſedem ac penetrale candidiſſimum facilis atque expeditus introducatur aſpectus Accedit ad hæc animi facilitas quædam, & quam in partem vocaueris, obſequentis: accedit corporis agilitas, leuitaſque par auibus, robur & aptitudo membrorum conſtans & firma, ſaltationi, curſui, pugilatui, cæteriſque virium irritamentis aptiſſima: ſed corporis tamen quam animi maior habiliorque dexteritas. *Idem ibidem.*

## *Corpus in quo flaua bilis regnat.*

SEd iam è quatuor hominum claſſibus ſuprema ſupereſt eorum, quos vulgus nominat à morbo, quem græci Choleram dicunt. Horum naturam ex aſpectu oris, & orationis vbi curſim ob oculos propoſuero; vos inde, auditores, de re litteraria facietis, quod non erit difficilè, coniecturam. Ineſt, vt hinc exordiar, nationi præferuidæ, quam flaua bilis accendit ſumma tenuitas gracilitaſque membrorum: ſtaturæ modus haud immodicus, ſed eſt in confinio poſitus magnitudinis & paruitatis: corporis faciem pallor quidam giluus, mellique non abſimilis decolorat:

lorat: exterior cutis, quoddam quaſi corporis ſolum ſcabra ſtrigoſaque, venis arterijſque conſpicuis, quaſi fontium capitibus in ramos paſſim, & riuos abeuntibus, proſeminatur: caput ſucci plenum & maieſtatis: in quo maturata ſenectutis inſignia quàm citiſſimè caneſcentem honeſtant, & veluti candidatam in iuuentute cæſariem; pellucidus oculorum vigor, & argutus alacritatem animi videtur exprimere: inceſſus, celer, incertus, exlex: nec ſtabilior lingua, quàm pedes: nam & ſi gradus orationis ſæpe numero firmus ille quidem eſt, & quodam eloquentiæ tenore grauiter, æqualiterque glomeratus; tamen, ſi forte ſuccenditur bilis, & ebullit, attolliturque generoſius; tum verò difficilis & moroſus ſermo, conuolutus & complicatus in ſe ſe graditur, regreditur, paſſimque veluti contumax, & refractarius interſiſtit. Quid, quod communem ſocietatem conſuetudinemque mortalium, quanquam ipſi vehementer amant; non ita tamen in ea viciſſim amantur, cum ſimultates ciuium plures, & inimicitias grauiores, quam amicitias charitateſque ſuſcipiant? Nihil enim familiarius, nihil vnquam habent antiquius quibuſdam indignationum velut igniculis, leuiſſimis illis quidem minimèque vitalibus, ſed frequentioribus tamen, quam vt eos ferre patique diutius poſſit vſus & conſuetudo ciuilis; qui quanquam vix exorti cadunt, & veluti quædam incendiariæ Bolides, tum propius extinguuntur cum ardentius minaciuſque collucent; fieri tamen minimè poteſt, quin eorum iactu repentino, crebriſque fulgoribus, ſi minùs comburitur, afflatur certè viciſſitudo beneuolentiæ quædam, & mutui conſenſus integritas. ſuſpicioſiſſimum æquè genus hominum, moroſiſſimumque, quibus nugas, nuceſque, & pappos per aerem volitantes, tanquam excelſiſſimarum turrium, montiumque in ſe ſe incurrentium imaginem caecutientis animi vitio propriæ met intemperiæ ſemper obijciunt. *P. Guiniſius alloc. 4.*

## *Corpus extenuatum ac pæne conſumptũ.*

PAllebant ora, facies obſolebat illuuie, deflorue-rat ille natura diffuſus color, totum corpus ſine

 ſucco,

ſucco, ſine ſanguine miſerandum in modum extabuerat, oculi penitus in ſuos orbes incluſi, tempora lacunis altiſſimis depreſſa, eminebant malæ, atque dentes, pendebat è ſpina ferè nuda pectus aridum, venter macie collapſus, oſſa cute pro carne tecta digiti, manus, cæterique artus neruis tantum, & articulis continebantur; obſtupuerant ſenſus, languebant vires, non vox emitti faucibus, non crura moueri ſolo, non manus in cœlum tolli poterant. quid plura? non homines, ſed eiecta cadauera putares, cum videres, aut quaſdam effigies velut ſpirantium mortuorum. Erat illud ſpectaculum triſte omnibus & luctuoſum, paſſim per medias vias atque fora proſtrata corpora eorum quibus inopia cibi vitam ademiſſet, & quod erat miſerabilius quam plurimi mortui ante mortem, & ante ſepulturam iam ſepulti. *P. Perpinianus or. 2. de S. Eliſab.*

Atqui hic ( ò triſtem aſpectu, miramque rerum faciem ) hic inquam arbitrati ſe principem ſuum, quem agnoſcerent reperturos; & ecce: vix hominem infelices, ac ne hominem quidem magis, quàm hominis informem ſtatuam, aut exoſſem vmbram humi inter humentes paleas abiectam, conſpicantur. Veſtis circa omnis computruerat, & laceri ſerùm centones deſfluebant, caduci principatus inſigne. Capilli turbidè per humeros effuſi vultum efferauerat; & manuum pedumque vngues, qui fœdè excreuerant, habitum monſtri ſimilem figurabant: tum oſſa per aridam cutem extantia ſe vltro nudabant: nullusque nec in corpore vigor, nec in iuuene color, quem probares, apparebat: & cibi reliquię, furfures quibus lautitijs paſtus in illa ſagina fuiſſet, indicabant. Quæ talia, quamquam per ſe ſingula pondus habuere, vt conſpecta vel hoſti lacrymas excuterent: tamen vnum præter cætera flentibus amicis admirationi fuit; cum iuueni ſenectam toto vertice, mentoque viderent præproperè ſparſam eſſe, & crines ſua nuper iuuenta flauentes, repente cunctos in canitiem vertiſſe: vt vnius carceris ærumna ſuam ſimul & dignitatem principi, & ætatem iuueni videretur eripuiſſe. *P. Bidermanus l. 1. acroa. 7. pun. 140.*

*Vide Tit. fames & ſitis.*

*Corpus*

## *Corpus Bellatori conſentaneum.*

IAm verò ſi Flaminij quoque formam oris poſteris noſſe curæ erit; ſtatu ſublimis,ac rectus,haud ſupra communem magnitudinis modum, ad auctoritatem imperij compoſitus, & apta deſcriptione membrorum, & firmitate laterum ſcitiſſimè compactus,ac ſtrenuè cohærens ſibi, præſtantiam animi figura corporis exprimebat. Quippe robuſti corporis honeſta ſpecies, ac liberalis inceſſus, vultu, geſtu, cæteroque figuræ ductu leuitatem omnem à ſe reiecerat muliebris elegantiæ: Elata ceruix humerorum tractus æqualis, conſentienteſque lacertorum tori ſpectabilem viri dignitatem venerationi dabant. Item oris iucundus color ſub rutilo ſanguinis flore ſuffuſus: oblonga facies, nec exhauſta: lata frons,& explicata: ſupercilijs leuiter ductis, ac penicillo quaſi deſcriptis. Oculorum grandes orbes, perſpicuè ſubnigri penè ſub cæſij, lætum lumen,coniectus acer, in tranquillo feſtiuus: ſi quando ſeueritatis aciem exeruiſſet, terrore formidabilis plurimam lenitatem,clementiam, beneuolentiam promittebat. Cæterum ornatus haud abhorrens à populari. Capillus ſtrictim,ac per pectinem æqualiter attonſus,productiore barba, vberi crine, colore ſubfuſco: prorſus vt ex habitu, cultuque corporis, qui tacitus eſt index animorum, ſedatum virum facile crederes fortem facilius diceres: adeo dignitas oris famam virtutis impleuerat

*P. Bernardinus Stephonius orat. 2. in Fun. Delphini.*

# FORMA CORPORIS QVORVMDAM PRINCIPVM.

## *Iulij Cæſaris.*

FVIſſe traditur excelſa ſtatura, colore candido, teretibus membris, ore paulò pleniore, nigris, vege-

vegetiſque oculis, valetudine proſpera: niſi quod tempore extremo repente animo linqui, atque etiam per ſomnium exterreri ſolebat. Comitiali quoque morbo bis inter res gerendas correptus eſt. Circa corporis curam moroſior, vt non ſolum tonderetur diligenter, ac raderetur, ſed velleretur etiam: vt quidam exprobrauerunt. Caluitij verò deformitatem iniquiſſimè ferre, obtrectatorum ſæpè iocis obnoxiũ expertus: ideoq; & deficientem capillum reuocare à vertice aſſueuerat, & ex omnibus decretis ſibi à ſenatu, populoq; honoribus, non aliud aut vſurpauit libentius quàm ius laureæ, coronę perpetuò geſtandę. Etiã cultu notabilem ferunt. Vſum enim lato clauo ad manus fimbriato, nec vt nunquam aliter, quàm ſuper eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura: vnde emanaſſe Sillæ dictum conſtat, optimates ſæpius admonentis, vt male præcinctum puerum cauerent. *Suetonius in Iul. Cæſare c. 45.*

## *Tiberij Cęſaris.*

Corpore fuit amplo, atque robuſto: ſtatura, quæ iuſtam excederet. Latus ab humeris, & pectore: cæteris quoque membris vſque ad imos pedes æqualis, & congruens. Siniſtra manu agiliore ac validiore. Articulis ita firmis, vt recens, & integrum malum digito terebraret: caput pueri, vel etiam adoleſcentis, talitro vulneraret. Colore erat candido, capillo pone occipitium ſubmiſſiore, vt ceruicem etiã obtegeret, quod gentile in illo videbatur. Facie honeſta: in qua tamen crebri, & ſubtiles tumores, cum prægrandibus oculis, & qui (quod mirum eſt) noctu etiam in tenebris viderent, ſed ad breue, & cum primum à ſomno patuiſſent, demum rurſum hebeſcebant. Incedebat ceruice rigida, & obſtipa: adducto ferè vultu, plerumque tacitus: nullo aut rariſſimo etiam cum proximis ſermone, eoque tardiſſimo: nec ſine molli quadam digitorum geſticulatione. Quæ omnia ingrata, atque arrogantiæ plena, & animaduertit Auguſtus in eo, & excuſare tentauit ſæpe apud ſenatum, ac populum: profeſſus naturæ vitia eſſe, non animi. Valetudine proſperrima vſus tempore

pore

Digitized by Google

pore quidem principatus penè toto, prope illeſa: quamuis à trigeſimo ætatis anno arbitratu eam ſuo rexerit, ſine adiumento, conſilioue medicorum.
*Suetonius in vita Tiberij c.68.*

## *Caij Caligulæ.*

STatura fuit eminenti, pallido colore, corpore enormi, gracilitate maxima ceruicis, & crurum, & oculis, & temporibus concauis, fronte lata, & torua, capillo raro, ac circa verticem nullo, hirſutus cætera. Quare tranſeunte eo proſpicere ex ſuperiore parte, aut omninò quacumque de cauſa capram nominare criminoſum, & exitiale habebatur. Vultum verò natura horridum, ac tetrum etiam ex industria efferabat: componens ad ſpeculum in omnem terrorem, ac formidinem. Valetudo ei neque corporis, neque animi conſtitit. Puer comitiali morbo vexatus: in adoleſcentia ita patiens laborum erat, vt tamen nonnunquam ſubita defectione ingredi, ſtare, colligere ſemet, ac ſufferre vix poſſet. Mentis valetudinem & ipſe ſenſerat, ac ſubinde de ſeceſſu, deque purgando cerebro cogitauit Creditur potionatus à Cæſonia vxore amatorio, quidem medicamento, ſed quod in furorem verterit incitabatur inſomnio maxime, neque enim pluſquam tribus nocturnis horis quieſcebat: ac ne his quidem placida quiete, ſed pauida miris rerum imaginibus: vt qui inter cæteras pelagi quondam ſpeciem colloquentem ſecum videre viſus ſit. Ideoque magna parte noctis vigiliæ cubandique tædio, nunc toro reſidens, nunc per longiſſimas porticus vagus inuocare identidem, atque expectare lucem conſueuerat.
*Suetonius in eius vita c.50.*

## *Neronis.*

STatura fuit penè iuſta: corpore maculoſo, & fœdo: ſufflauo capillo: vultu pulchro magis quam venuſto. oculis cæſijs & hebetioribus: ceruice obeſa, ventre proiecto gracillimis cruribus, vale-
tudine

tudine proſpera. Nam qui luxuriæ immoderatiſſimæ eſſet, ter omnino per XIIII. annos languit. atque ita vt neque vino, neque conſuetudine reliqua abſtineret. Circa cultum, habitumque adeo pudendus: vt comam ſemper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pone verticem ſummiſerit: ac plerumque ſynthesin indutus, ligato circum collum ſudario prodierit in publicum, ſine cinctu, & diſcalceatus. *Suetonius in vita Nero. c.51.*

## *Domitiani.*

STatura fuit procera, vultu modeſto, roborisque pleno, grandibus oculis, verum acie hebetiore: præterea pulcher, ac decens maximè in iuuenta, & quidem toto corpore, exceptis pedibus, quorum digitos reſtrictiores habebat: poſtea caluitio quoq; deformis, & obeſitate ventris, & crurum gracilitate, quæ tamen ei valetudine longa remacruerant. Commendari ſe verecundia oris adeo ſentiebat, vt apud Senatum ſic quondam iactauerit, vſque adhuc certè animum meum probaſtis & vultum. Caluitio ita offendebatur, vt in contumeliam ſuam traheret, ſi cui alij ioco, vel iurgio obiectaretur.
*Sueton. in vita Domit. c. 18.*

## *Caroli V. Imperatoris.*

ERat eius vultus, vt hoc quoque curioſi minimè deſiderent, argenteo & grato quodam pallore dilucidus, oculi cærulei, ſuaues, nulla acri ſeueritate formidabiles, & ij quidem ad ingenuum pudorem virilemque modeſtiam inſtituti. Naſus à medio clementer aſſurgebat: quod magnitudinis animi ſignum in Perſarum etiam regibus ab antiquis fuit obſeruatum. mentum ad exiguam venuſti oris iniuriam paulo prominentius; & quod grauitatis ſpeciem addebat, ſub criſpa, & flauenti barba conueſtitum: capillum verò fulgore pallentis auri, more Romanorum Cæſarum circumtonſum oſtendebat. Porrò ſtatura corporis, vt in ipſo ætatis integræ flore, & proſperrima

tima valetudine, non ab inerti ſucco, ſed à valido neruorum nexu longè firmiſſima : peramplæ item, robuſtæque manus ad ſtringendum ferrum idoneæ; crura autem venuſtiſſimè extantibus toris, trunci proportione directa, quod tum maximè apparebat, quum equo veheretur. Tanta enim ei inerat cum dignitate equitandi peritia, vt nullus eo armato, atque equum incitante, & in gyrum reflectente vel pulchrior, vel viuidior, vel in ferendo armorum pondere patientior eques reperiri poſſe videretur. *Iouius hiſtor. lib. 27.*

## *Theodorici Gothorum Regis.*

SI forma quæratur, corpore exacto; longiſſimis breuior; procerior, eminentiorque mediocribus, capitis apex rotundus, in quo paulum à planitie frontis in verticem, cæſaries refuga criſpatur, ceruix non ſedet neruis, geminos orbes hiſpidus ſuperciliorum coronat arcus, ſi verò cilia flectantur, ad malas medias palpebrarum margo prope peruenit, aurium legulæ (ſicut mos gentis eſt) crinium ſuperiacentium flagellis operiuntur, naſus venuſtiſſimè incuruus, labra ſubtilia, nec dilatatis oris angulis ampliata; ſi caſu dentium ſeries ordinata promineat, niueum protinus repræſentat ipſa colorem, pilis infra narium antra fruticantibus quotidiana ſucciſio, barba concauis hirta tẽporibus, quam in ſubdita vultus parte ſurgentem ſtirpitus tonſor aſſiduus genas adusque forcipibus euellit, menti, gutturis, colli, non obeſi, ſed ſucculenti, lactea cutis, quæ propius inſpecta iuuenili rubore ſuffunditur. Namque hunc illi crebrò colorem, non ira, ſed verecundia facit, teretes humeri, validi lacerti, dura brachia patulæ manus, recedente aluo pectus accedens, aream dorſi humilior inter excrementa coſtarum ſpina diſcriminat, tuberoſum eſt vtrunque muſculis prominentibus latus, in ſuccinctis regnat vigor ilibus, carneum femur, internodia poplitum benè maſcula : maximus in minimè rugoſis genibus ho-

nor, crura ſuris fulta turgentibus: & qui magna ſuſtentat membra, pes modicus.
*Sidonius Appollinaris lib. 1. epiſt. 2.*

## *Franciſci I. Galliarum Regis.*

ERat Franciſcus procera corporis ſtatura, colore lacteo, viuacibus oculis, ſerena prorſus ac regia facie, omnium qui adeſſent eius ætatis formoſiſſimus, Idque illi in primis incomparabilem gratiam addebat, quod nemo vel ſeuerus in eo fere imberbi grauitatem regijs moribus neceſſariam deſideraret, quum verſicolore ac interciſa veſte pileoque diſfluentibus pennis redimito, ac licentiore ſermone apud ſuos vteretur: omneſque tamen in caſtrenſi comitate regiam dignitatem agnoſcerent.
*Paulus Iouius hiſt. lib. 16.*

## *Leonis X. Pont. Max.*

ERat ſtatura corporis admodum excelſa, toto habitu ſucculo potius quàm pingui, & eo quidem per ſingula membra venuſtè commenſurato, teretibus ſcilicet directiſque cruribus, & manibus candore formaque longè pulcherrimis. Sed vna capitis amplitudo cætera membra, enormi prope exceſſu, nec tamen ſine dignitate ſuperauit: vnde illi naturæ dono admirabilis ingenij captus, & memoria rerum omnium ſingularis, ſubtrahebant etiam magna ex parte oris ſuauitatem obeſæ malæ, & oculi extantes, conuolutique, & hebetes, verum ſi ad pupillam inſpicienda propius admoueret, ſupra fidem acutiſſimi. Ex ore eius voce ſuaui & tenera ſermones profluebant ad omnes affectus exprimendos peruenuſti. nam neque in ſerijs aſtricta grauitas, neque in communibus liberalis lepor, neque in mollioribus vrbana fœcunditas vmquam defuit.
*Iouius in vita Leonis X. l. 4.*

## *Roberti Cardinalis Bellarmini.*

VT pauca de corporis quoque lineamentis addam; Statura fuit, quæ ad mediocrem accederet: frontem habuit latam oculos viuaces & iucundos, naſum leniter incuruum, prægrandes aures, & os decens: capillos in capite denſos, albenteſque in ſenio, in priore ætate nigros; barbam aliquantulo rariorem; carnem rubicundam & candicantem; humorum temperiem, aut cum exceſſu nullo, aut declinantem nonnihil ad iram, naturamq; præferuidam. Valetudine ad hæc vſus eſt non improſpera, & cerebri vi temperata, idoneaque laboribus aſſiduis ſtudiorum, negotiorumque perferendis. Cæteris verò membris æqualis & congruens, ſic vultu & inceſſu toto ferebatur, vt non aliud ferè potuiſſet modeſtia ipſa magis aptum ſui delineare ſimulacrum.

*P. Silueſ. Petraſancta in vita l. 7 c. 3.*

# FORMA CORPORIS ALIQVORVM CÆLITVM.

## *S. Ignatij.*

STatura fuit modica, grato, & pleno dignitatis aſpectu colore inter album, & aquilum, exporrecta lataque fronte; viuacibus oculis; oblongo & incuruo naſo, quam vel in primis certam prudentiæ notam metopoſcopi exiſtimant. claudicauit nonnihil è vulnere olim in propugnatione Pompelonenſis arcis accepto, ſed citra vllam deformitatem; vt nemo fere niſi curioſus animaduerteret. Effigies circumfertur illius non admodum ad viuum, vt familiares affirmant; ſi quidem ex mortui demum facie, gypſo imaginem expreſſere plaſtæ, quoniam ipſe, dum

ſum viueret, neque pingi ſe, neque fingi permiſit, omnibus in rebus humanæ gloriæ contemptor egregius; ac dignus profectò, cuius vitæ ſanctimoniam præſtantiſſimaſq; virtutes, pia poſteritas, tanti parentis memor, in omne tempus imitetur, & celebret.
*P. Maffeius in eius vita l.3. c.vlt.*

## *S. Franciſci Xauerij.*

CÆterum eius corpus imaginem animi, effigiem cæleſtis felicitatis intuentes fletum integrabant; iucundiſſimoque aſpectu neque animos, neque oculos ſatiare poterant. Corpore Franciſcus fuit ſatis amplo robuſtoque ſtatura procera, iuſtam haud ſanè multum excedente, colore candido facie honeſta ac liberali, vultu hilari quidem ſed viuido, & ardenti, cæſijs vegetiſque oculis, naſo modico, barba & capillo natura nigro, ſed iam ætate, aut curis potius cano; veſtitu tenui vulgarique ſed mundo. Tunica talari, vt ſupra diximus, induebatur (Indorum ritu Sacerdotum) diſtincta, vt togæ etiam vicem haberet. Itaque ſubibat ſpectantium animos eximia illius comitas, benignitaſque in omnes ſingularis Magnitudo animi periculis, ac difficultatibus inuicta. Mortis, cuius cæteri nomen horrent, perpetua contemptio: Diuinæ Gloriæ, ac religionis proferendæ infinita cupido: Demiſſio magnitudini animi par: pietas ac ſanctitas prorſus egregia.
*P. Turſellinus in Vita l.5. c.12.*

# CORPORIS PVLCHRITVDO, VEL DEFORMITAS.

## *Venuſtas Muliebris.*

O Naturæ eximium operę pretium. O mulierum decus! O viuam, ſpirantem per omnia Veneris imaginem. Nam illi vt veneriam formam, quantum

tum pote verbis depingam. Mixtæ candidiore, ac tenui rubore genæ, natiuum roſarum ſplendorem referunt; ſubtilia labra, tenuique interſtitio diſtincta genarum purpuram vincunt; ſupercilia fuſca puriſſima nigredine, diſparataque inter ſe æquabili meditullio; naſus rectus, & adæquatus tenuitati labiorum; oculi magni, flagrantes, & puro lumine ſuffecti, in quibus nigrum pupulæ lactei circuli vicino candore circumfuſum, ex ipſa colorũ pugna temperiem pulchritudinis facit excitatius gratam, in qua gratias inſidentes, cuiuis adorare promptum eſt. At coma ſuo ingenio fuſa ſimilis eſt criſpitudine (vt Homerus ait) hyacintino flori, & hanc opinor manus Veneris diſcriminauere. Ceruix alba, vultus nitori haud diſſimilis, & inornata licet, ſatis eſſet ſuis delicijs ferox: ſed tamen eam monile præcingit exquiſitis lapillis illuminatum, & formoſæ nomen præferens, cui gemmarum ordo pro litteris. Statura procera, veſtis elegans, conueniensque & membrorum conformationi adæquata, ſi veſtem induit formoſa eſt, ſi exuit, tota forma eſt. Inceſſus compoſitus, ſed breuis. cupreſſi, aut palmæ in modum agitatæ modico fauonio (tanta eſt præcellentis formæ dignitas) ſed illas opinor plantas aura zephyri commouet, hanc leues auræ cupidinum quodam modo ſubleuant. *P. Cauſinus de Eloq. l. 11. ex Ariſtaneto. epiſt. 1.*

## *Corpus pueri elegans.*

TOt heroum ſcilicet ſtirpem latis efficax natura monſtrauit. Reſtitit puer nihil territus inaſſueti hominis vultu. Arcum habebat ætati & viribus parem, cui in terram ſtatuto innixus me opperiebatur. firmus & liberalis totius corporis geſtus. ſubflaua cæſaries, & ipſa neglıgentiæ opinione melior: ſparſa enim non ceruicibus tantum, ſed per incenſam ludendi impetu frontem iacebat. Oculus inter iubentis, mulcentiſque aciem: os, ſupercilium, genæ, qualia in Cupidinis ſignis aſpicimus. *Et infra.*

Contra in Aſtioriſte viuida quidem, ſed tenera adhuc ætas, non altius, quàm ad hoſtis ſui humeros ſtaturam promouerat. Vultus quamquam tunc mi-

nis

nis aſper, qui virginis eſſe poſſet; liberale veſtigium; nec quicquam in eo timeri dignius, quàm amari.
*Barclaius Argen. l. 4.*

Candido in vultu rubet aſſiduè color, flauus plerumque in vertice capillus, in cute leuitas & mollitudo, in forma dignitas, & auctoritas: cæterum non aliud genus hominum illo feſtiuius: lepores, vrbanitates, & gratiæ nunquam ab ore diſcedunt: nullæ in ſupercilio nubes, nulla in fronte toruitas, in oculis acerbitas nulla, nihil moleſtum, nihil triſte: ſed explicata, ſed quieta, ſed tranquilla omnia, accedit corporis agilitas, leuitaſque par auibus: robur & aptitudo membrorum conſtans & firma, &c.
*P. Vinc. Guiniſius alloc. 4.*

Hos inter fortè aderat adoleſcens, non ſolùm nomine, verùm etiam voce, ipſoque ſilentio Harmonillus. Decor enim corporis inuſitatus, eleganti partium conſentione coaleſcens, perpetuam faciebat ſine ſtrepitu harmoniam. Eiuſdem verò adoleſcentis forma & indoles eximia priùs de ſpectatorum omnium oculis, quàm de concertantium puberum cantu vox argutula, triumphauit. Vt niſi iam adultus illic præſideret, in teneram ætatem remigraſſe Apollo ipſe videretur. Extimam puero lucem intimæ virtutes effuderant: animuſque pulcherrimus in vmbra & nube corporis intermicabat. Facies enim cæleſti filo decenter oblonga, & auguſtior, quam cerni inter humana conſueuerit, ex magnifico placidoque præfulgebat. Spatioſam ingenuitas frontem conſtanti ſereno hilarauerat. Lilium & roſam in eminulis genis virginalis pudor conſeuerat. Vtrunque turgidulum ſupercilium, nullo tumida faſtu, morum grauitas aurea lanugine tenuiter arcuauerat. Sed lætos oculis honores gemina certatim virtus afflauerat. Cæſium ijs Mineruæ colorem ingenij vis indulſerat: eoſdem viuido mitique igne alacritas generoſa accenderat. Aures modicas ac teneras roſea temperie docilitas colorauerat. Naſum iuſto rectoque ductu prudentia, & magnanimitas porrexerant. Os faberrimum facundia, opifex arguta, concinnauerat. Huius denique iunioris inter canoros ephebos Appollinis tam præclarus vultus ſubrufi nitoris cæſarie, illuſtribus pueri cutis ſimillima, radiabat.

Reliquo-

Reliquorum venuſtas membrorum liberali cum facie congruebat. Gemino præterea miraculo collucentes in puero decor & pudor indicabant natalem illi affulſiſſe Venerem in Virgine.
*P. Io. Bapt. Ferrarius Heſper, l.1.c.5.*

## *Corporis deformitas.*

ITaque corpus illi depreſſum, ac ſpiſſum mendoſiſſima deſcriptione membrorum omnium, enormem proiecti ventris aqualiculum proferebat. habitu præpingue, ſtatura per puſillum erat: lateribus, humeris, thorace, tergo, ceruice circumſcriptè conglobati velut in nodum: ante retem cylindrum, an amphoram, an quadrantal diceres; dubitares. Huic trunco ſuum caput erat impoſitum bene magnum, è familia Capitonum: producta frons ex gente Frontonum. collum rigidum, breue, toroſum: depreſſæ malæ turgidis, ac fluentibus buccis. naſi porro forma multiformis. ſi magnitudinem ſpectes: Ouidij genus agnoſcas: ſi ſubſtillas puſtulas, aliquem dicas ex genere Tuberonum: ſi pandas, & eliſas nares: non ambigas eſſe Naſicam: ſi cauernulas ſemper humectas, lacunas, ſi grauem halitum, menphitim nihil è ſabæa meſſe ſpirantem putes. Iam oculorum acies cornea velut in dormiente lepuſculo ſemper intentas: diſpariles orbes: obtutus incertus; ſimulè conniuentibus genis, vel interraſa, vel interuulſa ſupercilia: nec, vti ſpectantur in pleriſque veſtrum inuerſum æquata tractim, tenuiterque deducta nobilium ritu: ſed interpolata paſſim, & lacunoſa pilis alibi fædè iacentibus; alibi non extantibus: alibi ſetarum in modum horrentibus. os hiulcum, deforme, roſtratum, labrum ſuperius obuncum mote Satyrorum: inferius repandum, & putridis dentibus adhæreſcens. mobilium, an aurium, an auricularum, infinitus modus. barba furua, denſa, diſſipata, recilla, crinibus hiſpidis, & impexis medium quiddam effecerat inter Hircium, & Hircum. At color oris ex liuore ſubalbidus: tardus, & ſegnis inceſſus: inertia membrorum omnium, atque ſtupor: linguæ debilitas, & hæſitantia. non rara, vel perpetua potius omnium

rerum

rerum admiratio: nihil ſentiens, nihil diiudicans, nihil excipiens, nullam in tam informi corporis maſſa micam ſalis aſperſam longè ſpectantibus indicabat. Ne bipedem aſinum haberemus: ſuperiecit Natura gibbum: vt aſinum animo, camelum corpore putaremus. Et tamen hanc talpæ leberidem, hoc exuuium Simioli, caſſam hanc hominis tanquam viuentis effigiem (ò bona tempora nihil deſperantium ſenum) boni parentes, vt bonum reipublicæ Senatorem educerent, erudiendum bonis artibus à pueritia cenſuerunt, non reputantes eum, qui pleraq; nomina latinæ nobilitatis Græcus attingeret numeroſa fœditate corporis: vt molis concretione Craſſos, adipis denſitate Galbas, deſidiæ languore Flaccos: proiectione ventris Otacilios, crurum iniquitate Claudios, inuerſione Valgios, iactatione Vatinios: macularum aſperſione Lentulos, Lentinos, Varios: verrucularum frequentia Næuios, Verrucios, Verrucinos: humerorum gibbera ſubſtructione Scapulas; oris nunc infantia Mutios; nunc hæſitantia Bambaliones, nunc debilitate Balbos, nunc in condito ſermone Graccos. labiorum quà tumore Labeones, quà depreſſione Labienos: oculorum colore Cornelios; poſitione Pætos, conuerſione Strabones, nictatione Luſcinios, acie Coclites, & ſi vim animi ſpectes omnino Cæcilios: ſuperciliorum horrore Silones, & leui litteræ demutatione Sillanos, niſi malis relicto Romano nomine Silenos. narium eminentia Naſones ſimitate Naſicas, diſtillatione Turpilios: malarum tumore rictuque Maluginenſes: ſincipitis exteriore parte frontes, interiore frontinos: crinibus Hirtios, verticis arce Capitolinos; tota corporis animique conformatione Buteones, Aſinios, Vitellios, Porcios, Antonios, Papienos; eum inquam, qui tam varia deformitate corporis tam multa Romana nomina complexus eſſet experientia doctum, quam nihil adiuuent auxilia doctrinæ, ſi penitus deſtituere præſidia naturæ. *P. Stephonius proſa 8, de Margite.*

Scio non ſemper in fœdo corpore turpem etiam animum habitare: ſed ſæpe mentem aliquam excelſam, & velut è Sapientiæ delibatam ſinu naciſci male materiatam domum, & tabernaculum vitioſum. Quid plura? nonne Socrates ipſe Platonis magiſter

giſter ſimis fuiſſe naribus dicitur, recalua fronte, piloſis humeris, cruribus diuaricatis? Nonne Zeuſippus ceruice fuit curua, Aratus repanda, Epicurus diſtenta cute, Diogenes barba comante, Xenocrates crure collecto, Heraclitus oculis ex fletu ſemper clauſis, Democritus rictu, labriſque ſemper apertis ex riſu? Quin Epitectum ipſum claudum fuiſſe accepimus, & enormiter ex pedum vitio laboraſſe.

*P. Tar. Gallutius to. 1. or. 3.*

Sed illud iucundum æquè ad antiquum eſt, quod Græcus poeta ludit in Proclum, hominem Therſite Homerico deformiorem, bene capitatum, acutè auritum, prolixè ac liberaliter naſutum. atque (vt quod ad rem pertinet, ſolum loquar) naſum nempe claſſicum, atque inter omnes anteſignanum, tam amplo porrectum mole deſcribit, vt eum emungere, ac detergere totum nequiret: quippe maior multo erat, quàm vt ad eũ manus poſſet pertinere. additq; hinc etiam fieri, vt quando ſternuebat Proclus, non imploraret ſibi Deorum opem, neque diceret, Iupiter ò adſis: nimirũ naſus ſatis amplè productus iam longè aberat ab aure, vt ad eam ſternutamenti ſonus non niſi aliquanto poſt tempore perueniret, cum videlicet iam dudum ſternuiſſet, nec iam amplius ope Iouis opus eſſet.

*P. Famianus lib. 3. prælect. 4.*

Elegans videlicet homo, peruenuſtuſque cuiuſque ſit ſpectabilis perſona viſentibus. Enimuero illa ſordidior eſt, atque deformior cadauere rogali, quod facibus admotis, ſemicombuſtum, moxque ſidente ſtrue torrium deuolutum. reddere pyræ iam faſtidioſus pollinctor exhorret. Præter hęc lumina gerit, idem lumine carentia, quæ ſtygiæ vice paludis, voluunt lachrymas per tenebras. Gerit, & aures, immanitate barrinas, quarum fiſtulam biformem pellis vlcerosa circumuenit, ſaxeis nodis, & tofoſis humore verrucis per marginem curuum protuberantibus. portat, & naſum, qui cum ſit amplus in foraminibus, & ſtrictus in ſpina, ſic pateſcit horrori, quod anguſtatur olfactui. prætendit os etiam labris plumbeum, rictu ferinum, gingiuis purulentum, dentibus buxeum, quod ſpurcat frequenter exhalatus, è concauo molarium computreſcentium mephiticus

 odor,

odor, quem ſupercumulat eſculenta ructatio de dapibus heſternis, & redundantium ſentina cenarum. Promit & frontem, quæ ſqualidiſſimo geſtu cutem plicat,ſuperciliia diſtendit,nutrit & barbam, quæ iam ſenectute caneſceat, ſit tamen morbo nigra Syllano. Tota denique eſt miſero facies ita pallida, veluti per horas vmbris meſtificata laruali bus. Taceo reliquam ſui molem, vinctam podagra, pinguedine ſolutam. Taceo cerebrum crebra vibice peraratum, quòd parum amplius tegi conſtat capillis, quàm cicatricibus. Taceo pro breuitate ceruicis, occipiti ſupinato ſcapularum adhærere confinia. Taceo, quia decidit honor humeris, decor brachijs, robur lacertis. Taceo chiragricas manus vnctis cataplaſmatum pannis tanquam ceſtibus inuolutas. Taceo quod alarum ſpecubus hircoſis, atque aceſcentibus latera captiua vallatus, nares circumſedentium ventilata duplicis Anſancti peſte funeſtat. Taceo fractas pondere aruinæ iacere mammas, quaſque fœdum eſſet in pectore virili, vel prominere, has vt vbera materna cecidiſſe, Iam quid hic tergum,ſpinamque commemorem? De cuius licet internodiorum fomitibus erumpens aream pectoris texat curuatura coſtarum, tota nihilominus hæc oſſium ramoſa compago ſub vno velut exundantis abdominis pelago latet. Taceo lumborum corpulentiam, cluniumque, cui craſſitudini comparata cenſetur aluus exilis. Taceo femur aridum, & pandum, genua vaſta,poplites delicatos, crura cornea, vitreos talos, paruos digitos, pedes grandes. *Sidon Appollinaris l.3.ep.13.*

# STATVRA CORPORIS.

## *Homo ſtatura celſiſſima.*

IAcebat ſupra ſaxum terribilis moles ad membrorum humanorum diſtincta figuram. ſola magnitudo vetabat pro cadauere id haberi. Tardè igitur acceſſimus, diuque ſiue monſtrum hoc eſſet, ſiue deorum aliquid, manus non admouebamus. Caput adhus

adhuc non inuiolatos modo crines,ſed & vultus ſeruabat. ferox barba procumbebat in pectus, & à genis vtrinque cum pari miſcebatur cæſarie. Quid crura quid lacerti,quid metarū inſtar pedes? Signum probè effictum (cogitabam) ſi hoc artifex figurauit; ſin naturæ opus eſt, vnde iam imbecilli? vnde homunciones à magnitudine illa excidimus? mox ſtupore, vt ſolet dilabente, primus iniecta manu auſus ſum quid hoc eſſet experiri. Sed quodcunque ad contactum peruenit, video in puluerem reſidere. Et hinc facta cunctantibus fides verum eſſe corpus humanum. *Barclaius Argen. l. 2.*

Hic tamen appellationum homo multarum, ac multigenerum, quem immani forta ſſe corporis mole, aptaque ſuſtinendis tot nominum titulis ipſi vobis tacitè conformaſtis, quem toto ſupra verticem ſublimem facile credidiſtis, quem vt opinor multiplicem, ac Geryonæo de genere, aut Enceladi Typhocine ſobolem, ſeu centum geminum Briareum exiſtimaſtis, hominis inquam hyperbolem, veſpertinam vmbram, Rhodium coloſſum, Gigantomachiæ Golophonem, vnam ex Herculis columnis, hoc eſt hominem,cui poſſit inſcribi. Non plus vltra.
*P. Famianus l. 3. pral. 2.*

## *Pumilio ſiue homo ſtatura breuiſſima.*

HOmo bipalmaris erat: homo inquam? hominis indicium dicere volebam, ſomnium hominis, ſalillum animæ, hominis quadrantem, particulam fruſtumque hominis, ſigillum compendium, aut ſi mauultis; hominis breuiarum videri illum quidem hominem natura voluit, conataque eſt; & vero apparebant huius conatus in illo veſtigia,ſed opus non abſoluit, ac pro homine hominis ſpecimen dedit. Nimirum lepidiſſimus hic Regulus, qui ſuis ſe appellationibus facile inuoluebat, totus effluxerat in nomina. diceres punctum ac centrum videri, ex quo lineæ complures abeunt, ac punctum vndique circunſtant, ipſum verò centrum effugit aciem oculorum.
*Idem ibidem.*

# ANIMVS HVMANVS.

Eſt enim cæleſtis animus ex altiſſimo domicilio depreſſus, & quaſi demerſus in terram, locum diuinæ naturæ æternitatique contrarium. ſed credo Deos immortales ſparſiſſe animos in corpora humana, vt eſſent, qui terras tuerentur, quique cæleſtium ordinem contemplantes imitarentur cum vitæ modo atque conſtantia. Quid multa? ſic mihi perſuaſi, ſic ſentio: cum tanta celeritas ſit animorum, tanta memoria præteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tot ſcientiæ, tot inuenta non poſſe eam naturam, quæ res eas contineat, eſſe mortalem: cumque animus ſemper agitetur, nec principium motus habeat, quia ipſe ſe mouent, nec finem habiturum eſſe motus, quia nunquam ſe ipſe ſit relicturus; & cum ſimplex animi ſit natura, neque habeat in ſe quidquam admiſtum, diſpar ſui, atque diſſimile, non poſſe eum diuidi: quod ſi non poſſit, non poſſe interire; magnoque eſſe argumento, homines ſcire pleraque antequam nati ſint, quod iam pueri cum artes difficiles diſcant ita celeriter res innumerabiles arripiant, vt eas non tum primum accipere videantur, ſed reminiſci, & recordari. Hæc Platonis fere. Nec verò clarorum virorum poſt mortem honores permanerent, ſi nihil eorum ipſorum animi efficerent, quo diutius memoriam ſui teneremus. Mihi quidem nunquam perſuaderi potuit, animos, dum in corporibus eſſent mortalibus viuere; cum exiſſent ex ijs emori: nec verò tum animum eſſe inſipientem, cum ex inſipienti corpore euaſiſſet; ſed cum omni admiſtione corporis liberatus, purus, & integer eſſe cœpiſſet, tum eſſe ſapientem, atque etiam cum hominis natura morte diſſoluitur, cæterarum rerum perſpicuum eſt, quò quæque diſcedat: abeunt enim illuc omnia vnde orta ſunt: animus autem ſolus nec, cum adeſt, nec, cum diſcedit, apparet.

*Cicero in lib. de ſeneƈt.*

## Mens, ſiue Ratio.

ETenim duo ſunt in nobis munera diuina,vtilitate magna,nobilitate prima, ipſo genere præclara, ratio, & quaſi nuntius quidam rationis,& interpres, ſermo. Illa res abditas inueſtigat, inueſtigatas comprehendit, comprehenſas digerit, & componit, diſſipata colligit, collecta diuidit, præterita recordatur, cernit inſtantia, futura conie ctat, & extrema conferens primis, omnium rerum curſum, & euentorum conſequentiam notat. ſed hæc omnia veluti quibuſdam obruta tenebris latent, incluſa penitus in pectoribus, & animis noſtris: quæ vbi lumen orationis acceſſit tum demum ab hominibus patefacta, & illuſtrata cernuntur.

*P. Perpinianus orat. 6.*

Datus eſt item menti Reginæ pro regno mundus, pro imperio rerum vniuerſitas; pro regia domicilium corporis pulcherrimè deſcriptum in ſani ſpeciem, artificio mirabili, non auro, gemmis, ebore, marmore, ſed oſſibus, neruis, carne, venis, ſenſibus, pretioſioribus rebus ædificatum, in quo perſecando philoſophi obſtupeſcunt, in contemplando Theologi ſtupefacti mirantur: pro arce caput in celſiſſimo, tutiſſimoque loco ſitum; in quo voluntas palatio præeſt,& Prætorio; conſcientia eſt à ſecretis;memoria ſanctius ærarium, ſupellectilis cella, totiuſque theſauri cuſtodia, facultates reliquæ animi; ſunt adminiſtræ.ſenſus interiores,cubicularij,laterumque ſtipatores. Qui vigiles,& cuſtodes extrinſecus? Angeli corporis expertes,qui nec laſſitudine defatigantur in vigilijs, nec defatigatione oppreſſi obdormiſcunt in excubijs.Qui ſatellites, ſerui atrienſes,& ſpeculatores, omnia diligenter explorantes, & ad Reginam fideliter deferentes? Quinque ſenſus,exteriores, inter quos veri ſunt oculi Reginæ, veraque aures Imperatricis; qui omnes celeriter, vel res ipſas, vel rerum imagines, & ſimulacra Dominæ repræſentant. Propterea partim in arcis excelſo loco,tanquam in altiſſimis ſpeculis excubant; partim quaſi ſagaciſſimi accipitres per aerem venantur quæcunque per

inane feruntur; partim vt venatici canes in vijs opportunis omnia ſagaciſſimè veſtigant,& ſubodorantur.num deſunt illi curſores,& ignes, quibus in ſolio ſuo reſidens domi cuncta cognoſcat? minime vero, Sol, Luna, ſydera reliqua: flammæ noſtratis ignis aſtrorumque ſplendores ſunt illæ faces, quarum ope de finibus quoque cœli fit omnium certior;curſores autem tum diurni, tum nocturni,qui non tam incitatis, & mutatis equis, quam vehiculis, & quadrigis; quam tabellaris, nauiculis, & nauigiolis epiſcopijs; quam volucribus pennis, alarumque remigio properant, accurrunt, aduolant ad regiam è longinquis locis, & temporibus ab extremis oris Imperij, quæ geſta ſint, quæ gerantur Reginæ fideliſſimè renunciant; odores ſunt, colores litteræ,ſigna, figuræ,ſoni, verba, voces, cæteræque res obiectæ ſenſibus, quæ tametſi nullus eas venetur, & inquirat, & in ipſos ſenſus diuino iuſſu ſe ſe ingerunt,irrumpunt,illabuntur. *P. Iul. Nigron. or. 10.*

Non videtur mens, & videt, ac perſpicit tam quæ in homine, quam quæ extra hominem ſunt omnia. Naturam rerum omnium caducarum ſcientijs, & artibus tanquam directis, ac certis itineribus pervagatur;per cælum, terras,& maria incredibili celeritate diſcurrit.Nec in his acquieſcens,è caligine iſta rerum mortalium ipſa cœlorum penetralia peruadit, mentes ab omni coniunctione materię ſinceras perluſtrat, & vſque ad ipſum primum vniuerſorum Satorem contendit, cuius maieſtatis percuſſa radijs velut temulenta efficitur. Iam inueſtigare occulta, rebus impònere nomina,mortales in agris beſtiarum ritu vagantes;victuque ferino vitam tolerantes vnum in locum compellere, & congregare,eorumque immanem feritatem ratione, & oratione in manſuetudinem,facilitatemque conuertere, ſonos vocis infinitos paucis litterarum notis amplecti, in domos ſuperas ſcandere, aſtrorum ortus, obitus, curſus, progreſſiones, inſtitutiones notare dies, menſes, annos, circumſcribere, defectiones ſolis,& lunæ cognoſcere,longèque ante prænoſcere,& in poſterum tempus prædicere: hæc, & ſimilia ab animo profecta certè diuina ſunt. Ille & præterita recordatur, & futura proſpicit, & præſentia complectitur: ille ſapit, ille

ſentit

ſentit: ille vult, ille viget, quæ cum Deo habet communia. Ille demum conſequentia cum antecedentibus connectens: quid ex quo efficiatur aut probabili, aut neceſſaria argumentatione concludit, ſingula definit, circumſcripteque comprehendit.

*P. Pontanus vol. 3. par. 2. prog. 9.*

## *Memoria.*

AGe igitur: memoria præ alijs valet Orator. Et verò etiam glorietur tanquam excellenti vitæ bono tanquam theſauro, & penu diſciplinarum, germana litteraturæ, muſarum parente, altrice Sapientiæ inſigni demum argumento diuinitatis. Quid enim? an poteſt quicquam eſſe, aut excogitari præſtantius quam eam patere in animo capacitatem, quam immenſa rerum aliarum allijs quotidiè accedentium congeries non modo non exæquet, non expleat, non cumulet, ſed dilatet etiam, laxetque, ac fundat amplius, nouoſque ſemper ſinus, ac receſſus intus latè lacunoſos aperiat? quid admirabilius, quam rerum, verborumque multitudinem forma variam, ſenſu diſcrepantem, numero infinitam, ijs loci anguſtijs ita non confusè, ac permiſtè, ſed diſtinctè, electeque conſeruari, vt quaſi diſcreto, deſcriptoque in capita, ſeu familias populo, in fronte domus Domini titulum legere, indeque habitatorem euocare, aut gentem vniuerſam cenſere facile poſſit? quid accomodatius, quàm ſimulacrorum ingentes copias, tamquā addictam vbique tibi ſacramento militiam, eo inter ſe nexu ac fide coniunctam, cohærentemque habere, vt ſiue vnum quodque ſeparatim, ſiue confertim vniuerſa: ſiue ſingula ordinatim in aciem proferre velis, nihil planè in tanta rerum turba turbetur, ſed alia procul atque in receſſu ſita prodeuntibus locum cedant: alia ſemiaperto aditu quaſi tentabunda, & an ipſa quærantur, exploratura ſubſiſtant, alia ſe tota confeſtim promant, atque in medium certò euocata proſiliant? Hoc autem tam magno, tam fido domeſticorum agmine inſtructus animus, quam ſpeciem ſui auditoribus exhibebit, dum nihil agetur vnquam, nihil cadet in conſuetudinem quotidiani ſermonis,

 nihil

nihil in diſquiſitionem, deliberationemque aliquando vocabitur, cuius arbitrium ille continuò petere ab antiquitate, teſtes citare maiores, ſententijs, exemplisque confirmare, dicta ſapienter, fortiter facta, excogitata prudenter inſerere, cum recentibus antiqua, noſtra cum externis, cum vltimis prima, mediaq; conferre ad pompam vſque oſtentationemque non valeat? *P. Famianus lib. 1. prol. 1.*

Audieram de adoleſcente Corſico tenere eum artem quandam memoriæ planè prodigioſam, quare vt eius ſpecimen aliquod daret, viri omnes, qui aderamus, in proximum cubiculum ingreſſi, conſedimus, cœpi ego dictare nomina latina, græca, barbara, ſignificantia, nihil ſignificantia, tam varia, tam nihil inter ſe cohærentia, tam multa, vt, & ego dictando, & puer, cui mandatum erat, vt ea exciperet, ſcribendo, & cæteri, qui aderant, audiendo atque expectando feſſi iam miris modis eſſemus omnes: ipſe vnus ex omni numero alacer, ac recens, aſſiduè plura poſcebat. Sed cum ego ipſe modum aliquem fieri oportere dixiſſem, abunde mihi ſatisfactum iri, ſi vel dimidiam partem eorum, quæ dicta erant, recitare potuiſſet: tum ille fixo ad terram obtutu, magna noſtra omnium expectatione tacitus aliquandiu ſtetit. quid verbis opus eſt? vidi facinus, vt ille ait, mirificiſſimū, exorſus loqui planè omnia, eodem ordine, nuſquam prope inſiſtens, nuſquam hæſitans, nobis ſtupentibus, reddidit. deinde ab vltimo incipiens, ſurſum verſus peruenit ad primum. rurſus ita, vt primum, tertium, quintum, ac ſic deinceps omnia diceret. quo demiq; quiſq; voluerat ordine, ſine nullo errore omnia referebat. idem poſtea, cum ei iam familiarior factus eſſem ſæpe expertus, vſquequaq; verū deprehendi; ipſe mihi aliquando affirmauit, & erat ab omni iactantia alieniſſimus, ſe triginta ſex millia nominum eo modo recitare poſſe. Quodque admirabilius eſt, ita hærebant omnia in animo, vt vel poſt annum diceret, ſe quæcumque memoriæ commendaſſet, minimo negotio repetiturum. ego certè poſt multos dies facto periculo, verum comperi. *Muretus lib. 3. var. lect. c. 1.*

Audiſtis à doctoribus veſtris ſæpenumero pueri, legiſtis paſſim apud probatiſſimos auctores, atque in primis apud Marcum Tullium Ciceronem, exem-

plar

plar eloquentiæ: tum in vobis ipſis ſentitis animo, inſidere capite intimo, ad imas aures cellam neſcio quam anguſtiſſimam loco, capacitate latiſſimam, diſpoſitione plane mirificam, quam memoriam appellare conſueuimus. In eam incredibili quodam artificio naturæ, diſtinctam ſedibus, diſtributam armarijs, diuiſam loculis, inſtructam arculis, tamquam in ſanctius ærarium maximus quidam, copioſiſſimuſque theſaurus importatur; non gemmis, non margaritis, non auro argentoque facto, infectoue conflatus, ſed rebus pretioſioribus; ijs videlicet omnibus, quas vel ſenſibus percepimus, vel mente concepimus, vel ipſi cogitatione finximus. In eodem ærario conditæ res à nobis geſtæ, fictæ, dictæque; ſæculorum omnium hiſtoriæ quas legimus; nomina rerum, atque hominum, quos nouimus; doctrinas omnes, quas didicimus; artium, quas exercemus, præcepta; ſapientia denique vniuerſa cuſtoditur. Latent in illis receptaculis hæc omnia, ſiue reapſe, ſiue in ſuis imaginibus, & ſimulacris, quæ fluxerunt ab eis, latent, & multo plura, quæ præterij, ſepta, recondita, incluſa niſi aperiantur, & ſenſim efferantur in lucem. Quænam igitur erit illa de nobis tam benemerita clauis, cuius beneficio tam abditæ, retruſæ, ac circum ſeptæ memoriæ fores aperiantur, patefacta ianua pandatur, atque aures noſtræ diuitijs ingentibus, de theſauris alienis; aureſque aliorum viciſſim opibus de noſtro ærario, mutua ſermonis communicatione perfruantur. *P. Nigronius or. 2.*

Ac memoriæ quidem quam admirabilis ipſa varietate facultas; firma eſt ac tenax, ſi quid inſculpſeris velut ære inciſum immortaliter conſignatum manet. Cerea eſt ac facilis, fluminis inſtar ſig llum accipit, ſed præterfluentis horæ, tanquam vndarum in ſe ſe recurrentium lapſu ſic deletur, vt nullum veſtigium relinquat; tranquilla eſt ac pura, tanquam imaginoſo in ſpeculo non modo res, ſed rerum infinitas ſeries incommutabili ſucceſſione fideliſſimè repræſentat; ac cum opus eſt pari fide velut depoſitum pignus illæſum, atque intactum reddit.

*Ex Palatio eloq exer. 1. lect 1. pun. 1.*

## *Ingenium.*

ITa in homine quiddam, quod ſcientia cultum virtute perfectum eſſet, Deus immortalis ingenerauit; quodque ita cæteris naturæ quaſi miraculis antecelleret, vt ſe ille vnius hominis opificem mallet, quam tot ac tam variarum rerum procreatorem videri. Quid enim eſt tam admirabile, quàm tam incredibilem orbis partium diuerſitatem ac ſpeciem vnius ingenij quaſi motu verſari? Quid tam magnificum quam in hoc vno tanquam theatro ac domicilio, ita omnia diuinæ argumenta potentiæ, lumina rerum omnium, gloriæ ornamenta ſplendeſcere; vt quod de annulo Pyrrhi Epirotarum Regis memoriæ proditum eſt, in cuius gemma auro illigata nouem muſarum chorum, non ars vlla ſed natura ipſa diſcurrentibus maculis, ac ſerpentibus riuulorum in morem venulis ſua ſponte inſcripſiſſet; ſic collectam in humano ingenio, & congeſtam huius vniuerſitatis ſpeciem, dignitatem, maieſtatemque cernamus? Quid tam circumfuſum tenebris? quod illius lucem ſplendoremque poſſit effugere? An verò exiſtimatis vllam tantam eſſe, non dico in rerum initijs, cum ad ſuas ſedes ac domicilia conuolant, ſed in altiſſimis cæleſtium orbium conuerſionibus velocitatem, quæ poſſit vlla ex parte cum humanæ mentis atque ingenij incredibili celeritate conferri? Quid enim tam inauditum quam puncto temporis per hanc rerum infinitatem vagari; ijs à quibus longiſſimè abſis, intereſſe; quæ nunquam videris quodammodo aſpicere; quæ ſemel videris, ſignata in animo eorum ſpecie, ac pulſu imaginum, eadem etiam ſi interierint, quotieſcunque lubeat, intueri? Iam verò quantam illius dignitatem nobilitatemque eſſe arbitramini, quod non, vt ineptè ac ridiculè philoſophi quidam olim ſomniarunt, è neſcio qua cæli curſu expreſſa materia ſatum, ac generatum habemus; ſed quod ita ex vna illa beatiſſima ac feliciſſima mente delibauimus, vt pulcherrimum hoc corporis domicilium, veluti radio quodam, vt cum Platone loquar, illuminetur diuinitatis. *P. Franc. Remondus or. 2.*

Duas

Duas habet homo facultates omnium præſtantiſſimas, Intellectum, & Voluntantem: hæc in amorem fertur & odium; ille vera diſcernit à falſis, inueſtigat, capit, cognoſcit; & ſi acutior fuerit atque ſolertior, hoc vocatur ingenium: cuius Deus bone quanta eſt velocitas, quàm celeres motus. & planè ignei! Vis diſiunctiſſimas terrarum partes peragrare? iam peragrauit. præcipis oceanum tranare? iam tranauit. iubes in cælum euolare? iam euolauit. cupis detinere? non potes. quos enim obices oppones? pone terræ molem: penetrabit. pone clauſtra adamantina: perrumpet. pone cælum: perfringet, ad extremam vſq; naturam peruadet, & ſi quid extra eſt, ſcrutabitur. *Et infra.*

Sed quale iſtud erit quod quærimus? Ingenij & doctrinæ princeps Ariſtoteles commodè quidem ingenia in tria genera diuidit: & alia inertia facit & ſtupida, quibus nihil ad res generandas ineptius. Alia nimis velocia eſſe cenſet & calida, quæ plerunque in ſtultitiam, & furorem degenerant. Tertium locum obtinent, quæ ſedata ſunt & manſueta, atque ideo meliora ad omnem rationem humanitatis. Non placent ingenia ſimiarum, quæ verſatili leuitate deſultoria huc atque illuc volitant, in nugis & quiſquilijs triumphant, in ſerijs rebus hebeſcunt: ſordent mihi pigra & abdomini dedita, quibus niſi culinæ nidor ſuboluerit, nunquam excitabuntur: nauſeam mihi faciunt ſordida ſimul & callida vulpecularum, quæ nihil niſi lucri, pecuniæ, & malitiæ vias confectantur; in quibus ſi turpiter inſanierint, perbeata exiſtimantur. Volo ingenium ſimplex, candidum, ſolers, conſtans, feſtinè lentum, magnum, exaggeratum, quod ſe ſupra auaritiam, ſupra ſordes, ſupra voluptatem ad cælum vſque efferat.

*P. Cauſinus de Eloq. l. 3. c. 1. & 4.*

Hæc autem inuentio rerum, quas expeditè atque in omnem dicendi occaſionem intentus illico expromat Orator: hæc celeritas animi transferentis ſe ſe in omnem partem, omnia vbique rimantis, omnia colligentis: hæc mentis feracitas progignentis tam multa, tam varia, tam apta rebus, tam oportuna temporibus, tam decora perſonis, quis non videt quanti opus ingenij, quantæque intelligentiæ ſint opes? *Et infra.*

Cum longè ſecus Oratori contingat, qui congredi eo cum homine debet, cuius ingenium per ſe latens, multiplex, ac tortuoſum, vbi ſe quæri ſentit, ac de rebus ſuis agi; ita ſe neſcio quos intra flexus, atque anfractus abdit, ſepit, obſtinatèque concludit, vt nulla via niſi Theſei filo, ideſt ſagacis prudentiæ ductu adiri, extrahique poſſe videatur. Hinc illa indagatrix ſolertia opportunitatum, locorumque obſeruatio, temporum prouidentia, ſtatuum coniectura, omnium delectus quibus Orator adeò tempeſtiue aditus tentat, occaſiones prouidè venatur, ſedes ac loca ſagaciter explorat, rem ipſam veſtigijs pene omnibus odoratus, vt inſinuatus ſemel in hominis animum, ei non modo non inuito, non oppreſſo, non modo patienti, aut non repugnanti, ſed volenti etiam perlibentique, de gradu, deque fortunis ſuis cedere perſuadeat. *P. Famianus l. 1. prol. 1.*

## *Ratio id eſt vis animæ quæ docet quid faciendum.*

IN animo cum pars vna ſit, qua intelligimus, qua ratiocinamur, qua proximè diuinam naturam accedimus; altera quæ rationis ipſa quidem per ſe particeps non eſt, ſed obtemperare tamen rationi poteſt, cum quod fieri ius eſt, id fit; hoc eſt cum pars illa ſuperior imperat, & tanquam habenas tenens currum regit: paret altera, & quo illa cumque ducit ſequitur: tum omnis honeſtas, omnis dignitas, omnis officij ac virtutis ſplendor elucet. At cum excuſſo rationis iugo cupiditas, quaſi ſeditioſus aliquis ac turbulentus ciuis faſces arripit, in arcem inuadit, mentem de ſua ſede contra ius faſque deturbat; tum vt nauis diſcordibus acta ventis, ſic hominis vita contrarijs, & inter ſe pugnantibus fœdiſſimarum libidinum flatibus agitata, in omnem ſcelerum ac flagitiorũ turpitudinẽ præceps ruit. *Muretus to. 1. or. 8.*

Eſt autem vera lux & vis, recta ratio naturæ conuenienter apta diuinitus inciſa mentibus, non Prætoris edicto, non ciuitatis iure ſuſcepta, non tradita: ſenſibus intimis conſignata, non arte conſcripta, vis-

in

in omnes diffuſa gentes, conſtans, immortalis, inuicta, ſempiterna, ſincera, ſacroſancta: quæ primùm & falſum à vero dijudicans, & honeſtum quid ſit ab eo quod ſit turpe, ad officium iubendo vocet: vetando à fraude deterreat: quæ tamen neque probos & integros fruſtra quid agere iubet, aut vetat: neque ſceleribus occupatos, improbos iubendo, aut vetando monet. Huic legi nec obrogare quiſquam, aut ex ea derogari quicquam, aut tota abrogari poteſt: non per Senatum eam ſoluere: non per populum, non alia maiore poteſtate poſſumus; & (vt eſt apud Romanum Platonem) non quærendus eſt explanator, aut interpres eius alius: nec erit alia lex Romæ, alia Athenis: alia nunc, alia poſthac; ſed omnes gentes, & omni tempore vna lex & ſempiterna, & immortalis continebit; vnuſquiſque erit communis quaſi magiſter, & Imperator omnium Deus: ille legis huius inuentor, ille diſceptator, ille lator: cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis aſpernabitur: hoc ipſo luet maximas pœnas, etiamſi cętera ſupplicia quæ putantur, effugerit.

*P. Stephonius poſa 3.*

# STOLIDITAS, ET AMENTIA.

## *Margitæ ſtoliditas.*

MArgites ſub humana ſpecie ſomnium hominis, non homo fuit. medius erat inter ſtipitem, & ſaxum: ſtabat, vt ſtipes, ſtupidus erat, vt ſaxum. Is quantillus eſſet fungus feſtiuiſſimo carmine deſcripſit Græcorum facetiſſimus, idemque grauiſſimus Homerus, & Homeri concinnator Ariſtarchus, & Ariſtarchi Myſtagogus Euſtathius expoſuit: & Subæditus Euſthatij Suidas. Hebetudinem cogitationis, cæcitatem animi, ſtultitiam mentis, ignauiam corporis,

poris,inertiam, languorem, deſidiam vitæ fuiſſe tantam in Margite, quantam in homine cogitatione vix fingere poſſemus, niſi ſtultitiam ipſam, inertiamque fingamus. Vel ex hoc facto conijci licet, quod Xantippa mater eius ſeruulum adiunxit illi cuſtodem corporis,qui perpetuo muſcas abigeret: niſi feciſſet: viuum hominem culices comediſſent. Margites autem,quàm egregiè ſe neſciret, quid animantis eſſet, an ſentiret, an omnino viueret: facilius qui nihil intelligunt, quàm ipſe de ſe docere potuiſſet. Vos ipſi conſiderate,quam hebes,aut bardus eſſet. Serio,percunctari ſolebat è prætereuntibus, vt in quemque ciuium,aut hoſpitum incidiſſet. Dic ſodes mi homo quis ego ſum ? & qui vocor ? ſi noſti . Idem non ſemel accuratè dubitare cæpit; vt ex ipſis adeò parentibus exquireret , vter eorum ſe ſe partu dediſſet in lucem,an Pater, an Mater? Eundem ſemel, an ſæpius vterque peperiſſent ? quinam poſterius in vitam ingreſſi fuiſſent ipſe filius an Parentes? cur ſibi mater eſſet Xantippa,non ſoror, Patrem ipſa mater, an matrem pater ipſe genuiſſet? idque ne per pueritiam illum ineptè peccaſſe credatis: natu iam planè grandiuſculus interrogabat : vt ſiquidem aliquid ſapere debuiſſet;multum ſapere per ætatem propemodum poſſet:cum & prima lanugine pubeſceret, & maritus iam iuuenis Sponſæ iam iam ducendæ ſponſalia miſiſſet. Impedit hoc loco pudor, quominus exſequar, quæ poſt nuptias acciderunt. ea ( quia ſubturpicula ſunt,& arcana; quamuis ridicula ) non exponam. Per idem tempus accidit, vt in aprico Margites inambularet auerſus à Sole : ſui corporis ( vti ſub luce fit ) explicarat vmbram. Stupor hominis ! ad illius aſpectum ſuſpenſo veſtigio , ne quid pede forte frangeret,conſiſtit exanimatus: hæſitare: cunctari: circumſpectare: diſquirere. quid illud eſſet rei, quod ante pedes abiectum iaceret:quid hic expectatis,Quirites? quid exiſtimatis huic acutiſſimo Philoſopho ſuam vmbram fuiſſe viſam? quidlibet excogitate. vincam expectationem veſtram. Vmbram interiecti corporis: opacum ſtantis hominis ſimulacrum, imaginem humo iacentem radio Solis à tergo ferientis eductam, ille peracutus vir animum ſuum, imò ſemetipſum, neſcio vnde foras eiectum , putauit. non mentior:
Serio

Serio putauit, ſe ſe quaſi delicuiſſe, per rimas in externum Margitem ex interiore Margite dilapſum. Ergo,quaſi vinum è dolio fugiſſet, inane pectus iterum,atque iterũ pertundit:reddito neſcio,quo ſonore,ceu penitus exinanito, quod intus fuiſſet; euanuiſſe ſibi viſus eſt. Et geſtu quo fugam animi declarant, qui vehementer exanimantur, plumbeus homuncio primo perterrefactus exalbuit : mox adductis ſuperciliјs,contractaque fronte: paſſis brachijs comploſiſque palmis incerta, timida, ſubmiſſaque voce,ſane quàm dolenter. Ilicet : actum eſt, inquit. Funditus effluxi: ne guttula quidem mei ſubſedit in fundo ſcilicet. quam dudum ego plenus rimarum ſum, vt hac, illac perfluam , & tanquam oleum deliqueſcam? heri quidem, & nudius tertius hæc diota nihil diſtillabat. nunc vbi fatiſcit corpus ? nunc vbi rima dehiſcit? egregiè certè diſperij. ſiue per rimam,ſiue perincile quantus eram,tantus effugi. Margita miſer quid te fiet, vbi te diffluxiſſe reſciuerit mater ? nunc illud eſt : cum mihi recuſandum non eſt; quin me mater occidat.. qui ſeriam hanc releuerim imprudens, & diligentius nõ obſeruauerim: ne me prodigè totum effunderet. Eheu,quam ego nunc totus diſpliceo mihi . quam me tædet mei quam pudet. neque quod principium inueniam orationis ad placandam matrem ſcio.

*Quid melius eſt. quam vt hinc intro abeam,& me ſuſpendam clanculum ?*

*Saltem tantiſper, dum abſcedat hac à me ægrimonia.*

At enim ,heus tu,qui profuſus humi iaces: & foras elapſus nos inſcientes,& inuitos,ſiue ioco,ſiue ſerio, certe , liquidò perdidiſti : domum confeſtim redi: recipe te quamprimum ad nos, dum licet. & regere Margitem in locum, vnde miſerum ſine venia. nono more profudiſti. Eho dum,ſponte ne redis? an malo cogendus es ? papæ , quam longulus ? Ille duplo, quam ego. maior eſt ſcilicet. Cum dicto cæpit vmbram alterno metiri gradu. nimirum vmbra tanto ſe ſe longius intendebat, quanto paſſus vlterius ipſe protenderet; dum oram vltimam nullam videt, quo fugis? exclamat. illico mane fugitiue Margita. clamabat ille percurrens; ſequentem vmbram fugiebat. Vbi non curſum ille, fugam illa non ſiſtit: iterum adeſte

adeſte populares, implorat, opem ferte pereunti: properate cum armis; circumſiſtite contumacem; ſubſiſtite fugientem; expedite trullam, infundibulum afferte, colligite me miſerum elapſum à me ipſo; Margitem liquidum refundite in Margitem. Si qui ciues ad has voces accurrerunt effuſè riſere ſcilicet. Nam Heraclitus nondum erat natus, qui nimirum riſum obiurgare poſſet.
*P. Stephonius Proſa* 8.

## *Xerxis amentia.*

SEd hæc ſuperbiſſimæ ſectæ aduerſus aquas offenſio nunc tata excitat nobis è Sepulchro memoriæ ſectatorem illum nugarum in tragædijs, Regem dico Xerſem, follem illum gloriarum pleniſſimum in ludo fortunæ. Hic enim cum inuito pelago enauigare vellet in Græciam, expeditione primum claſſis immenſæ tum ſubſtructione pontis immanis dicebat velle ſe, aſperum Neptuni genium erudire ad manſuetudinem, quin & collo eius ſempiternum iugum imponere; ſed cum exorta ſubitò tempeſtas, ceu cachinus Nerei regiam ſtultitiam irridentis, lignea, atque ſaxea repagula, quaſi vimina iuncea dirupiſſet, nunciatur Regi, Neptunum Deum eſſe refractarium, non tenere diſciplinam, ſapere ſupra magiſtrum, ſeruum eſſe nequam, iniectas manicas diſiecisse, lapicidinam integram cum ſuis lapidibus labefactaſſe. Tunc enim verò Xerſes machæram concutiens armiger ille Mauortis, ſiue potius ferulam intentans magiſter Saperda Mercurij, malum inquit diſcipulum, peiorem ſeruum, peſſimè accipiam fuſtuario, & lumbifragio. Igitur Aegæo mari colaphos ducentos incutite, Helleſponto verbera infligite ad minus trecenta, mediterraneo mancipio ferocienti, pro manicis compedes craſſas inijcite. Quid facerent milites inſaniente Imperatore? nihil profecto ſtultius eſt, quam ſi ſapere membra velint, delirante capite. Igitur acceptis fuſtibus, excuſſis palmis tundunt mare verberant fluctus, cōpedes vægrandes inijciunt pelago, ſtringunt ventos, ligant procellas, hoc eſt, fruſtra

Fruſtra laborant, nihil agunt, niſi quod ſtolidi facerent ac furioſi. *P. Ileo Sanctius ſl. or. l. 1. praf. 12.*

# CONSCIENTIA.

RECta ratio naturali colluſtrata lumine, quæ re non diſtinguitur à conſcientia Dei vices in nobis tenet; & imaginis diuinæ precipua pars eſt, de qua diſſerimus. Itaque hæc ipſa imago, quæ, & rectæ rationis iudicium, & conſcientia dicitur; modò vt monitor, corrector, ac pædagogus ex Origene, diuino inſtinctu tacitè clamans, & intimis auribus antè patrandum ſcelus, vt notauit S. Dorotheus, vociferatur, *Noli facere*: quo clamore ſæpè animum iam iam lapſurum in culpam vel ſuſtinet, vel retardat. Modò tamquam acer, & acerbus accuſator, vt Philo, Chryſoſtomuſque loquuntur; aut ſalutaris aduerſarius, vt Saluator appellat, admiſſo maleficio commaculatum accuſat, obiurgat, & criminis commiſſi recordatione coarguit. Modò quaſi teſtis, ex Paulo, verax, fidelis, memor; qui mille teſtibus oculatis, auritis, iuratis æquatur; aduerſus animum affinem culpæ producitur: nec teſtificari deſinit vnquam, tametſi repellatur interdum, & cohibeatur: quia verum id eſt, quod propemodum Chriſtiane dixit ille,

*Nocte, dieque tuum geſtas in pectore teſtem.*

Deindè poſt monitiones iteratas, poſt accuſationes ſummo iure factitatas, poſt teſtificationes, quæ conuincunt, vt æquiſſimus iudex, qui nec amicorum precibus mollitur, nec potentiorum minis terretur, nec locupletum largitione corrumpitur, nec odio, nec amore flectitur, à Deo conſtitutus, in tribunali diuino ſedet, vt Chryſoſtomi verbis vtar. & legem naturalem tamquam aſſeſſorem aſciſcit. Hic citatus reus; ſiſtitur ante tribunal, re præiudicata prope condemnatus, conuictus auctoritate teſtis, ſine quæſtione ſine tortore crimen confitetur; pœnam lacrymis deprecatur. Verum quoniam agitur ſummo iure, nec rei fletu commouetur iudex, probe cauſa cognita ſententiam pronunciat, reumque condemnat. Poſtremo damnatum eademmet conſcientia maleficio-

 rum,

rum, vt carnifex, ac valentiſſimus tortor, exquiſitiſſimis ſupplicijs, angore animi, recordatione malefacti, pœnæ metu ſempiternæ vexat, cruentat, excarnificat. O iudicium, ò ſeueritatem.

*P. Nigronius orat.* 22.

# VITA HVMANA.

HVmanæ vitæ conditionem præcipuè primus & vltimus dies continet, quia plurimum intereſt, quibus auſpicijs inchoetur, & quo fine claudatur: ideoque eum demum felicem fuiſſe iudicamus, cui & accipere lucem proſperè, & reddere placidè contingit. Medij temporis curſus prout fortuna gubernaculum rexit, modo aſpero, modò tranquillo motu peragitur, ſpe ſemper minor, dum & cupidè votis extenditur, & fere ſine ratione conſumitur. Nam & ſi eo bene vti velis, etiam paruum ampliſſimum effici es, numerum annorum multitudine operum ſuperando. Alioqui quid attinet inerti mora gaudere, ſi magis vitam exigas, quàm approbes?

*Valer. Max. l. 9. c.* 12.

Si tuam naturam noueris, negabis inſolentem eſſe calamitatem tuam. Mortales nati ſumus: calamitoſi ſumus: volucris imago vitæ: fugax vmbra concreti pulueris, fugitiui temporis ludibrium, paleſtra mortis. Communis omnium conditio, priuata videri non debet. In hæc verba legis antiquiſſimæ, nulloque vnquam tempore antiquandæ, quoad erunt, qui mori poſſunt, neceſſitas humana iurauit; ortum vt occidat vt aucta conſeneſcant. Naſcimur: viuimus: morimur. Hæc humanarum rerum elementa ſunt.

*P. Stephonius or.* 2.

## *Vitæ breuitas.*

INcertum ac fragile nimirum eſt hoc munus naturæ: quicquid datur nobis: malignum verò, & breue etiam in ijs, quibus largiſſimè contigit, vniuerſum vtique æui tempus intuentibus. Quid quod æſtimatione

tione nocturnæ quietis, dimidio quiſque ſpatio vitæ ſuæ viuit? pars æqua morti ſimilis exigitur, aut pœnæ, niſi contingit quies. Nec reputantur infantiæ anni, qui ſenſu carent, non ſenectæ in pœnam viuacis. Tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ toties inuocata morte, vt nullum frequentius ſit votum. Natura verò nihil hominibus breuitate vitæ præſtitit melius. Hebeſcunt ſenſus, membra torpent, præmoritur viſus, auditus inceſſus, dentes etiam, ac ciborũm inſtrumenta: & tamen vitæ hoc tempus annumeratur. *Plinius hiſt. nat. l. 7. c. 50.*

Libet itaque ex ſeniorum turba comprehendere aliquem. Perueniſſe te ad vltimum ætatis humanæ videmus. Centeſimus tibi vel ſupra premitur annus. Agedum ad computationem ætatem tuam reuoca. Dic quantum exiſto tempore creditor, quantum amica, quantum Reſpublica, quantum cliens abſtulerit. Adijce morbos, quos manu fecimus. adijce quod & ſine vſu iacuit. Videbis te pauciores annos habere, quàm numeras. Repete memoria tecum, quando certus conſilij fueris, quotus quiſque dies, vt deſtinaueras receſſerit, qui tibi vſus tui fuerit, quando in ſtatu ſuo vultus, quando animus intrepidus, quid tibi in tam longo æuo facti operis ſit; quàm multi vitam tuam diripuerint, te non ſentiente quid perderes: quantum vanus dolor, ſtulta lætitia, auida cupiditas, blanda conuerſatio abſtulerit, quam exiguum tibi de tuo relictum ſit intelliges te immaturum mori. *Seneca lib. de breu. vita c. 3.*

## *Vitæ humanæ miſeria.*

QValis autem eſt ortus veſter? quibus cooperti byſſinis aut purpureis tegumentis huius luminis oras viſitis? qua innocentia? qua rerum cognitione præditi? qua dicendi facultate inſtructi? quibus valentes viribus? quibus armis? Nudos ex aluo profuſos terra excipit, natiua labe contaminatos, ignaros omnium, mutos, fandi neſcios, imbecilles, inermes, lacrymantes prorſus à belluis parum differentes. Quot porrò cernuntur, qui ipſimet ſe nunquam natos, aut quamprimum emortuos

eſſe

eſſe optare deberent? qui & conſanguineis verecundiæ,& parentibus mœrori, & generi humano dedecori ſunt: nempe monſtroſi partus, & aut membris mutili,aut ſenſibus imminuti, aut animo parum valentes. Quam vero è corporibus veſtris commoditatem percipere licet? Beſtiæ oneribus ferendis ſunt idoneæ,lanas,catulos, lac, butyrum, caſeum, carnes demum & pelles ſuas ad vos alendos veſtiendoſque largiuntur: herbæ dant flores, dant victum, dant medicinas: arbores ſufficiunt poma cuiuſque generis, vinum,oleum,balſamum: veſtri fructus tam ſpurci, vt verecundiæ lex naturalis eos abſcondere iubeat,& ſine honoris præfatione inter caſtas aures nominari vetet. Cum ætas firmata aduenerit, quale tum quantumque agmen laborum. defatigationum, morborũ, miſeriarum,dolorum,periculorum,perturbationum, malorumque, & incommodorum grauiſſimorum in eam incurret? Omnes anni, omnes menſes, dies omnes, noctes omnes, horæ quodammodo ſingulæ aliquid pariunt,quietus & lætus ne ſis.

*I. Pontanus vol. 2. par. 3 prog. 45.*

## *Fœminarum Vita miſerijs obnoxia.*

AGite iam Prudentia,non Voluptas in conſilium adhibeatur inimica rationi:ſenſus clandeſtinus ſceleris conſiliarius, reijciatur: blanditias illas naturæ procul amoueamus. Hæc vtrum iucunda eſſe intelligitis, an videri? Amare, & amari ſapienti venenum voluptate conditum: formæ pompam circumferre, mimicæ leuitatis: venalem ſenibus volitare, meretricium. carpere florem ætatis, tam turpe, quam dulce: in oculis eſſe iuuentutis et habitare in oculis aliorum,ſæpe noxium,ſemper ignominioſum: florere amicitijs, inuidioſum: in inuidia eſſe periculoſum: nuptijs animum adijcere, licet conceſſum, blandum malum: Viri viuere arbitratu, matronale ſeruitium; ſtatim ab ipſis nuptijs fluctuare curis, voluntarius dolor: animum in multa diſcerpere, atq; diſtrahere, carnificina tam moleſta, quam libera: iuuentutem, voluptatis caput, & crebro fluxu, & defluxu ætatis areſcere,intolerandum. filios ſi nullos

ſuſci-

ſuſcipias, timebis ſolitudinem: ſi multos, egeſtatem: ſi paucos, orbitatem: & quos ſuſcipias cum gemitu, illorum mox vitam cum ſollicitudine educes: mox funera cum mærore produces; denique aliunde pendere, ſemper aliquid ſuſpicari, ingemiſcere damnis, torqueri doloribus, diſcruciari cura, inuidia difrumpi, mortem metuere, vitam odiſſe, is habebit in optatis, qui mentem melius optaret à Deo.

*P. Stephonius Creſa 15.*

## *Fœminarum in coniugali vita commoda & incommoda.*

AT matris dulce tandem nomen, nempe, ſed partus dedit. plurimis inniti præſidijs poſteritatis iucundum; ſed emendum dolore. tuam indolem in multis ex te natis agnoſcere. mel ipſum voluptatis; ſed à puerperio eximendum, & quanto cum felle miſcendum. laxare ædificia thalamis, Nurus ac Generos, Nepotes, ac Neptes, Affinium & agnatorum domi conſociatos greges videre: illorum afflatu aſpectuque amara curarum eluere: moleſtiarum onera cum vitæ conſorte partiri: dolorem tuum illius dolore lenire, & illius viciſſim tuo: eadem velle, eadem odiſſe, eosdem ex tuis vel perhorreſcere, vel optare: ad illius gemitus ingemiſcere; eius lætitia exhilarari; collacrymari ad lacrymas: ærumnas nimium in humana vita multas vltro citroque communicandò vel omnino tollere, vel eleuare: nonne ipſa videtur medulla dulcedinis? Quid illa? propinquitatibus & cognationibus amplis inſiſtere: ſobrinorum conſobrinorumque gregibus ſtipari: cariſſimorum coronam aſſidere moribundæ: viuere poſt obitum in ſuis: ſupereſſe ſibi deſiderio ſui in pleniſſima domo relicto: ab his quibus viua ſponſalia dederis, mortuam exigere parentalia, nonne ſumma votorum apud mortales, nonne beatum, nonne diuinum? Sint iſta. ſed quibus mixta doloribus? facile hæc dicuntur, & placidè fluunt, ſed exploranti experientique ſalebroſa. ipſum verbum Beatitudinis obducitur, ſed quibus dilutum ſit angoribus non intelligitur,

ligitur, niſi cum ſentitur. Anhelant percurrunt ad iſta Virgines, vel naturæ illecebris illectæ, vel voluptatis præſtigijs irretitæ, & intimis venis venenum perpotant. & cum illo quod expetunt, peſtis quam non expectant acerbitatem. Cur hæc dum appendunt, illa non ponderantur? Mater eris, at poſt partum: filiorum & filiarum choros circumduces; ſed patebis inuidiæ: ſed patebis tot in locis vulneribus fortunæ, quot capita cenſes cariſſimorum tuorum ſed ad adultam ætatem tollendi, quos pepereris, poſt puberem ætatem tolerandi. Nepotes ac Neptes ex te recenſebis; ſed ante emendi dotibus Generi: ſed Nuribus ſeruiendum, quas vel obtruſerit ingentis patrimonij auaritia, vel libido filiorum adſciuerit: ſed cenſus in capita deſcribendus: ſed familiaris res, ſi arcta, in immenſum pro numero amplificanda: per noctandum habitandumque cum curis: carpenda de ſomno tempora: ſomnus dilacerandus inſomnijs: ſortiendum quotidie quid optes, quid expaueſcas à te diſcendum: ad virum, ad communia pignora naturæ, ad omnem familiam animus deriuandus; illis omnia timenda, quibus omnia cupias: vota quotidie fœcienda: fecunditas in optatis habenda: poſt fœcunditatem orbitas deprecanda: explicanda ſæpè pompa feralis: funeſtanda cupreſſu limina atratæ domus: ſæpè mœrendum: ſoluenda iuſta, Sandapilarijs & Veſpillonibus quæſtuoſa, tibi luctuoſa. Viuax ſenectus aut non optanda, ne ſuorum ſit futura ſuperſtes; aut vt ſuperſtites habeat, breuis optanda. Spe, metuque æſtuandum: vibrandus animus in longinquum, in ambiguum vibrandæ curæ. Et hæc quidem omnia ſemper adſunt, vt illis voluptatibus annexa: illa verò perrarò abſunt, vt non à mortali conditione aliena. in plena domo paupertas & mendicitas, malorum vberrima meſſis: æs alienum, verſuræ pecuniariæ, filiæ probra, filij flagitia, mariti pellices, Vxoris infames amores, amantium rixæ, ancillarum nocturna furta, ſcurræ, mimi, ganeones, nepotes, helluones, gnathones, & vitiorum ille turpiſſimus comitatus, ſtuprum, inceſtus, impudentia, ebrietas, commeſſatio, temulentia, facinus, flagitium, rei familiaris conturbatio, iactura famæ vitæ corruptela, execrationes publicæ ciuium, illatæ, acceptæq;

iniuriæ

iniuriæ, flammæ libidinis ardore accenſæ, ſuorumque ſanguine reſtinctæ, ſcelera ſemper luenda, nunquam expianda: vincula, latomiæ, exilia, proſcriptiones capitum, ſectiones bonorum, venalis haſta, triuialis ignominia, iuuſta familiæ nota, vita denique cum turpitudine tranſacta, cum infamia, cum mœrore, procul à ſuis, aut cum ſuis exacta, & è terris expulſa ſupplicijs.

*P. Stephonius Proſa 15.*

## *Vitæ varietas.*

ALium inſatiabilis tenet auaritia: alium in ſupernacuis laboribus operoſa ſedulitas: alius vino madet: alius inertia torpet: alium defatigat ex alienis iudicijs ſuſpenſa ſemper ambitio: alium mercandi præceps cupiditas circa omnes terras, omnia maria ſpe lucri ducit. Quoſdam torquet cupido militiæ, nunquam non aut alienis periculis intentos, aut ſuis anxios. Sunt quos ingratus ſuperiorum cultus voluntaria ſeruitute conſumat. Multos aut affectatio alienæ fortunæ, aut ſuæ odium detinuit. pleroſque nihil certum ſequentes vaga, & inconſtans, & ſibi diſplicens leuitas per noua conſilia iactauit. Quàm multis graues ſunt diuitiæ? quàm multorum eloquentia quotidiano oſtentandi ingenij ſpatio ſanguinem educit? quàm multi continuis voluptatibus pallent? quàm multis nihil liberi reliquit circumfuſus clientium populus? Omnes denique iſtos ab infimis vſque ad ſummos pererra. Hic aduocat, hic adeſt, ille periclitatur, ille defendit, ille iudicat, nec ſe ſibi vendicat. alius in alium conſumitur.

*Seneca lib. de breu. vita c. 2.*

## *Vita delicijs affluens.*

PRimum temporibus hibernis ad magnitudinem frigorum, & ad tempeſtatum vim, ac imbrium præclarum ſibi hoc remedium comparat. Vrbem Syracuſas elegerat: cuius hic ſitus, atque hæc natura eſſe loci, cæli que dicitur, vt nullus vnquam dies

tam

tam magna, turbulentaque tempeſtate fuerit, quin aliquo tempore ſolem eius diei homines viderint. hic ita viuebat iſte bonus Imperator hibernis menſibus, vt eum non facile non modo extra tectum, ſed ne extra lectum quidem quiſquam videret. Ita diei breuitas conuiuijs, noctis longitudo ſtupris, & flagitijs conterebatur. Cum autem ver eſſe cœperat, cuius initium iſte non à Fauonio, neque ab aliquo aſtro notabat, ſed cum roſam viderat, tunc incipere ver arbitrabatur; dabat ſe labori, atque itineribus: in quibus vſque eò ſe præbebat patientem, atque impigrum, vt eum nemo vnquam in equo ſedentem videret. Nam vt mos fuit Bithyniæ regibus, lectica octophoro ferebatur, in qua puluinus erat perlucidus Melitenſi roſa farctus. Ipſe autem coronam habebat vnam in capite, alteram in collo: reticulumque ad nares ſibi admouebat tenuiſſimo lino, minutiſque maculis, plenum roſæ. Sic confecto itinere cum ad aliquod oppidum venerat eadem lectica vſque in cubiculum deferebatur, eò veniebant ſiculorum magiſtratus, veniebant equites R. id quod ex multis iuratis audiſtis: controuerſiæ ſecreto deferebantur: paulo poſt palam decreta auferebantur. Deinde, vbi pauliſper in cubiculo, precio, non æquitate iura deſcripſerat; Veneri iam, & Libero reliquum tempus deberi arbitrabatur.

*Cicero orat. 7. in Verrem.*

Cum verò in Circo flaminio non à Tribuno plebis Conſul, ſed à latrone archipirata productus eſſet: primum proceſſit, qua auctoritate vir? vini, ſomni, ſtupri plenus, madenti coma, compoſito capillo, grauibus oculis, fluentibus buccis, preſſa voce & temulenta: quòd in ciues indemnatos eſſet animaduerſum, id ſibi dixit grauis auctor vehementiſſimè diſplicere. vbi nobis hæc auctoritas tamdiu tanta latuit? cur in luſtris & helluationibus huius calamiſtrati ſaltatoris tam eximia virtus tamdiu ceſſauit? nam ille alter Ceſonius Caluentius ab adoleſcētia verſatus eſt in foro, cum eum præter ſimulatam verſutamque triſtitiam nulla res commendaret, &c. Cum hoc homine, aut cum ſtipite Aethiope, ſi in foro conſtitiſſes, nihil crederes intereſſe, ſine ſenſu, ſine ſapore, elinguem, tardum, inhumanum, neglectum, Cappadocem,

cem modo abreptum de grege venalium diceres: idem domi quàm libidinoſus, quàm impurus, quã intemperans, non ianua receptis, ſed pſeudothyro intromiſſis voluptatibus. Cum vero etiam litteras ſtudere incipit, & helluo immanis cum Græculis philoſophari, tum eſt Epicureus; non penitus illi diſciplinæ, quæcumque eſt, deditus, ſed captus vno verbo voluptatis. *Cicero in Orat. poſt reditum.*

Aſpice Nomentanum & Apicium terrarum, ac maris (vt iſti vocant) bona conquirentes, & ſuper menſam recognoſcentes omnium generum animalia. Vide hos eoſdem è lectis ſuis ſpectantes popinam ſuam, aures vocum ſono, ſpectaculis oculos, ſaporibus palatum ſuum delectantes: mollibus, lenibuſque fomentis totum laceſſitur eorum corpus. Et ne nares interim ceſſent, odoribus varijs inficitur locus ipſe, in quo luxuriæ parentatur. Hos eſſe in voluptatibus dices: nec tamen illis bene erit, quia non bono gaudent.
*Seneca de bea. vita c. 11.*

Illum tu otioſum vocas, qui Corinthia paucorum furore pretioſa, anxia ſubtilitate concinnat, & maiorem dierum partem in æruginoſis lamellis conſumit, qui in ceromate ſpectator puerorum rixantium ſedet, qui vicorum ſuorum greges metatur, & colonorum paria deducit, qui athletas nouiſſimos paſcit? Non habent iſti otium, ſed iners negotium. Conuiuia me hercule horum non poſuerim inter vacantia tempora cum videam quàm ſolliciti argentum ordinent, quàm diligenter exoletorum ſuorum tunicas ſuccingant, quàm ſuſpenſi ſint quomodo aper à coco exſus exeat: quanta celeritate ſigno dato glabri ad miniſteria decurrant: quanta arte ſcindantur aues in fruſta non enormia. Nec illos quidem inter otioſos numeraueris, qui ſella ſe & lectica huc & illuc ferunt, & ad geſtationum ſuarum, quaſi deſerere illas non liceat horas occurrunt: quos & quando lauari debeant, quando pernoctare, quando cœnare, alius admonet: & vſque eo nimio delicati animi languore ſoluuntur, vt per ſe ſcire non poſſint, an eſuriant.
*Seneca de breu. vita c. 12.*

Nunc vobiſcum loquor, quorum æquè ſpatioſè luxuria, quàm illorum auaritia diffunditur. Vobis dico:

quouſque nullus erit lacus, cui non villarum veſtrarum faſtigia immineant, nullum flumen, cuius non ripas ædificia veſtra prætexant? Vbicunque ſcatebunt aquarum calentium venæ, ibi noua diuerſoria luxuriæ excitabuntur. Vbicunque in aliquem ſinum littus curuabitur, vos protinus fundamenta iacietis, nec contenti ſolo, niſi quod manu feceritis, maria agetis introrſus. Omnibus licet locis tecta veſtra ſplendeant, alicubi impoſita montibus ad terrarum mariſque proſpectum, alicubi ex plano in altitudinem montium educta, cum multa ædificaueritis, cum ingentia, tamen & ſingula corpora eſtis, & paruula. Quid proſunt multa cubicula? in vno iacetis. Non eſt veſtrum vbicunque non eſtis. Ad vos deinde tranſeo, quorum profunda & inſatiabilis gula hinc maria ſcrutatur hinc terras. Alia hamis, alia laqueis, alia retium varijs generibus cum magno labore perſequitur. Nullis animalibus niſi ex faſtidio pax eſt. quantulum enim ex iſtis epulis, quæ per tot comparatis manus, feſſo voluptatibus ore libatis? quantulum ex iſta fera periculosè capta dominus crudus ac nauſeans guſtat? quantulum ex tot conchilijs, tam longe aduectis per iſtum ſtomachum inexplebilem labitur? Infelices etiam quod non intelligitis vos maiorem famem habere quàm ventrem.

*Seneca epiſt. 90.*

An quis ſubtractum ſibi doleret de priuata luxuria, quum videret neminem vnum inueniri, qui auderet ad cœnam regiam flagitare remotorum littorum piſcem, peregrini aeris volucrem, alieni temporis florem. Nam delicati illi ac fluentes, & quales tulit ſæpe Reſpublica parum ſe lautos putabant, niſi luxuria vertiſſet annum, niſi hybernæ poculis roſæ innataſſent, niſi æſtiuam in gemmis capacibus glaciem falerna fregiſſent: Horum gulæ anguſtus erat noſter orbis: namque appoſitas dapes non ſapore, ſed ſumptu iudicabant. Illis demum cibis acquieſcebant, quos extremus oriens, aut poſitus extra Romanum Colchus imperium, aut famoſa naufragijs maria miſiſſent; quos inuitæ quodammodo reluctantique naturæ hominum pericula rapuiſſent. Vt taceam infami ſæpe delectu ſcriptos in prouincijs aucupes, ductaſque ſub ſignis venatorum cohortes militaſſe

conui-

conuiuijs. nonne cognouimus cuiuſdam retrò Principis non prandia ſæpe, ſed fercula S.H. millies æſtimata, patrimoniorum equeſtrium pretia traxiſſe.
*Lat. Pacatus in Paneg. Theod.*

Sollicita Dæmonum arte panditur eius animo explicata ſeries voluptatum, quibus frui abunde poteſt: Ad regias menſas exquiſitiſſimorum pompa ferculorum, diſpoſitæ inter conuiuas nectareæ patellarum cohortes laborante ad ſeruitium naturæ penu; iugulata in cellis reconditis languentis falerni dolia; latrante canicula fractus æſtiua glacie in gemma concaua ambroſiæ liquor; ad gelidos aquilones, & aggeres niuium calente cubili molliores accubitus, lambente capillos brumali roſa; in menſarum exordijs primitiuæ laudes hyberno peponi, vernantibus per abacū hyacinthis. laſciuientes in auribus fidium vocularumque coniugio varij concentus; in ædibus magnificentiſſimis Sabæorum atque arabum nube fumantia laquearia; lecti eburnei, atque aurei; culcitræ cuniculis molliores; ſtragulæ acu in erraticas excurrente figuras vermiculatæ; amicorum ſuauiſſimæ conſuetudines; tempora frequentibus lacerata colloquijs; euocati in noctem dies, cælumque retrogradum imperante alea.
*P. Remondus paneg. 3.*

## *Vita paucis contenta.*

TEnet me ſummus amor parſimoniæ; fateor. Placet non in ambitionē cubile compoſitum, non ex arcula prolata veſtis, non ponderibus aut mille tormentis ſplendere cogentibus expreſſa: ſed domeſtica & vilis, nec ſeruata, nec ſumenda ſollicitè. Placet cibus, quem nec parent familiæ, nec ſpectent; non ante multos paratus dies, nec multorum manibus miniſtratus: ſed parabilis, faciliſque, nihil habens accerſiti pretio, ſiue vbilibet non defuturus, nec patrimonio, nec corpori grauis, nec rediturus quà intrauerat. Placet miniſter incultus, & rudis vernula: argentum graue ruſtici patris ſine vllo opere, & nomine artificis: & menſa non varietate macularum conſpicua, nec per multas elegantium dominorum

ſucceſſiones ciuitati nota; ſed in vſum poſita, quæ nullius conuiuæ oculos nec voluptate moretur, nec accendat inuidia. *Seneca lib. de tranq. an. c. 1.*

Quamdiu ſationibus implebimus magnarum vrbium campos? quamdiu nobis populus metet? quamdiu vnius menſæ frumentum multa nauigia, & quidem non ex vno mari ſubuehent? Taurus pauciſſimorum iugerum paſcuis impletur: vna ſilua elephantis pluribus ſufficit: homo & terra paſcitur & mari? Quid ergo tam inſatiabilem nobis natura aluum dedit, cum tam modica corpora dediſſet, vt vaſtiſſimorum, edaciſſimorumque animalium auiditatem vinceremus? minimè. quantulum enim eſt, quod naturæ datur? paruo illa dimittitur. Non fames nobis ventris noſtri magno conſtat, ſed ambitio. *Seneca epiſt. 61.*

## *Vita ſeuera & horrida.*

Alter ò Dij boni, quàm teter incedebat, quàm truculentus, quàm terribili aſpectu. vnum aliquem te ex barbatis illis, exemplum imperij veteris, imaginem antiquitatis, columen reipublicæ diceres intueri. veſtitus aſperè noſtra hac purpura plebeia, ac pene fuſca: capillo ita horrido, vt Capua, in qua ipſe tum imaginis formandæ cauſa duumuiratum gerebat, Seplaſiam ſublaturus videretur. nam quid ego de ſupercilio dicam, quod tum hominibus non ſupercilium, ſed pignus reipublicæ videbatur? tanta erat grauitas in oculo, tanta frontis contractio, vt illo ſupercilio reſpublica, tanquam Atlante cęlum, niti videretur. *Cicero orat. pro P. Sextio.*

## *Vita Religioſa.*

Iſte ne verò beatus? an potius ij, quos caſtiſſimis conciliatus cogitationibus ſomnus arctiſſimè complectitur, quos iucundiſſima, & diuinitus accepta recreant ſomnia, quos idonea quiete perfunctos, ad pias precationes, & habenda cum Deo colloquia familiare claſſicum excitat, quos de rebus per diem agendis

agendis inſtituunt Cælites, atque ad omne iuſtitiæ munus explendum oracula certiſſima prorſus infor- mant. Vobis in veſtibulo veritas excubat, & libertas; vobis quies, vobis tranquillitas impellit fores, vos integritas, atque innocentia deducit in hominum conſuetudinem, in conclaue reducit. Vos vel excitati religione templum initis, vel alienæ vtilitatis im- pulſi cupiditate in virtutis ſtadium cum alacritate deſcenditis, vel ad veſtrum ipſorum animum præ- claris imbuendum artibus pronocati, ſapientiſſimo- rum hominum monumenta conſulitis, vel alijs ho- neſtè rectèque obeundis officijs admirabili cum gau- dio ac voluptate limen ipſum redditæ lucis intratis. Vobis inſternit menſam ſecuritas; vobis pro ſeruo- rum diſcurrentium tumultu conuiuarum ſilentium eſt; pro ſymphoniacis rerum diuinarum è ſuperiore loco perpetua lectio; pro inſatiabili ciborum varie- tate, mediocritas; pro morbis qui ſequuntur inglu- uiem, moderationis & temperantiæ fructus, valetu- do. Vos honeſtiſſimis ſocialis vitæ laboribus, nego- tijſque perfuncti Chriſtianæ reipublicæ ſalutaribus, ad iuſtiſſimum otium quietemque reuocamini, atq; in illo caſtitatis & ſanctimoniæ penetrali deſcenditis in vos ipſos, ipſi quæſitores & iudices acta totius reputatis diei; Si quid hiulcum offenditur, expletis; ſi quid protuberans, explanatis ad vnguem; ſi quid à norma legumq; præceptione diſcedens, quaſi libella corrigitis; ſi quid ſolidum & digitis admotis vndi- que caſtigatum, gratias habetis artifici Deo, & ſan- ctiſſimæ pleni ſpei, gaudio perfuſi opperientem in limine ſomnum occupatis. O vitæ rationem Regum omnium imperia, opulentorum & diuitum copias, ipſas etiam conditiones Attali ſuperantem.

*P. Tarq. Gallutius to. 2. orat. 5.*

Dicam tamen noſtrorum ſtudiorum eſſe finem, ea mereri quæ ſuis amicis numina indulgent. Huic cæp- to commodiſſimum putamus, in vitia, & immodicas cupiditates, aſſidua pugna decernere. Itaque quanto ambitu cæteri ad imperandum nituntur, nos refugi- mus à faſtu facilitati parendi animos aptamus. Vni ex noſtris facimus annuum in nos Imperium, non emptis, aut turbulentis ſuffragijs. Graue munus eſt illi, quem ab otio communi ſeuocat eiuſmodi præ-

ſectura: & ſola ſpe redeundi anno emenſo in ordinem, ſuccedit ad exigui nauigij clauum. Tanta autem religione obſequimur, vt hunc putes deſpexiſſe in animos noſtros nobiſque imperaſſe quod ſponte malebamus. Præcipua tamen eſt cautio (vt homines ſumus) ſi aut durius imperitet, aut nos ſegni vel rebelli conſilio, abeamus à reuerentia; ne foris hæc iurgia prodeant. Actum erit de pace quam quærimus, ſi ad externos arbitros, aut iudices deficiemus. Secundum hoc parendi inſtitutum, præcipua nobis eſt in ſocios. compareſque amoris integritas. Inuicem excuſamus, ac patimur, ſi quid animorum habitus fortè pugnant, genijque diuerſitas faſtidit. Nobiſque iraſcimur, cum quid in ſocio laudare: aut ferre non poſſumus. Veſtitus, vt intueris, vilis; menſa frugalis; quietis tempora interſtincta vigilijs. Ita domito corpori imperamus; nec (quæ maxima hominibus cura eſt) metuimus vices periclitantis dignitatis, aut voluptatum fugitiuos & mutabiles vultus, quarum commoda ſponte neſcimus. Sed quamquam minimo contenti, tamen quæſito labore fatigamur, compertis otij malis, quo vires non fruſtra humano datæ generi ſoluuntur, vt fit ſenſim deſiderium vitiorum. Itaque quicquid temporis à Numinis cultu eſt vacuum, deſtinatis quiſque officijs colimus. Qui plus ingenio, & animi luce valent, in contemplationes ſublimium rerum diſtribuuntur, quas deinde ſubijciant oculis, & veluti ex alto deducant, ad vſum mortalium: Cæteri, quam quiſque natura artem admouet, ſequuntur; vt ſufficiamus nobis, & alios iuuemus;
*Barclaius Argen. lib. 5.*

Quanto illa & amœniora ſunt, & ad ſalutem memoriamque expeditiora? numine intimis ſenſibus hauſto, eiecta mollitie carnis animo à corporis obſequio vindicato eminere: mente in cælum reuolare, vnde animis noſtris genus eſt: & omni ſollicitudine deterſa ſpem infiniti temporis æuum inchoare, & in terris immortalitatem benefactis debitam parturire, in cælo omnibus vbere voluptatibus parere! Vnam curam ſuſcipere, vt innumeris te exſoluas! Vnum timere, vt omnia contemnas! florem Virginitatis illibatum ſeruare, neque ſenſibus, tanquam ſuibus proterendum dedere, vt ex eo tibi vigens in

ſempi-

ſempiternum tempus corolla texatur: cognationem cæleſtium Ciuium agnoſcere, & retinere: in illam immortalium animorum familiam ſe ſe perſimilem inſinuare: recurrere ad amplexus optimi, maximi amantiſſimi parentis? fontem ipſum bonorum accedere? voluptatibus, & puris, & vberrimis, & ſempiternis innatare, & illiqueſcere? oculorum aciem (mortalitatis caligine diſciſſa, & diſſipata) veri luce, & claritate purgatam recreare? Poſſe à falſis vera dignoſcere: à malis diſpicere bona: à bonis meliora, à melioribus optima. Res humanas à celſiore loco turbulentiſſimo motu fluitantes, æſtuanteſque deſpicere. Mortalia contemnere: non opinari cum vulgo: nihil mirari: plurima ridere: animum nullis motibus agitari: pectore ſecuro, tanquilloque eſſe: altiſſimo ſomno perfrui: placidè conſopiri: ſomnia vel nulla, vel habentia voluptatem occurrere dormienti: nec vitam amare, nec mortem metuere: obitum tam expectare, quam expaueſcunt alij? immortalitatis curriculum ſæpe decurſum cogitationibus, & curis, cælique viam mente detritam ſoluto cuſtodia corporis animo ſemel excurrere: nuſquam offendere: nunquam repetere? Denique hæreditatem æterni patrimonij cernere: & quæ ſeueris parcè in terris, vberrimè in cælo demetere.

*P. Stephonius præf. 15.*

## *Vita militaris.*

MIſſus Annibal in Hiſpaniam primo ſtatim aduentu omnem exercitū in ſe conuertit. Amilcarem viuentem redditum ſibi veteres milites credere, eundem vigorem in vultu, vimque in oculis, habitum oris lineamentaque intueri. deinde breui effecit vt patri in ſe minimum momentum ad fauorem conciliandum eſſet. Nunquam ingenium idem ad res diuerſiſſimas, parendum atque imperandum habilius fuit. itaque haud facilè diſcerneres vtrum Imperatori, an exercitui carior eſſet; neque milites alio duce plus confidere, aut audere. plurimum audaciæ ad pericula capeſſenda: plurimum conſilij inter ipſa pericula erat. nullo labore aut corpus fati-

gari,aut animus vinci poterat. caloris ac frigoris patientia par: cibi potioniſque deſiderio naturali,non voluptate modus finitus: vigiliarum ſomnique nec die nec nocte diſcriminata tempora, id quod gerendis rebus ſupereſſet, quieti datum. ea neque molli ſtrato, neque ſilentio accerſita. multi ſæpe militari ſagulo opertum humi iacentem inter cuſtodias ſtationeſque militum conſpexerunt. veſtitus nihil inter æquales excellens, arma atque equi conſpiciebantur. equitum peditumque idem longè primus erat. princepsprælium inibat, vltimus conſerto prælio excedebat. *T. Liuius dec. 3. lib. 1.*

Quæ temperandis moribus Ethice præcepta tradit,quod moderandis ciuitatibus frugiferum in Politicis eſſe didiciſſet, id conſilijs deſtinatum, temporibus diuiſum, moribus expreſſum, in vtriuſq; fortunæ tempus, in vitæ conſuetudinem vſumque referebat. Parabili cibatu quem fortuito miles occupaſſet, conſtare militiam dicebat: nec audebat vituperare Grammaticos,qui Maronis Aeneam reprehenderent, quod is militaribus epulis in deſerto littore præter aſſam ferinam, obſonaſſet aliter famem: & aqua fermenti ſubacta quædam alia condimenta quæſiſſet. Quod in eo genere ſequeretur, acceperat ex Homero puer. Igitur adoleſcentulus ante Naupactæam victoriam,niſi iuſſus a parétibus ad cibárium panem nihil addebat. Præluſionem militiæ cogitabat: & caſtrenſem diſciplinam aſperi victus illa quaſi velitatione iam tum informabat domi. Quo facto duplex interim operæ pretium habebat; nam & vim mentis ad pudicam animi firmitatem illa ſiccitate corporis, & iuuentam ad duritiæ militaris experientiam obdurabat. Qualem autem in ſomno probum militem vellet expreſſerat apud eundem poetam ex Diomede duodecim annorum puer. Quoties illum intempeſtæ ſilentio noctis id ætatulæ puerum clam parentibus è lectulo delapſum, humi ſtrato tapete cubantem, galea pro puluillo ſubiecta ceruici ſerò tandem inuitus occupabat ſopor.

*P. Stephonius or. 2. in fun. Delph.*

Vita

## *Vita ruſtica.*

ET profecto egregium & laudabile hoc tuum ſtudium in re hortorum. ſtudium ad quod niſi fallor optimus & modeſtiſſimus quiſque trahitur à natura ipſa. Cui argumentum quod non facile voluptatem aliam dixeris, in quam ab omni æuo tam cupide conſenſerint ſelecti inter gentes. Sacras litteras luſtras? videbis vna cum orbe nato natos hortos: quos Deus ipſe primo homini domicilium adhibuit, & velut ſedem beatæ vitæ. Profanas? ecce Adonidis & Alcinoi, & Tantali, & Heſperidum hortos prouerbia & fabulæ loquuntur: & in veris certiſque hiſtorijs, reperies Cyri Regis manu plantaria inſtituta, & Semiramidis aerios penſileſque hortos, & Maſaniſſæ nouum, & celebrem cultum Africa mirante. Iam inter priſcos Græcos Romanoſque, quot illuſtria capita tibi proferam, qui poſitis alijs curis ſoli in hac cura? In illis quidem, vno verbo omnes philoſophos & ſapientes, qui remoti ab inſano foro, & vrbe, hortorum ſe ſpatijs ſepibuſque clauſerunt. At in iſtis Tarquinium Regem video iam tum priſca illa Roma, in hortis molliter ambulantem, & papauerum capita reſecantẽ: Catonẽ Cenſorium agnoſco in re hortenſi deditum, & de ea ſerio ſcribentem. Lucullum poſt Aſiaticas victorias in ijſdem otiantem: Sullam abiecta Dictatura ſuauiter hic ſeneſcentem: & Diocletianum Principem olera ſua & lactucas ad Salonam, purpuræ & omnibus ſceptris præferentem. Eſt enim profecto arcana quædam, & congenita nobis vis, quæ ad hanc innoxiam, & ingenuam delectationem trahit non nos tantum qui propenſemus, ſed illos ipſos ſerios & ſeueros, qui renituntur & irrident. Atque vt cælum & æternos illos ignes nemini aſpicere fas ſine occulto horrore quodam & religione: non item terræ ſacras opes, & hunc inferioris mundi mundum ſine tacita quadam gaudij titillatione & ſenſu. Animum tuum percontare: capi ſe hoc aſpectu dicet imò paſci.

*Lipſius l. 2. de conſtan c. 2. Sed fuſius idem in Epiſtolis ruſtica vita laudes proſequitur cent. 1. epiſt. 8.*

Natura enimuero nouercæ mores exuta nihil ruri ruſticum, nihil in agris agreſte redolet, ſed illius fortaſſe recordata temporis, quo mundum hunc in prima rerum origine naſcentem, pulcherrimæ villæ delicijs, ipſa voluptatis ſede Paradiſo, quaſi cunis excepit: eundem nunc ſceneſcentem, & quaſi repueraſcentem teneris Autumni blanditijs ad prima velut infantiæ ſuæ lenocinia, & crepundia reuocat. Quis enim tam durus ac rigidus è ſaxo ſilice, quin ſe prima ſpecie commoueri acrius ſentiat honeſtiſſimis naturæ lenocinantis illecebris; dum Pomonæ repubeſcentis amœna ſpecies pampinarijs capillata cincinis, effuſa pomorũ Amalthæa luxuriat, perq; valles vite matureſcente purpureas ludibunda Gratiarũ choros ad tripudia conciet zephyro euentilante lacinias? Hæc amœnitas dulciſper venas contagedilapſa, quam bellè repit ac rapit? neminem non vrit, neminem non Paridem facit hæc Helena. Primum parentum noſtrorum genus in hortis duximus: eò ferimur, vnde naſcimur origini inhærentes noſtræ. Non ſexus aut ætas; nec ſæculum, aut natio quemquam eximit ab hac lege: Gens humana nata de quercubus, ſiluarum indigena ſemper fuit. Arborum vmbracula tecta fuerant, laquearia non auro gemmiſque perlita, ſed Soli ſtelliſque peruia, curuatis teſtudinata ramis, pendentibusque ſubinde pomis gratiora, quàm Victoriarum manubijs cælatæ trabes. Eo ſe viceſimo poſtquam regnaſſet anno Diocletianus Imperator tranſtulit, roſarum natiuam purpuram oſtro præferens Imperatorio; ibi Cyrus manu ſua plantaria inſtituit, Maſſaniſſa fallit curas atque æſtus, ibi Tarquinius papauerum capita reſecat, ibi Lucullus poſt Aſiaticas victorias digerit reſiduos triumphi plauſus obambulans, ibi ſine labore voluptates ſuas elaborat Epicurus, ibi ſine cura valetudinem curat Annæus Seneca, ibi deliciatur Auguſtus, laſciuit Mæcenas, inſanit Heliogabalus, Sylla conſeneſcit, contabeſcit Tiberius, Nero moritur, ſepelitur Galba; ibi platonicam cœnam inſtituit Ficinus, fabulas orditur Boccacius, iurgia componit Aretinus; ibi de Republica diſſerit Cæſar, de eloquentia tractat Hortenſius; ibi poeticis indulget Horatius, philoſophiam colit Tullius, Hiſtoriam ſcribit Saluſtius; ibi in viridi

lycæo

lycæo de natura Peripateticus, ibi in vmbrifera Academia de moribus diſputat Socrates. Nimirum vita ruſtica, vt aiebat ille, confinis & conſanguinea ſapientiæ eſt.

*P. Leo Sanctius florid. l. 1. praf. 1.*

# ÆTAS VITÆ HVMANÆ.

## *Pueritia.*

PArui enim primo ortu ſic iacent, tanquam omnino ſine animo ſint: quum autem paulum firmitatis acceſſerit, & animo vtuntur & ſenſibus conituntur que vt ſe ſe erigant, & manibus vtantur, & eos agnoſcunt à quibus educantur: deinde æqualibus delectantur, libenter que ſe cum his congregant, dant que ſe ad ludendum, fabellarumque auditione ducuntur, deque eo quod ipſis ſuperat, alijs gratificari volunt, animaduertuntque ea quæ domi fiunt curioſius, incipiuntque commentari aliquid & diſcere: & eorum quos vident, volunt non ignorare nomina: quibuſque rebus cum æqualibus decertant, ſi vincunt efferunt ſe lætitia, victi debilitantur, animoſq; demittunt. *Et infra* Videmus ne vt pueri ne verberibus quidē à contēplandis rebus perquirendiſq; deterreantur? aut pulſi requirant, & aliquid ſcire ſe gaudeant? vt alijs narrare geſtiāt? vt pompa, ludis, atq; eiuſmodi ſpectaculis teneantur, ob eamque rem vel famem & ſitim perferant? Quid verò qui ingenuis ſtudijs atque artibus delectantur, nonne videmus eos nec valetudinis, nec rei familiaris habere rationem, omniaque perpeti ipſa cognitione & ſcientia captos, & cum maximis curis & laboribus compenſare eam, quam ex diſcendo capiant voluptatem? *Et inferius.* Hæc honeſta ſuapte natura per ſe expetenda eſſe indicant pueri, in quibus vt in ſpeculis natura cernitur. Quanta ſtudia decertantium ſunt? quanta ipſa certamina? vt illi efferuntur lætitia quum vicerint? vt pudet victos? vt ſe accuſari nolunt? quam cupiunt laudari? quos illi labores non ferunt, vt æqualium principes ſint?

quæ memoria eſt in his bene merentium? quæ referendæ gratiæ cupiditas? Atque ea in optima quaque indole maximè apparent, in qua hæc honeſta quæ intelligimus à natura adumbrantur.
*Cicero l. 5. de finibus.*

## *Puer hebeti ingenio ac planè nullo.*

QValem materiam artificio tam bono viri præſtantiſſimi ſubiectam habeant videtis. Ingerunt abunde primò pabula doctrinæ. Videbatur audire. nil audiebat tamen. Iuſſus audita reddere, lege Mutia reddit omnia. conticeſcit. Vbi pleniore cibo nihil innutriri vident, minutatim conciſum & præmanſum inſerunt. multis poſt menſibus eadem ingenij macies; idem animi color erat: ad virtutis & doctrinæ corpus nihil acceſſerat. Redeunt ad elementa rurſus: eadem à capite contrita, centies, millies iterant: odioſè recoquunt, quæ nunquam concoquerent, vt ait ille

*Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.*

idem erat bonus Margites, qui ſemper fuit, elephas ad ceroma. tundunt, vel obtundunt potius ilius miſeri iacentes aures: fabulam ſurdo canunt, & pſittacum tundunt ſenem. Ille nihil hiſcere: quidquid ſemel arripuit, quaſi claudus pilam tenere mordicus, nunquam remittere.
*P. Ptephonius Proſa* 8.

## *Adoleſcentia.*

HVius prima ætas dedita diſciplinis fuit, iiſque artibus, quibus inſtruimur ad hunc vſum forenſem, ad capeſſendam Rempublicam ad honorem gloriam, dignitatem. iis autem fuit amicitiis maiorum natu, quorum imitari induſtriam continentiamque maximè velit: iis æqualium ſtudiis, vt eundem quem optimi ac nobiliſſimi petere curſum laudis videretur. poſtea nemini conceſſit æqualium, plus in foro, plus vt in negotiis verſaretur cauſiſque amico-

rum, plus vt valeret inter ſuos gratia. quæ niſi vigilantes homines, niſi ſobrij, niſi induſtrij conſequi non poſſunt, omnia labore & diligentia eſt conſecutus. *Et infra.*

Sed ego non loquor de ſapientia, quæ non cadit in hanc ætatem: de impetu animi loquor de cupiditate vincendi, de ardore mentis ad gloriam: quæ ſtudia in his iam ætatibus noſtris contractiora eſſe debent; in adoleſcentia verò, tanquam in herbis, ſignificant quæ virtutis maturitas, & quantæ fruges induſtriæ ſint futuræ. Etenim ſemper magno ingenio adoleſcentes refrænandi potius à gloria, quam incitandi fuerunt: amputanda plura ſunt illi ætati, ſiquidem efflorescit ingenij laudibus, quàm inſerenda.
*Cicero orat. pro M. Cœlio.*

## *Adoleſcens mollis & elegans.*

QVanquam ego è finibus his egredi ſine luctu, & lacrymis non poſſum, cum videam multos adoleſcentes exoticis deliciarum tractos illecebris, animum à litteris ad ineptias & congerrones conuertere, quorum perfectiſſimum exemplar hiſce oculis egomet vidi, cum eſſem puer in Pædotriuio. Eramus enim multi pueruli præceptionibus Stomacriſij Hermatheneæ præceptoris noſtri doctiſſimi erudiendi; inter quos vnus male præcinctus ad has leuitates omnem animum applicuerat: Septimillus Cypariſſus vocabatur, manu promptus, ingenio præferuidus erat quales habemus permultos, qui caput ad nugas, ventrem ad ingluuiem, linguam ad contumelias poſthabita litterarum cura, conuertunt. Cæterum proceritate membrorum, & toto corporis habitu, geſtibuſque dignitatem eximiam præſeferebat. Vultus viuidus flammeo ſanguinis flore ſubrutilus, albo virente illuminatus, colore langueſcente ſenſim in luteum. Culti capitis cæſaries genialis, non ſuo genio flexa, ſed arabico nectare temulenta, à temporibus, ac fronte ſinuoſos diſpenſabatur in cyrrulos, ante pendulo zephyri laſciuientis euentilanda ludibrio. Bene comptum ſcilicet feſtiuum capitulum illud erat foris; at intus Ariſtophanię nebulæ,

bulæ, Philoſtrati ſomnia, inane peculium, non mica cerebri, non gutta memoriæ, ſola ſtupiditas, ſolæ tenebræ in auguſtiſſimo illo Capitolio triumphabant. Oculi coruina nigredine, loquaci mobilitate verſatiles, de tribu Voltinia. Erant ad petaſum ſemper relpandum aureę ſtellulę, lunulæque: ad pallioli fimbrias bracteolæ concrepantes: in amiculo reticulato ad ceruicem diſtinctæ in floſculos frondeſque laciniæ: & ipſe totus ad vnguem mundulus, lepidus, hilaris, dulcis, & mulſus, oleo tranquillior, paſſerculo mollior, magis odoratus Arabia, magis elumbis palumbula, Narciſſo nitidior, cincinnatior Ganimede, Ioui deſtinatus à poculis videbatur.

*P. Leo Sanctius flor. l. 1. praef. 3.*

En tibi futilis aliquis homulus ex hoc grege, totus ad vnguem mundulus, mulſus, ac dulcis, magis odoratus Arabia, magis elumbis columbula erecta ceruice cum calceolo Sycionio, quaſi fercula pomparum ferat, ludibundum, & plenum illecebræ criſpat inceſſum. Quid miramur enerues noſtros Parides cum mitellis, & crocotis ſaltare ad tibias, ſi fortiſſimi Hercules vnguentati, ac marcidi ſedent ad colos? Iam quid horum iuuenum curæ, quibus in ſtudijs collocentur, quæſita illa pulcritudinis lenocinia, & veſtimentorum elaborata concinnitas ſatis declarant. Vna enim cæſaries quantæ induſtriæ, quanti laboris opus? vt modo guttis arabicis obuncta, & in cincinnos dependulos à temporibus certa lege diſpoſita, cumuletur in aggerem, arcemque leuitatis, primæ ventorum velitationi ceſſura, modo reciſa à fronte, & in vnum porrecta cyrrulum ab aure propendulum erraticam propaget volaticæ amenitatis vmbellam. tum amiculum à ceruice reticulatum frequenti inuolucro plicatile, ductilique diuerticulo identidem per interualla conſertum, quam molliter, ac delicatè cubat ad humerum: adeo flexuoſis conuolutum anfractibus, vt noui labyrinti Dædalum molitorem adfuiſſe credas: adeo tenui variatum diſcrimine liciorum, vt aranearum in muſicas artificia videantur; adeo lato, altoque vallo collum, faciemque præcingens, vt putes cuſtodiam capitis eſſe, ne fugiat.

*P. Leo Sanctius flor. to. 3. or. 2. ad Peruſ.*

Nam putate vos hodieque cincinatulum hic iuuenem

nem videre, lilio niuique certantem: pennis plumantibus criſtatum, omniumque non modo fauores prouocantem; ſed quaquà inceſſerit etiam clamores plauſuſque excitantem. Narciſſis omnibus & Hyacinthis inuidendus, ſub illa pubeſcentis ætatulæ prætexta, ſub oris formoſi, coloriſque gratia, ſub his anteuentulis, atque dependulis cincinnis, quid reconditum aliud, quàm clauſam puris ac tabi (ne quid latinius dicam) Mephitim circũmgeſtat?

*P. Bidermanus lib. 1. Actoam 5. pun. 92.*

Videte ſuperbientem Troſſulum, & obuios toruo lumine intuentem, ſeque magnificè circumſpectantem, ac nimio plus ſe amantem. Vt galerus ex villulis Caſtorum in alteram aurem depreſſus? vt chlamys pendula alteri brachio ſubiecta, in alterum eſt reiecta? vt artificioſè feneſtratus thorax? vt non indit's globulis modicè hians? vt follicantes caligę dignum Aeolo domicilium? vt ſurſum attracta tibialia optimè coherentia miſerandum in modum verſantur? nunc enim quatuor indit digitos libero police, nunc omnino exuit, nunc feneſtras facit, vt emineant gemmæ. At oculos veſtros fugerat enſis ludens in aere, & ad modulatum ac deſcriptum inceſſum domini femur identidem repercutiens.

*Ex Fal. Eloq. exerc. 2. lect. 3. pun. 12.*

## *Adoleſcentes deprauatis moribus.*

TOrpent ecce ingenia deſidioſæ iuuentutis, nec in vllius honeſtæ rei labore vigilatur. Somnus languorque, ac ſomno & languore turpior, malarum rerum induſtria inuaſit animos. Cantandi, ſaltandique nunc obſcœna ſtudia effœminatos tenent, & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocẽ extenuare, mollitie, corporis certare cũ fœminis, & immũdiſſimis ſe excolere munditijs, noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt. Quis æqualium veſtrorum, quis dicam ſatis ingenioſus, ſatis ſtudioſus, imò quis ſatis vir eſt? Emolliti, eneruesque nati ſunt, in vitio manent, expugnatores alienæ pudicitiæ, negligentes ſuæ.

*Seneca in Prol. Declam.*

## *Fœminarum ſtudia & cultus muliebris.*

INtra parietum ſepta procul à lucis afflatu cum ſeruulis mollire lanam, penſum ducere, fuſum verſare, digitos terere, ordiri ſubtegmina; telas texere, acu textra pingere, ſeges vberrima gloriæ fœminis metenda; ad infantium, quos fœdè conceperis, grauiter vtero tuleris, acerbè pepereris, incunabula, viuendum inter nutricia blandimenta, inter crepundia puerorum, inter diſſidia domeſtica, inter ſuſpicaces animos, & querelas Virorum, domi virus acerbitatis euomentium, quod hauſerunt foris. Atqui ego naturam quidem non aſpernor, ſed non ſequor: neque à ſexu elata faſtidio abhorreo: non ſpe meliorum hæc confector, illa contemno, nam quis illa ferat, niſi qui poſthabita immortalitate, cæloque deſperato, humi curas omnes, cogitationeſque defixerit? Ad quicquid increpuerit pauitare ſemper, gaudere nunquam? ex alieno ſpiritu ſpiritum ducere? ſtudere venuſtati? naturæ in vitium procliuiori quàm velis, lenocinari? prouocare ſenſum in præceps ruentem? molliter inceſſum componere? nutum ad incutiendum deſiderium fingere? formam artificio colere? vultum diffingere ad voluptates? calamiſtrare comam, mundum parare? diſcriminare ornatu veſtem, & molli corpus ſeueritudine eneruatum, laciniatis & peregrino opere pallis quaſi phaleris inſternere? naturam fuco oblitam exterminare? artem accerſere? pulchritudinem oculis, famam voculis, ſtudium voluntatibus, animum corpori, ingenium leuitati vendere? nitere denique facie, vel vt vni placeas, ſine laude diſpliceas omnibus; vel vt placeas omnibus, cum infamia diſpliceas vni? Hæc noſtræ ſunt ſtudia mentis hæc curricula gloriæ: in hac gymnade noſtra deſudat induſtria: hinc omnis aura colligenda nominis: ex hoc Circo famæ plauſus aucupandus.

*P. Stephonius Proſa 15.*

Benen

## *Senex.*

ECce centenus ætatis circulus voluitur, & tu ſemper præcepta Domini cuſtodiens futuræ beatitudinis vitæ per præſentia exempla meditans, oculi lumine vigent, pedes imprimunt certa veſtigia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox ſonora, corpus ſolidum, cani cum rubore diſcrepant, vires cum ætate diſsentiunt, non memoriæ tenacitatem vt in pleriſque cernimus, antiquior Seńecta diſſoluit. Non callidi acumen ingenij frigidus ſanguis obtundit. Non denique tremula manus per curuos ceræ tramites errantem ſtylum ducit, futuræ nobis reſurrectionis virorem in te Deus oſtendit, vt peccati ſciamus eſſe quod cæteri adhuc viuentes præmoriuntur in carne; Iuſtitiæ quod adoleſcentiam aliena in ætate mentiris.

*S. Hieronymus epiſt.* 21. *ad Paul. Concord.*

Senectus autem, quam pauci adipiſcuntur, infælicitatis, & incommodorum theſaurus quidam eſt, & portus malorum omnium, nam ad illam omnia confugiunt: ſiquidem tum vires maximè deficiunt, oculi caligant, caput tremit, facies rugatur, articuli vacillant, crines defluunt, dentes putreſcunt, aures obſurdeſcunt, corpus incuruefcit. Semper triſtis, querula, moroſa, tenax, pertinax, iracunda, credula, garrula eſt ſenectus, nec quiſquam eſt, qui vbi eam attingerit, non accuſet.

*P. Pontanus vol.* 3. *par.* 1. *progymn* 45.

Et ecce obuium in proſcenij limine Simeonem, notæ pridem laudatæque ſanctimoniæ Senem. Iuuentæ iam color omnis vigorque in canos deſierat; iam vires ætati ſuccumbere, iam ſenſus hebeſcere, iam labare cætera, ruereque ſentiebat; vt animus proinde male ſarti laris effœtus hoſpes, migrare quamprimum, & ſtatione ſi miſſio daretur excedere præoptaret.

*P. Bidermanus Del. ſacr. lib.* 1. *narr.* 1.

Non ibo per ſingulas claſſes, ſiue Senis rugoſi, paſſique, ſelicernij, acheruntici, ſuſpicioſi, ſibi ab vnoquoque præcauentis, omnia ſecus interpretantis,

tantis, nihil vehementer concupiſcentis, cuncta per-frigidè tractantis, & ſola febre calentis.
*P. Famianus lib. 2. prol. 3.*

Fuere adeo apud antiquos Comicos ſenum genera permulta: quorum prior vt pro auo haberi poſſet, capite fingebatur raſo, leni ſupercilio, decora barba, maxillis modicis, & ſubtriſtis, colore candido, facie nitida. Alter haud multum abſimilis, ſed habitudine meliori interiore obtutu, triſtis item ac ſubpallidus, barba compoſita, rufus colore, auribus flaccidis. Tertium ſenem nominarunt Ducem, fortaſſe ideo, quòd moderator erat adoleſcentium, ac pædagogus; vt quidam putant. quem facie finxerunt ampla, & quodammodo ſparſa, adeoque maximè ridicula, aquilino naſo, dextro ſupercilio elato capillo in coronæ modum attonſo. Quartum fecere barba promiſſa, & denſa, quam agitatione menti identidem ac ſubinde ſuccuteret: capilli habitu eodem, ſupercilio immoto, facie flaccida & vieta.
*P. Tarq. Gallutius in Comm. de Com. c. 9.*

## *Vetula.*

ZEuxis Vetulam coloribus expreſſerat in tabula edentulam ac vietam, annis ac viribus defectiſſimam: dumque re abſoluta, vti fit, ad opus agnoſcendum redit ridiculo illo aſpectu delectatus, dum aniculam contemplatur ſuffarcinatam, breuiculam, aridam, exſuccam, exanguen, bucculentam, recedentibus oculis, pendentibus genis, extante deorſum mento, depreſſo introrſum ore ſuperſtante naſo, neque integro neque ſicco; enimuero ſuborto affatim riſu, intercluſo ſpiritu, ridiculum ſanè in modum ſeriò extinctus eſt. *P. Famianus lib. 3. praef. 4.*

Aniculas ordine diſtinctas ſuo voluerunt eſſe omnino tres. Primam finxerunt proceram, rugis perſulcatam tenuibus, & frequentibus, ſtrabam atque ſubpallidam: ſecundam corpore pinguem, vitta crines adſtringentem, rugis craſſioribus exaratam in fronte: tertiam planè domeſticam, exſuctis malis, vtrinque binos ore dentes aperientem.
*P. Tarq. Gallutius in Comm. de Com. c. 9.*

VESTI-

# VESTITVS ET ORNATVS CORPORIS.

## *Veſtis ampla & ornata.*

INambulabat aliquando, vti conſueuerat, Plato pluſquam Platonico perculſus atque elatus amiculo, chlamydeque multò etiam longiore, quam corpore. Profuſa quippè lacinia, vndantique peniculamento caudam trahebat, ac propè Deorum gradiebatur inceſſu, Sapientiæ Deus. cum ecce tibi Diogenes, ille philoſophus doliaris, interuenit obuolutus angusto tenuique palliolo: vtque erat ingenium non felle magis, quam Sale conditum; Platoni furtim obrepit à tergo, ac laſciuientem eius defluentemque luxuria chlamidem inſultare pedibus, atq; ad terram cæpit apprimere. *P. Guiniſius alloc.* 5.

Fuit olim honeſtiſſimum Romæ genus indumenti toga longiſſimo, frequentiſſimoque tamquam arati ſulco, ſtriaque multiplici replicata. an tu propterea, vt eum præ te generis animique ſplendorem feras vtque in ſenatu populi Quiritium cenſeare: prodeas hoc æuo in publicam hominum frequentiam baſilicè ſuffarcinatus, atque inuolutus in purpura bis ter vlnarum; tanta laciniæ circumductæ, ac ſinuum latè vndantium laxitate; vt ad nauigandum vela non ad conſulendum præferre ſynthéſim videare.
*P. Guiniſius alloc* 8.

Bizantinos, alioſque nonnullos ſolis orientis populos accepi, ſolitos eſſe noſtros homines, qui eo per occaſionem accedunt, irridere, vbi eorū viderent veſtes ferro, vt noſtratium conſuetudo eſt artificiosè conciſas, laciniosas, ſcutulatas, phrigionum elaboratas ac pictas filo limbis, faſciolis, inſtitis, ac ſegmentis vndique prætextas. Exiſtimant enim pannum ac

ſelam

telam puram additamentis illis obnubi, & quodammodo contaminari. *P. Targ. Gallutius to.2.or.5.*

## *Veſtes fere omnis generis.*

VEſtiarium inuiſens variam ac mutiplicem veſtem ordine miro compoſitam conſtructamq; vidi; Syntheſim ſanè quadam veſtium ſerie mirifica conſtructam, ſtolam, veſtem attalicam, acu pictam, & mæandro politiſſimo, & opere labyrinthorum ſimili, multoque clauorum illigatorum ductu, Amethyſtinam, bombycinam, coccineam, goſſipiam, pexam, varijs ſcilicet villis hirſutam, vndantem, pellitam, pictam, ideſt Phrygiam animalium formis, & floſculis diſtinctam, auro intertextam, quadruplici filo elaboratam, opus pulchrum & primum Phrygum inuentum, purpuream, ideſt conchiliatam, ſericam, holoſericam, ſegmentatam, ſegmentis purpuræ, alteriuſue materiæ inſertis, vermiculato operæ compoſitis, aureiſque virgis perfectam Vidi ſcutulatam textura plagis diſtinctam, orbibus & circulis quaſi ſcutulis ad araneorum ſimilitudinem accedentibus ornatam. Vidi Damaſcenam vndarum quaſi diſcurrentium ſpecie multiplici pictam, polimitam, verſicolorem. Adde interpolim, laciniatam, laneam, linteam, pullam, viatoriam, domeſticam, ad quoſcunque aptiſſimam vſus, & neceſſariam pro temporum viciſſitudine; vt nemo ſit tam locuples & elegans, nemo tam mediocri fortuna præditus, qui veſtitum non ex veſtiario capere poſſet ad induendum.
*P. Melch. de la Cerda in Camp. Eloquen.*

## *Veſtitus & ornatus regalis.*

CVltus regis inter omnia luxuria notabatur: purpureæ tunicæ medium album intextum erat: pallam auro diſtinctam aurei accipitres, velut roſtris inter ſe corruerent, adornabant: & zona aurea muliebriter cinctus acinacem ſuſpenderat, cui ex gemma erat vagina. Cydarim Perſæ regium capitis vocabant inſigne: hoc cærulea faſcia albo diſtincta circuibat. *Q. Curtius l. 3.*

Veſtis

Veſtis erat auro, purpuraque diſtincta,quæ etiam crura velabat;aureis ſoleis inſeruerat gemmas. lacerti quoque & brachia margaritis ornata erant. pendebant ex auribus inſignes colore,& magnitudine lapilli. baculum aureum berylli diſtinguebant.
*Idem lib. 9.*

Aderant à Meleandro equi, in quos ambo aſcenderunt regio cultu eximij. Poliarchus gentile Sagulum multo colore variatum, braccaſq; geſtabat propemodum ſub gemmis latentes. Aureus torquis ceruicem, læuumque humerum cingens,eburneam gladij vaginam fibulis gemmeis tenebat. Lacertos aliqua parte nudos colebant armillæ recocto auro fulgentes. Verticem propexa, & rutila cæſarie,vel ſine alio cultu placiturum inſuper regia faſcia ex murice, auroque reuinxerat. Super hæc eminebat oris decor,& amænæ gratiæ genius, cuius virtute omnes ipſius motus, omnes nutus placebant.
*Barclaius Argen lib. 5.*

## *Veſtes Sinarum.*

PRimarij, ac diuites, quique militiam exercent, verſicolore ſerico: plebei, ac pauperes,lino,ſeu goſſipio tegunt corpora, nam apud Sinas lana, cum maximè ſuppetat, minimè texitur. Sagis ad veterem Hiſpaniæ conſuetudinem vtuntur, media ſui parte criſpis, ac rugoſis;cæterum fuſa, & explicata lacinia, & laxis manicis: ipſum verò ſagum ab læua parte confibulant. Accedit talaris tunica, quam qui è regia ſunt ſtirpe, vel ſuperiore aliquo magiſtratu funguntur,circa baltheum maxime; cæteri limbo tenus acu pingunt. Caput operiunt præcelſo ac rotundo pileo,è tenuiſſimis virgulis atro filo prætextis. Caligas induunt affabre factas, & elegantes cothurnos,aut calceos bombycino obſtragulo perpolitos: Veſtimenta per hyemem pretioſis murium Scyticorum pellibus,quas vulgo martas, vel ſabellinas vocamus,calore admodum ſuaui,& ventis impenetrabili denſitate ſuffulciunt; ijſdem ſeparatim pellibus circumfonent colla. *P.Maffeius hiſt. Ind. l.6.*

Veſtes

## *Veſtes ſacræ Sacerdotum ad aras operantium.*

EPomidem lineam appello, quod ſuper humerale vulgus Clericorum. Sequitur alba, & ſubauditur veſtis. Hæc eſt illa linea, & prælonga, ac lacinioſa tunica, manicis laxiſſimis, quam ſacrificaturus induit, illiuſque veſtis gerit imaginem, qua Chriſtum Herodes contumelioſè, vt fatuum operuit Cingulum flagella ſignificat. Manipulus, ideſt, faſcia illa in ſiniſtro brachio, funes. quibus ad columnam eſt alligatus Stola laqueos collo eius iniectos, cum ab vno iudice ad alium raptaretur. Caſula purpuram, quam milites eidem in prætorio circundederunt: quod veſtimentum cruce à tergo ferè inſignitur. Ea quid moneat nimis eſt manifeſtum. S. Cogitandum ſubijcit ſanctam illam, ligneamque crucem, in qua tribus clauis affixa mundi ſalus pependit. Tu hæc myſteria in commentatio aliquo legiſti? V. Et legi, & explicationes iſtas audiui à magiſtro puerulus, cum rudimenta fidei nobis interpretaretur. Locus, vbi ſe veſtiunt Sacerdotes, & ſacra Supellex reponitur, à quibuſdam veſtiarium, communiore voce Sacrarium nominatur. Etiam dici poterunt templi penetralia, & adyta. Sacriſtiam qui nominat, nulla neceſſitate loquitur barbarè. M. Procede ad reliqua. V. opus eſt item calice, opus patena (ſic enim maluerunt. cùm tamen ſit patina, & rectè, quia ipſa Hoſtia Sanctiſſima cibus eſt, & cibus dicitur: caro mea vere eſt cibus) Calici quadratum, ſed duratum, & lineum tegumen imponitur, pallam vocant, ad eum præterea, & ad extergendum adeſt quaſi Sudariolum, quod Purificatorium dicunt. Operitur Calix velo ſerico byſſino, aut alioqui non abiecto. Expanditur item ſuper aram corporale linteum filo ſubtiliſſimo: quo admonemur illius mundæ Sindonis qua corpus Domini exanime inuolutum ſcribitur. Id in theca reponitur.

*P. Iacob. Pontanus vol. 2. progymn. 93.*

## *Veſtes ex plumis.*

QVippe gens operis plumarij ſcientiſſima; pinnularum ( colore diſparium ) cõtextu, quidquid iuſſeris exprimunt, ſubtilitate perquam mirabili. rerumque cunctarum imagines, hominum, brutorum, ſeniu, vitaque carentium; tantum non viuere, ſpirareque cogunt. Id autem præſtant tam pertinaci laboris incubitu, tam rigida cenſura ſuæ manus; vt vnicæ ſubinde plumulæ ritè concinnandæ, verſandæque ſæpius, & reuerſandæ, nunc in dextrum, nunc in læuum, alias recto, mox obliquo ſitu, ſolidum diem impendant, interdum & noctis portionem; quoad omnia congruant. Itaq; veteres omnes Phrygiones, & acus Babylonicæ gloriam, ingenio ſuturæ recentis extinguunt.

*P. Io. Biſſelius lib. 14. Argon. pun. 6.*

# FAMES ET SITIS.

QVod Eraſiſtratus ſcriptum reliquit; propemodum verum eſt: eſuritionem faciunt inanes patenteſque inteſtinorum fibræ, & caua intus ventris, ac ſtomachi vacua & hiantia: quæ vbi aut cibo complentur, aut inanitate diutina contrahuntur, & conniuent, tunc loco, in quem cibus capitur, vel ſtipato vel adducto voluntas capiendi eius deſiderandique reſtinguitur. Scythas quoque ait, quum ſit vſus vt famem longius tolerent, faſcijs ventrem ſtrictiſſimè circumligare: ea ventris compreſſione eſuritionem poſſe depelli creditum eſt.

*A. Gellius Noct. Att. l. 16. c. 3.*

## *Fames extrema.*

VTinam ſaltem nobis rudem victum ſyluæ miniſtraſſent, & carpere arbuſta, concutere quercum, legere fraga licuiſſet, & quæcunque primi mortales

tales ante traditos diuinitus mitiores cibos contra famem obiecerunt, peſtifer annus reliquiſſet. Sed ô triſtis recordatió, funeſta neceſſitas: nihil habuimus quo viueremus, præter famem. Nos per arentes effuſi campos morientium herbarum radices vellimus, eo quidem fortius, vt ſi fieri poſſit in venenum incidamus ſubeuntes inſolitis cibis. Amaros fruticum cortices, & ramorum male arentium pallidas frondes decerpimus; morbida quidquid fames coegit, corpus admiſit. Iam paſſim moriuntur & peſtilentium more pecudum ſubinde aliquis ex populo in ipſis paſcuis procumbit. Poſtquam omnem patientiam vicerat ignea fames: poſtquam ſpes quoque, quæ miſerijs vltima eſt, omnis abierat, ſubijt furor & alienatio mentis, & tota ſui arbitrij fames facta eſt. Animus malis diriguerat, os inſolitis cibis ſtupebat: feris inuidere cœpimus. Ergo rabidi ſuper cadauera incubuimus, & clauſis oculis, quaſi viſus conſcientia acerbior eſſet, tota corpora morſibus conſumpſimus. *Quintilianus decl.* 12.

Dein adempta facultas aquandi omnibus circa ab hoſte inſeſſis: vt ex ipſo æſtuario hyemalibus pluuijs non nihil temperata ſalſugine, amaros latices & lutulentos haurire ſitis intoleranda compelleret. omnis denique commeatus tanta paulatim inopia premi cæpti, equis regijs, quos in fruſta diſſectos ſale condierunt, quamuis acurata diſpenſatione conſumptis: vt vulgo mures, & putria animalia pro cibo nautis ac militibus eſſent: quidam etiam detracta ſcrinijs coria cacabis vtcunque mollita commanducare niterentur. Inde vagari paſſim morbi, & ſqualentia tabe, ac macie corpora miſerandum in modum abſumi. *P. Maffeius hiſt. Ind. l.* 4.

Similis aliquando pernicies Conimbricenſem ciuitatē pene deleuit, laborabant homines, ſqualebant agri, ipſa tecta quodammodo mœrebant, nullum auxilium oſtendebatur aliunde, nulla medicina ægrotæ, ac prope deſperatæ ciuitati reperiebatur. Itaque ſpe ſalutis abiecta tenues præſertim (quanquã omnium ordinum erat hoc commune malum) exibant in agrum, ſtirpes colligebant, alij iumenta mactabant, alij mures, & huiuſmodi ſordes venabantur, & his miſeri perdidique famem tolerabant. tandem his

etiam

etiam conſumptis vita in pœna, mors in lucro ponebatur, concurſare pueri totam vrbem, parentes appellare, opem flebili voce petere: illi ne ſuos liberos fame cruciatos, intereuntesque videre cogerentur, erepto pene ex ore cibo, ſi quis erat, niſi miſeri moriebantur. matres paruos complexæ filios obire domos omnium cum miſerabili vociferatione atque fletu, ſanctorum atque hominum fidem obteſtantes. pallebant ora, facies obſolebat illuuie, defloruerat ille natura diffuſus color, totum corpus ſine ſucco, ſine ſanguine miſerandum in modum extabuerat.

*P. Perpinanus orat. 2. de S. Eliſab.*

Accedebat vltima fames, telum quo nullum eſt in bello crudelius, quia ſimul ignauè, & atrociter perimit. Iam commeatus omnis erat abſumptus, herbarũ fibris ſolati erant inediam: radices in hortis, mures in tutis cæſis domorum, canum equorumque morticina defecerant in ſtabulis; frixum elixumque atro iure corium, & maceratas ocreas deuorauerant; letales venenorum ſuccos in cibum verterant; in delicijs erat cicuta; auro toxica vendebantur; citra pretium erat, quod citra horrorem dici non poteſt; difficilius erat viuere quam perire: & in funeſto illo mortis vitæque confinio, nec viuere licebat, nec mori. Nihil tam præſens quàm fatum, nihil tam remotum erat: longa tabe longiora crimina multabantur: vita trahebatur ambage malorum, & multiplicatis funeribus multiplicabatur in pœnam; mors denique cum vita conſenſerat, illa vt votum, hæc vt ſupplicium fieret. Tam miſerè hæretici viuunt, tam ægrè rebelles intereunt. Reptabant in compitis homines ſtrigoſi, macilenti, capulares, ſine carne pelles, exanguia ſilicernia, tenues vmbræ imitationesque viuorum, pallida mortis exordia, inanes corporum folles, oſſium male congeſta compago. continuati oſſibus nerui, vacui ventres, & queruli; viri non iam viri, ſed ferales hominum laruæ. male ominoſus erat occurſus ciuium, creſcebat mutuo aſpectu calamitas; dum quiſque legit exaratam in alterius fronte capitis ſui ſententiam, & tanquam in mortis ſpeculo imminentis funeris imaginem intuetur: alter alteri mæſtum diuinæ vltionis fiebat exemplum. Se morti occurriſſe putabat, qui in fratrem inciderat. Omnes longa ma-

cie torridi videbantur. mutati reorum vultus, cadaueroſæ frontes, recedentes oculi conſutæ genæ, ie iuna labia, otioſi dentes, & longi, ſubductum mentum, hiantes fauces & aridæ. Digni erant tali ieiunio ieiunantium irriſores. Quid plura? vel ipſa mors viſa eſt laboraſſe fame, ita ventre inſaturabili omnes helluabatur in vrbe: funeribus funera cumulabantur: mors deſierat eſſe terrori ciuibus, quam vſu quotidiano, domeſticaque conſuetud ne familiarem habebant. Præterea dicebatur receptos Anglos eo veniſſe furoris, vt vel cruentis hominum artubus paſcerentur: ferales neſcio quas matres, quo effuderant vtero eodem filios recepiſſe: alios corpus ſuum aluiſſe minuendo: inuentum eſſe puerum, qui famem crudis demortui fratris carnibus ſatiaret: ſalita eſſe diſtractorum quorundam militum membra, ſimiliaque voracitatis portenta occultè memorabantur. Rupella denique in carnarium verſa erat: veros Tydeos, & Menalippos, renouatas Buſiridis aras, furioſaque Diomedis præſepia videbamus. Nulla in vrbe ſalus, quot ciues, tot ſandapilarij, tot Maſſagetum popæ, tot carniuori Cyclopes, tot eſſe funeſti carnifices credebantur.

*P. Steph. Petiot in Paneg. Ludou. XIII.*

## *Exercitus fame laborans.*

CAmbyſes fremebat, & non prouiſis commeatibus, non exploratis itineribus per inuia, per arentia trahebat omnem bello vtilem turbam: cui intra primum iter deerant neceſſaria, nec quicquam ſubminiſtrabat ſterilis, & inculta, hominique ignota regio. Suſtinebant famem primò tenerrima frondiū, & cacumina arborum, tum coria igne mollita, & quicquid neceſſitas cibum fecerat. Poſtquam inter arenas radices quoque & herbæ defecerant, apparuitque inops etiam animalium ſolitudo, decimū quemque ſortiti alimentum habuerunt fame ſæuius.

*Seneca lib. 3. de Ira c. 20.*

*Vide Q. Curtium lib. 7. & lib. 9.*

## *Exercitus ſiti deficiens.*

Aquarum penuria prius deſperatione, quàm deſiderio bibendi ſitim accendit. Per quadringenta ſtadia ne modicus quidem humor exiſtit. Arenas vapor æſtiui Solis accendit: quæ vbi flagrare cœperunt, haud ſecus quam continenti incendio cuncta torrentur. Caligo deinde immodico terræ feruore excitata lucem tegit: camporumque non alia, quam vaſti, & profundi æquoris ſpecies eſt. Nocturnum iter tolerabile videbatur, quia rore, & matutino frigore corpora leuabantur; cæterum cum ipſa luce æſtus oritur, omnemque naturalem abſorbet humorem ſiccitas, ora viſceraque penitus vruntur. Itaque primum animi, deinde corpora deficere cœperunt. Pigebat, & conſiſtere, & progredi. Pauci à peritis regionis admoniti præparauerant aquam. Hæc paulisper repreſſit ſitim. Deinde creſcente æſtu rurſum deſiderium humoris accenſum eſt. Ergo quicquid vini oleique erat, omnibus ingerebatur: tantaque dulcedo bibendi fuit, vt in poſterum ſitis non timeretur: Graues deinde auidè hauſto humore, non ſuſtinere arma, non ingredi poterant: & feliciores videbantur, quos aqua defecerat, cum ipſi ſine modo infuſam vomitu cogerentur egerere.

*Q. Curtius lib. 7.*

Sitis præcipuè fatigatos, & ſaucios exurebat, paſſimque omnibus vijs proſtrauerant corpora, præter fluentem aquam hianti ore captantes quam cum diu auidi turbidam hauſiſſent tendebantur extemplo præcordia premente limo: reſolutiſque, & torpentibus membris, cum ſuperueniſſet hoſtis, nouis vulneribus excitabantur. Quidam occupatis proximis riuis diuerterant longius vt quicquid occulti humoris vſquam manaret, exciperent. Nec vlla adeo auia, & ſicca lacuna erat, quæ veſtigantium ſitim falleret.

*Idem lib. 4.*

## *Paraſiti ſemper famelici.*

PArafiti famelica hominum natio, & frugibus conſumendis nata quam veris, ſuiſque expreſſi coloribus Plautinam in ſcenam veniunt? quaſi mures ſemper edunt alienum cibum, ſuo vero ſucco viuunt, tanquam cochleæ, ſi ros non cadit. vna illos alit, ac ſuſtinet ſpes cœnatica: nimirum hoc illi negocium vnicè curant, nihilque metuunt magis, quam Ne triſti domicænio laborent. idcirco tanquam vmbræ conſequuntur, tibique calceatis cum dentibus præſto ſunt. Nec propterea collatiuos hoſce ventres vnquam placaueris: oppleas tu illos licet, continuo tamen fame fauces lippiunt: ieiunos videbis tanquam inane dolium, bicongium, barathrum. Vſque adeo ſemper adhæret ad imum ventrem fames, & edilitatem perpetuam ſine populi ſuffragio gerunt.

*P. Famianus l. 3. prol. 3.*

# CIBATVS, ET POTVS.

## *Lac.*

CVm apud rerum dominum ſolenni more ad prandéremus, & diuerſæ prouinciæ de ſuis delicijs laudarentur, ad vina Brutiorum, & Silani caſei ſuauitatem, currente, vt aſſolet ſermone, peruentum eſt: quod herbarum beneficio tanta ibi naturæ iucunditate conficitur, vt non credas deeſſe mellis guſtum, quem nulla conſpicis qualitate permixtum. Manat illic leuiter prouocatum lac vberibus fiſtuloſis, & quaſi in alios ventres naturæ vbertate collectum, non guttis impluit, ſed quibusdam repentinis torrentibus influeſcit. Redolet ſuauis, & varius odor herbarum: naribus agnoſcitur pecudum paſtus, qui flagrans virtute diuerſa, thuris ſentitur inſpirare ſimilia. Huic tanta pinguedo ſociatur, vt arbitreris ſimul decurrere palladium liquorem,

niſi

niſi quod ab illa praſina viriditate niueo candore diſcernitur. Tunc cadis latè patentibus copia illa mirabilis læto nimirum paſtore ſuſcepta, cum admixtione coaguli in calloſam cœperit teneritudinem condurari, ad pulcherrimum orbem forma perducitur: quæ ſubterraneis horreis aliquantulum congregata, diuturnam caſei facit eſſe ſubſtantiam.
*Caſſiodorus var. l.12.epiſt. 12.*

§ An quia ſpiritu multo,& calore exalbuit,non idem ſanguis eſt nunc in vberibus. qui in vtero fuit? nonne hac quoque in re ſolertia naturæ euidens eſt, quod poſtquam ſanguis ille opifex in penetralibus ſuis omne corpus hominis finxit, aduentante iam partus tempore in ſupernas ſe partes perfert, ad fouenda vitæ atque lucis rudimenta præſto eſt,& recens natis notum. & familiarem victum offert? Quamobrem non fruſtra creditum eſt, ſicuti valeat ad fingendas corporis atque animi ſimilitudines vis, & natura ſeminis, non ſecus ad eandem rem lactis quoque ingenia, & proprietates valere.
*Aul. Gellius Noct. Att. l.12. c.1.*

## *Panis.*

NVnc fermentum fit ex ipſa farina, quæ ſubigitur priuſquam addatur ſal, & ad pultis modum decocta,& relicta donec aceſcat Vulgo verò nec ſufferuefaciunt. ſed tantum pridie aſſeruata materia vtuntur;palamque natura eſt acore fermentari: ſicut, & validiora eſſe corpora, quæ fermentato pane alantur;quippe cum apud veteres ponderoſiſſimo cuique tritico præcipua ſalubritas perhibita ſit. Panis ipſius varia genera perſequi ſuperuacuum videtur: alias ab opſonijs appellari, vt oſtrearij: alias à delicijs, vt artolagani: alias à feſtinatione,vt ſpeutici: necnon à coquendi ratione, vt furnacei, vel artoptitij: non pridem etiam è Parthis inuecto, quem aquaticum vocant, quoniam aqua trahitur, tenuem, & ſpongioſa inanitate. Summa laus ſiliginis bonitate, & cribri raritate conſtat. Quidam, & ouis aut lacte ſubigunt.Butyro verò gentes iam pacatæ ad operis piſtorij genera tranſeunt cura. *Plin. hiſt.nat.l.18.c.11.*

Hoc aliquis ſecutus exemplar, lapidem aſperum aſpero impoſuit ad ſimilitudinem dentium, quorum pars immobilis motum alterius expectat. Deinde vtriuſque attritu grana franguntur, & ſæpius regeruntur, donec ad minutiam frequenter trita redigantur. tunc farinam aqua ſparſit, & aſſidua tractatione perdomuit, finxitque panem, quem primò cinis calidus,& ferueus teſta percoxit. Deinde furni paulatim reperti,& alia genera, quorum feruor ſeruiret arbitrio. *Seneca epiſt. 90.*

## *Placenta herbaria Genuenſis.*

VRbs eſt in Italia nobilis, & Iano propè vetuſtior ſuo: in qua ſcitiſſimè concinnatur placentulæ herbariæ quoddam genus, vt ſapore ſic nomine lepidiſſimum,ex iis quæ cœnis admoneri ſolent tanquã tragemata, appendices,& clauſulæ. Ergo reperti ſunt aliquando, qui quod etiam Romæ in publica hominum patria priuatam amarent, eiuſque ſaporem in hoc quoque deliciarum oceano mordicus retinerent, ea,ſibi non ſemel confici liba curauerint. Sed nugænatiui ſcilicet ingenio palati reſpondebat inſulsè condimentum: culpantur fruſtra coqui, materies in crimen reuocatur,omnia vitio dantur,præter quàm quæ dari opporteret. creſcebat interim cunctatione cupiditas, multiſque appetitum potius excitabat edulij fama,quàm fames. Quid plura? conducti ex ea regione Romam adueninnt coqui. nimirum Athenas noctuæ, tranſmiſſa cum coquis coquinaria ſupellex? aqua ipſa qua nihil eſt vbique communius, comportata: omnia vno verbo complementa farciminum, quotquot eius conditutæ conditio flagitaret inuecta. Conductitius coquorum regulus ſi quid habet patriæ virtutis in manus vocat, opus aggreditur. digerit, abſoluit. quid tum poſtea? bonus illæ conuiuij gladiator vbi deferbuit; denique domini gulam petijt, & vulnerauit.

*P. Guiniſius allec. 7.*

*Saccha-*

## *Saccharum.*

BRaſilia ſacchari præſertim eſt ferax, quod cæleſte donum Attico melli multis partibus præferendum, proceris arundinibus condidit natura: à quibus aquaria mola dulciſſimus humor expreſſus, in ahenis ad purum excoquitur; tum formis in panes cogitur ad metæ figuram: dein rurſus vbi libuerit eliquatus, artifici manu pigmentis, ad inſtar ceræ varias in effigies indiſcreta pene veri ſimilitudine trahitur. *P. Maffeius hiſt. Ind. l.2.*

## *Conuiuium.*

INuitatus ſum ad conuiuium, immo ad pontificiam, & adipalem cænam. At ego ad epulas primas ſatur, ſpectator potius, quàm conuiua fui. Credo gratum fore vel tibi, vel poſteris, ſi fercula quàm breuiſſimè deſcripſero: non vt Macrobius apud noſtros, nec vt apud Græcos Athenæus iuſtis voluminibus, ſed vt occupatus homo, & ad epiſtolæ menſuram. Primum aqua manibus data, non vt apud nos ſtantibus, ſed accumbentibus, vtiq; roſacea. Tum illati pugillares ex nucleis pineis, & ſaccharo paſtilli. Item placentæ nucleis, amygdalis, ſaccharo confectæ, quos vulgò martios panes vocamus. Secundum fertum, altiles aſparagi. Tertium, pulpulæ, ita enim popinæ appellant, & iecuſcula. Quartum, caro dorcadis toſta. Quintum, capitula iunicum, vitulorumue, vna cum pellibus elixa. Sextum, capi, gallinarum, columbarumque pulli, bubuleis comitati linguis, & petaſonibus, ac ſumine, omnibus elixis, addito Lymoniacæ pultario, ſic enim cupediarij Mediolanenſes vocant, quàm noſtri ſermiacam. Septimum, hœdus integer toſtus in ſingulas ſinguli capidas, cum iure, quod ex amaris ceraſis, ſiue, vt quidam malunt appellare, lauro ceraſis, cõdimenti vice fungitur. Octauum, turtures, perdices, phaſiani, coturnices, turdi, ficedulæ: & omnino plurimi generis auitia, molliter, & ſtudioſè toſta, Colymbades oliuæ condimenti

loco appoſitæ. Nonum,gallus, gallinaceus, ſaccharo incoctus, & aſpergine roſacea madefactus, ſingulis conuiuis ſinguli patinis argenteis, & vt cætera quoq; vaſcula. Decimum, porcellus integer toſtus, in ſingula ſinguli crateria iuſculento, quodam liquore perfuſi. Vndecimum, paui toſti, pro condimento leucopheon ius, imo ferrugineum è iocinoribus pittis, & aromate pretioſi generis, ad portionem, & ſymmetriam additum. Duodecimum, totius orbis ex ouo, lacte, ſaluia, polline ſacchareo, ſaluiatũ vocamus. Tertiumdecimum, ſtruthea cotonea ex ſaccharo. Quartumdecimum, cardus, pinea, icolymon, ſiue cynaram potius appellare conuenit. Quintumdecimum, à lotis manibus bellaria, & tragemata omnis generis ſaccharea. *Ex lib. Epiſt. Ang. Politiani l. 12. ep 42.*

Caput autem conuiuij pro temporis breuitate varium, ac multiplex eſt; melopepones, vuæ prodromi ficus, cruſtula lactis, orbiculi lactei, in panem recentem toſtumue interiecti, & ſaccharo perfuſi, amygdalæ nudatæ folliculis, cum vuis paſſis permixtæ, butyrum Flandricum, & horum ſimilia, quæ tempus anni fert, primæ habeantur menſæ, præponi ſolent. Miſſus deinde plures, & diuerſi, variè concinnati conditique: aues aſſæ plurimæ, perdices, pulli, intrituræ variæ, intritaque ſuauiſſima, capones inferti, porcelli Troiani auibus referti differentibus, pernæ arietinæ, aſſæ, conſciſſæ illarum, & diuerſi generis carnes. Præ omnibus pauones ſplendentes, & ad mandendum affecti: artocreata ex carne partim conſciſſa, partim columbinis pullis, partim alijs auibus inferta, incruſtata, deſſimili forma prædita, & Hiſpania, & Anglia, & Flandria, carnium multarum, & auium integrarum diuerſitate inferta. Quid dicam de edulijs alijs, & alijs omnibus tanta conditionum varietate concinnatis? Quæ ouorum luteis tota ſummitate, quaſi ſtellis diſtinctæ, & in medio maximè illuſtres nitebant, & ſplendebant mirificè: pernæ petaſonis in vino elixæ quantam ſuauitatem odoris exhalabant? nihil ad conuiuij apparatum, & magnificentiam, nihil ventres faliſci, nihil caro aprugna, nihil ceruina, nihil vitulina, nihil cuniculi ſplendoris habebant ad cibos nominatos, & ad alios, qui tacentur, propter multitudinem diuerſitatemque compa-

tati. Prætermitto intrituras: peruentum eſt ad ollam refertiſſimam gallinarum, vitulinæ, arietinæque carnis petaſonis pinguis, & macri, & intermixti. Quis ſcutulas ſinapis, aut petroſilinati ſalſas, iuſcula, ſalſamenta commemoret ad auiditatem excitandam in ferculorum multitudinem diuerſitatemque tantam. Illata ſuo tempore quæ ſequuntur: videres leucophagum, ſimilaginem, amylum, orizam, vermiculos. Cum verò ad vltimas menſas peruentum eſſet, nec quicquam aliud deſiderari, nec afferri poſſet præter fructus, & placentas, & tragemata, quorum copia redundarunt menſæ. Ecce ante iſtiuſmodi miſſus vltimos, mare miſceri terræ crederes, appoſita fuerunt ordine ſuo innumerabilia piſcium genera, imprimis lupus cum aceto, & capparibus, ſoleæ frixæ, lucij recentes, thinni aſſi, menæ recenter frixæ: cruſtulata deniq; in quibus inerant barbati, murenæ, & trutæ multis conditæ aromatibus, gobij, rixi, cammari, & cancri elixi: admixtæ ſcutellæ fuerunt cum piperato, crocato, quemadmodum ad aues ſuperiores aſſas, ad pullos, perdices, cuniculos, anaticulas: intinctus, ſeu embammata, acetum, omphaciũ, oxiphora, & ad ſingulos ferculorũ miſſus, mala medica limonia ſatis opportunè importata fuerunt. Quid dicam de menſis vltimis? Quid quid aridorum fructuum forum fructuarium: Quid quid dulcedinis forum dulciarium venale habebat, in menſas vltimas importatum; cupediæ, pyra, caſeus oleæ Hiſpalenſes, ſtriblitæ attolagana, teſtuacia, & ſartaginea, quæcunque tragemata, caryota denique ad ſtomacos, bucellatum, cydoniatum, coriandrum ſaccharo conditum. Ac ne quid deliciarum deeſſet, aquæ odoriferæ roſaceæ, flos mali medici, moſchati ad manus abluendas non abfuerunt, huic conuiuio lautiſſimo magnificentiſſimoque. Videres etiam, quæ commemorata ſunt fercula inferri admodum eleganter, & Aulicorum vſitato more, ritu elegantiaque politiſſima, ritibus, & cæremonijs omnibus, quibus Principes vtuntur. Aderant inſtructores ſtructoreſque multi promptì, agileſque adminiſtri, alacres, & erecti, parati ſſimi, celeres, & expediti, omnes tunicati, & capitibus apertis. Hi fercula inferre, alij expedire menſas, tollere, occurrere, deferre, quo videbantur, miniſtrare

inter epulas poſcentibus pocula vini veterrimi ſuaſ ſiſſimique. *P. de la Cerdà in Camp. Eloq.*

## *Luxus in epulis.*

Dij boni, quantum hominum vnus venter exercet. Quid tu illos boletos voluptarium venenum, nihil occulti operis iudicas facere, etiamſi præſentanei non fuerant? Quid tu illam æſtiuam niuem non putas callum iecinoribus obducere? Quid illa oſtrea inertiſſimam carnem, cœno ſaginatam, nihil exiſtimas limoſæ grauitatis inferre? Quid illud ſociorum garum, precioſam malorum piſcium ſaniem, non credis vrere ſalſa tabe præcordia? Quid illa purulenta, & quæ tantum non ab ipſo igne in os transferuntur, iudicas ſine noxa, in ipſis viſceribus extingui? Quam fœdi atque peſtilentes ructus ſunt, quantum faſtidium ſui exhalantibus crapula ventrem. Scias putreſcere ſumpta, non coqui. Memini fuiſſe quondam Æſopi nobilem patinam, in quam quicquid apud lautos ſolet diem ducere, properans in damnum ſuum popina congeſſerat: veneria, ſpondili, & oſtrea eatenus circumciſa, qua eduntur, interuenientibus diſtinguebantur echinis, torti, diſtracti ſine vllis oſſibus mulli conſtrauerunt. Piget eſſe ſingula, coguntur in vnum eſſe ſapores: In cœna fit, quod fieri debet ſaturo in ventre. Expecto iam vt manducata ponantur. Quantulo autem hoc minus eſt, teſtas excerpere atque oſſa, & dentium opera coquum fungi. Graue eſt luxuriari per ſingula omnia ſemel, & in eundem ſaporem verſa ponantur.
*Seneca epiſt. 95.*

Sed vel præcipuè luxuriæ, ſæuitiæque deditus, epulas, trifariam ſemper, interdum quadrifariam diſpertiebat: in ientacula & prandia; & cænas comeſſationeſque: facile omnibus ſufficiens, vomitandi conſuetudine. Indicebat autem aliud alij eadem die: nec cuiquam minus ſinguli apparatus quadrigenis millibus nummum conſtiterunt. Famoſiſſima ſuper cæteras fuit cæna ei data aduentitia à fratre: in qua duo millia lectiſſimorum piſcium, ſeptem auium appoſita traduntur. Hanc quoque exuperauit ipſe

dedica-

dedicatione patinæ, quam ob immenſam magnitudinem clypeum Mineruæ dictitabat. In hac ſacrorum iocinora, phaſianorum, & pauonum cerebella, linguas phœnicopterum, murænarum lactes à Carpathio vſque, fretoque Hiſpaniæ, per nauarcos, ac triremes petitarum commiſcuit. Vt autem homo non profundæ modo, ſed intempeſtiuæ quoque, ac ſordidæ gulæ ne in ſacrificio quidem vnquam, aut itinere vllo temperauit, quin inter altaria ibidem ſtatim viſcus, & farra pene rapta è foco manderet, circaque viarum popinas fumantia, obſonia, vel pridiana atque ſemeſa. *Suetonius in Vitellio cap. 13.*

In cœnas verò, dubiaque conuiuia, quam liberales, ac ſplendidi, planèque prodigialiter prodigi ſumus? Nimirum hoc quoq; deerat elementis rerum; vt tributaria fierent voluptatis; neq; enim neceſſitati vectigal ſoluitur, quod terrarum, quod marium, quod aeris defatigatione conficitur: tanto quærentium impendio, tantoque diſcrimine, vt ſemper hominum pericula cœnemus, interdum, & vitas: atque ipſo animarum pretio ſæpè litemus. At quantulam dæmum partem, ex tanto ciborum apparatu, vel ſtrenuiſſima conſumit ingluuies? Nempe non ad epulum, ſed ad ſpectaculum inuitamur: ecce tibi ad numerum, nec ſine palæſtra, & tanquam in triumpho, fercula deferuntur: dapes in menſam velut in orcheſtram prodeunt, abeuntque vti venerant, poſteaquam oculis diu ſeruierint: neq; enim fabula palato datur. Enimuerò hoc eſt non ad cœnam, ſed ad ſcenam accedere; qua ſæpè mutata denique venitur ad cataſtrophem, & bellaria, hæc eſt integra, non rarò Vrbium tributa. Nam eo quidem nomine Romanos veteres, ingentes illos gulæ proceres, ſuperauimus. Saccharon vt alia omittam, aduectũ ex India parciſſime illi quidem, nec niſi in medicamentis adhibuere: nos verò liberalius, & ad delicias abutendo; venenum fecimus. Quantam enim cœnæ partem occupat condimentarum hoc ciborum elementum? præterea ex eo ſigilla, velut anteſignani quidam in menſa, menſæ ipſæ, mappæ, ſalina, candelabra, patinæ quàm diuerſos in vſus quæſitum inſtrumentum? ipſi propemodum diſcurrentes pueri ſacchareі ſunt.

*P. Guiniſius alloc. 5.*

O vbi mens noſtra? vix palmari ſtomacho ingentia fumant fumibula, feruent tripedales aheni, Babyloniæ calent fornaces, immanes æſtuant ignes, ſuperſtant fercula ferculis laſſatis menſis. Seruorum, ancillarum, coquorum ſudat exercitus: natant penuaria vino, fatiſcunt horrea frumento. Et ego credam vnum ventrem, cui plurimarum non rarò gentium conducuntur vina? cui in Hiſpania, Italia, Germania, Gallia. & qua ſe latiſſime Occidens, Orienſque iactat, ſonant calculi, ſcinduntur maria, ſeritur terra. Ac ne quid deſit luxui, tot piſcium monſtra, tot auium ferarumque genera, tot condimentorum proritamenta non explent oculos, niſi æmuli naturæ quid quid flumina, maria, aera, terrarumque omnia fami ſaturandæ benigna dederunt manu, ludat in Sacchario: imò niſi non iam piſces, aues, feræ, ſed ſaccharum ſint, mentita genus ſuum, nihil egeris natant proinde tanquam in ſacchareo Oceano piſces, procumbunt tanquam inter ſaccharea paſcua, & nemora Sacchareæ feræ, minantur volatum Sacchareæ aues. Quid. quòd caſtra, & propugnacula ſolido fabricata ſaccharo inferantur menſis cum propugnantium, oppugnantiumque manu? Vtrinque ſacchareæ minæ, tormenta ſaccharum vomentia, haſtæ, & plutei Enſes, & Sacchareа iacula, & ferrum nuſquam, & ſanguis nullus. Venationes deinde regiæ vni incumbunt menſæ. Sacchareos Leones, Apros, Ceruos, Lepores, Sacchareі inſectantur carnes ſaccharea cingunt retia. tegunt ſacchareæ ſiluæ potant ſaccharea flumina. iam quæ veteribus marmoreæ ſtatuæ, ſacchareę nobis ſunt. amantium iras, & blanditias, indignantium fremitus, & minas ſaccharum mentitur. nimirum vt comedant oculi intueantur ora. quo hæc tam fatua æmulatio? ſed & ne quid deſit naribus, perflantur menſæ odoribus ex vltima Arabia deportatis, vt in his ad plenum luxuriæ parentetur.

*P. Scribanius in Philoſ. Chriſt. cap. 9*

Conuiuium

## *Conuiuium, & modus comedendi apud Iaponios.*

MVnditiarum apud eos haud minor, quam apud Sinas cura. Paxillulis item ipſi duobus inter edendum ita ſcienter vtuntur, vti neque excidat quicquam, nec digitorum terſum opus ſit. cænatio-nem intrant excalceati, ne cataſtromata calcando coinquinent. tenuiores, ad mare præſertim, victitant herbis, oryza, piſce: diuites, ad conſuetudinem Sinarum, ornant ſplendidè, atque apparatè conuiuium. in ſingula fercula, ſine linteis, aut mappis mutatur ſua cuiq; conuiuæ menſa è cedro pinuue, palmi fere altitudine, binum dodrantium quadro. nitidiſſima, lectiſſimiſque diſtincta coloribus. cibi confecti, in Pyramidem extruuntur, auro conſperſi, cupreſſinis ramulis ad gratiã prominentibus, nonnunquã etiam, roſtro pedibuſque inauratis aues integræ nobilibus patinis inferuntur. Hoſpitem, & conuiuam hilarè, ac libenter accipiunt. conuiuandi, ac propinandi multas habent leges cum ritibus exquiſitis: haſce cuncti diligenter obſeruant. Vſum vitis ignorant. Oryza exprimunt vinum: ſed ipſi quoque ante omnia delectantur hauſtibus aquæ pene feruentis, inſperſo, quem ſupra diximus puluere Chia.
*P. Maffeius hiſt. Ind. lib. 12.*

## *Modus epulandi Sinarum.*

COnuiuiorum autem ratio eſt talis. Inuitantur multi: propria ſingulis menſa, aut ſummum binis, apponitur ex ligno ad inſtar ebeni ſplendidiſſimo, varijs ſylueſtrium maximè rerum figuris, ac certis linearum ductibus (quo in genere Sinæ admodum excellunt) capreolatim ex argento, vel auro diſcurrentibus. Ea pictura nitorque pro mappa eſt. Serica frontalia dein ad humum vſque dependent. Conuiuæ fucatis conſident cathedris, præmolli, vt apud nos culcitra ad gratiorem quietem obductis. Inde

Inde elegantiſſimi primum can-ſtri ſertis redimiti onuſti baccis pomiſue, toto margine diſponuntur. Intra id veluti ſeptum, admirabili ſtructura cæteræ exſurgunt dapes. cumque ſagina omnis generis ferina æquè, ac domeſtica & piſcibus, oſtreiſque & cunctis fermè illecebris, & condimentis abundent, Suilla tamen præcipuè caro ſummorum pariter, & infimorum expetitur menſis neque ex alio vllo animali copioſior ganea. Cibos digitis attrectare (vt ſunt vulgo mundi:iarum diligentiſſimi) ruſticitatis putant. bracteatis paxillis, vel argenteis, aureiſue fuſcinulis, conciſa minutim fruſta in os inſerunt. Exiguis pocu lis crebro hauſtu ſedant ſitim: & magno cum honore verborum mutuo ſibi propinant. Miro interim ſilentio, atque ordine lances ab atrienſibus inferuntur: & in ſingula fercula menſæ inſtrumentum omne mutatur. P. *Maffeius hiſt. Indic. lib. 6.*

## *Modus quo cibus ſumitur, coquitur, & diffunditur.*

NAm quum tribus rebus animantium vita teneatur, cibo, potione, ſpiritu, ad hæc omnia percipienda os eſt aptiſſimum, quod adiunctis naribus ſpiritu augetur. Dentibus autem in ore conſtructis manditur, atque ab his extenuatur, & molitur cibus. Eorum aduerſi acuti morſu diuidunt eſcas, intimi autem conficiunt, qui Genuini vocantur: quæ confectio etiam à lingua adiuuari videtur. Linguam autem ad radices eius hærens excipit ſtomachus, quo primum illabuntur ea, quæ accepta ſunt: oris vtraque ex parte tonſillas attingens, palato extremo, atque intimo terminatur. Atque is agitatione, & motibus linguæ cuum depulſum, & quaſi detruſum cibum accepit, depellit. Ipſius autem partes eæ, quæ ſunt infra id, quod deuoratur, dilatantur: Quæ autem ſupra, contrahuntur. Sed quum aſpera arteria (ſic enim à medicis appellatur) oſtium habeat adiunctum linguæ radicibus, paulo ſupra quam ad linguam ſtomachus annectitur, eaque ad pulmones vſque pertineat, excipiatque animam, eam quæ ducta ſit ſpiritu,

ſpiritu, eandemque à pulmonibus reſpiret,& reddat, tegitur, quodam quaſi operculo. Quod ob quam cauſam datum eſt? ne ſiquid in eam cibi forte incidiſſet, ſpiritus impediretur. Sed quum alui natura ſubiecta ſtomacho, cibi,& potionis ſit receptaculũ, pulmones autem, & cor extrinſecus ſpiritum ducant, in aluo multa ſunt mirabiliter effecta, quæ conſtant ferè è neruis. Eſt autem multiplex,& tortuoſa, arcetque,& continet ſiue illud aridum eſt, ſiue humidum, quod recipit vt id mutari, & concoqui poſſit; eaque tum aſtringitur, tum relaxatur: atque omne, quod accipit, cogit,& confundit, vt facilè,& calore, quem multum habet exterendo cibo,& præterea ſpiritu omnia coacta atque confecta in reliquum corpus diuidantur. *Cicero lib.2.de nat. Deor.*

# VALETVDO, MORBI.

INde pallor,& neruorum vino madentium tremor, & miſerabilior ex cruditatibus, quã ex fame macies. Inde incerti labantium pedes, & ſemper qualis in ipſa ebrietate titubatio. Inde in totam cutem humor admiſſus, diſtentusque venter, dum malè aſſueſcit plus capere quam poterat. Inde ſuffuſio luridæ bilis,& decolor vultus, tabeſque in ſe putreſcentium, & retorti digiti articulis obrigeſcentibus, neruorum ſine ſenſu iacentium torpor, aut palpitatio corporum ſine intermiſſione vibrantiũ. Quid capitis vertigines dicam? Quid oculorum auriumque tormenta, & cerebri æſtuantis verminationes, & omnia per quæ exoneramur internis vlceribus affecta? innumerabilia præterea febrium genera, aliarum impetu ſubeuntium, aliarum tenui peſte repentium. aliarum cum horrore, & multa membrorum quaſſatione venientium?. Quid alios referam innumerabiles morbos, ſupplicia luxuriæ? Immunes erant ab iſtis malis, qui nondum ſe delicijs ſoluerant, qui ſibi imperabant, ſibi miniſtrabant. *Seneca epiſt. 96.*

Incertum, ac fragile nimirum eſt hoc munus naturæ, quicquid datur nobis: malignum verò,& breue etiam in ijs, quibus largiſſimè contingit, vniuerſum

vitique æui tempus intuentibus. Quid quod æſtimationæ nocturnæ quietis, dimidio quiſque ſpatio vitæ ſuæ viuit? pars æqua morti ſimilis exigitur, aut pœnæ, niſi contigit quies. Nec reputantur infantiæ anni, qui ſenſu carent, non ſenectæ in pænam viuacis. Tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ toties inuocata morte, vt nullum frequentius ſit votum. Natura verò nihil hominibus breuitate vitæ præſtitit melius. Hebeſcunt ſenſus, membra torpent, præmoritur viſus, auditus, inceſſus, dentes etiam, ac ciborum inſtrumenta: & tamen vitæ hoc tempus annumeratur. Ergo pro miraculo, & id ſolitarium reperitur exemplum, Xenophilum Muſicum centū, & quinque annis vixiſſe ſine vllo corporis incommodo. At hercule reliquis omnibus per ſingulas membrorum partes, qualiter nullis alijs animalibus certis peſtifer calor remeat horis, aut rigor, neque horis modò, ſed etiam diebus, noctibuſque trinis, quadriniſque, etiam anno toto. Atque etiam morbus eſt aliquis per ſapientiam mori.

*Plinius hiſt. nat l. 7. c. 50.*

Non enim ego probauerim Aegyptios, apud quos tanta, & tam putida medicinæ diſtributio fuit, vt ſingulis morbis ſingulos medicos deſignatos haberent: ita prorſus, vt alij vertiginem in capite curarent, alij delacrymationem, & lippitudinem in oculis, alij tinnitum in auribus, & ſurditatem, alij grauedinem, & diſtillationem in naribus, alij ſtuporem in dentibus, alij vuam in faucibus, alij anginam in tonſillis, alij lentiginem in facie, allij impetiginem in cute, alij ſtrumas in ceruice, alij ſanguinis reiectionem in pectore, alij lumbaginem in renibus, alij timpanitim in ventre, alij lienteriam in inteſtinis.

*P. Targ. Gallut. to. 1. orat. 3.*

## *Homo ægrotans.*

Itaque veſte depoſita deſcendit in flumen, vixque ingreſſi ſubito horrore artus rigere cœperunt: pallor deinde ſuffuſus eſt, & totum propemodum corpus vitalis calor reliquit. expiranti ſimilem miniſtri manu excipiunt, nec ſatis compotem mentis

in

in tabernaculũ deferunt. Inter hæc liberius meare ſpiritus cœperat: alleuabat rex oculos, & paulatim redeunte animo circumſtantes amicos agnouerat, laxataque vis morbi ad hoc ſolum videbatur, quia magnitudinem mali ſentiebat.

*Q. Curtius lib. 3.*

Quos cruciatus compares, quem dolorem, cum penitus viſceribus immiſſa tabes quotidie aliquid ex homine præmittit in mortem? cum cibos, hauſtus, & omnia blandimenta vitæ fames faſtidit. & poſcit? deſiderare aſſidentium officia, dehinc fere non poſſe? grauari quos appetieris, attactus? per totum cubile corpus velut ſuper ardentes exagitare flammas? lux fatigatis luminibus grauis, vox ſola de gemitu. Quis illi inter complorationes gemitusque ſomnus, quem vix ſilentia ſollicita præſtarent? Ad quæ colloquia triſtititia reſpiraret?

*Quintilianus decl 5.*

Cum ſtomacho grauiſſimè laboraret aliquando, ex nimio videlicet hepatis calore, adhibitus medicus, quo domus eo tempore vtebatur adoleſcente non peritiſſimo; frigidæ corporis conſtitutioni cauſam illico tribuit. nec mora. quicquid excogitare potuit ad corpus, & præcordia calefacienda præſcripſit. Ac primum feneſtras foreſque cubiculi, ne quid afflare auræ obſerari diligenter iuſſit; deinde languentem multa ſub veſte continere ſeſe; poſtremò quàm calidiſſimo cibatu, & exiguo mero, ſed quam auſteriſſimo refici, quæ omnia ignatius licet ſibi non leuibus argumẽtis minimè accomodata ſentiret, ac Medicum ipſum, nec litteratiſſimum, neque exercitatiſſimum ſciret eſſe; tamen ne cum extremo quidem vitæ periculo contra eius edicta, nihil vnquam effatus eſt. Aeſtas erat sũma: calores vt in Vrbe maximi: ingenti ſtromatum pondere premebatur ignatius: manabat è membris omnibus tanta ſudoris copia, vt culcitræ, ac veſtes maderent; ac nihilominus ex præcepto ſe intra calida fomenta cohibebat ægrotus. ardebat ſiti, nihil omnino poſcebat; diſcruciabatur doloribus acerbiſſimis, nullam edebat vocem: linquebatur animo interdum, neque tamen ſignificabat: denique peruerſa curatione eo adductus eſt, vt cum vltimum ſibi diſcrimen adeſſe intelli-

intelligeret, Societatis adminiſtratione Patribus delegata, aditu cubiculi domeſticos prohiberet omnes, vno excepto valetudinarij curatore: atque id demum extitit ſignum, deſperata iam valetudine ſe ad vitæ excitum comparantis.
*P. Maffeius in Vita S. Ignatij l. 3. c. 7.*

Luſitanus igitur quidam talem virum miſerè febri æſtuantem, iacentemque in publico conſpicatus, miſericordiaque captus, ex templo eum benignè inuitat hoſpitio; ac domum ſuam (ea erat deſerto in colle caſa verius quam domus) deductum pro rerum inopia liberaliter tractatum eius ſaluti conſulens rogat, atque obſecrat, vt incidi ſibi patiatur venam. Et Xauerius quanquam non ignarus quales tandem medicos deſerta haberet inſula, ſanguinem miſit non ſine ſpaſmis, ac diſtentione neruorum. Dolorem corporis ſubſecutum eſt faſtidium ciborum omnium; quanquam cibi nulli ægrotis ſuppetebant, præter paucas amygdalas. Biduo iam inedia traducto, cum morbus magis magiſque ingraueſceret, magis etiam Franciſci patientia, ac virtus enituit. Humanis ſubſidijs omnibus deſtitutus, inita iam hieme, in tugurio ventis, atque imbribus peruio iacebat, maximoque peſtiferæ febris iactabatur æſtu.
*P. Turſellin. in Vita S. Xauer. l. 5 c. 11.*

Laborauerat igitur circiter menſes duos Laurentius Medices è doloribus ijs, qui quoniam viſcerum cartilagini inhæreant, ex argumento Hypochondrij appellantur. Hi tametſi neminem ſua quidem vi iugulant, quoniam tamen acutiſſimi ſunt, etiam iure moleſtiſſimi perhibentur. Sed enim in Laurentio fato ne dixerim, an inſcitia incuriaq; medentium id euenit, vt dum curatio doloribus adhibetur, febris vna omnium inſidioſiſſima contracta ſit; quæ ſenſim illapſa, non quidem in arterias, aut venas, ſicuti cæteræ ſolent, ſed in artus, in viſcera, in neruos, in oſſa quoq; & medullas incubuerit. Ea verò quod ſubtiliter, ac latenter, quaſique lenibus veſtigijs irrepſerat, parum primò animaduerſa: dein verò cum ſatis magnam ſui ſignificationem dediſſet, non tamen pro eo, ac debuit diligenter curata, ſic hominem debilitauerat, vt non viribus modo, ſed corpore etiam pene omni amiſſo, & conſumpto diſtabeſceret. Quare pridie,

quam

quàm naturæ ſatisfaceret, ita repente concidit totus nullam vt iam ſuæ ſalutis ſpem reliquam oſtenderet.
*Ang. Politian. lib. 4. epiſt. 2.*

Et apparuerat ægritudo primum non pro eo, quam erat perículoſa; paucis tamen diebus continuata in lethalem euaſit. Interea adeſſe medici, & ægro pharmaca, quæque alia tempus monebat, properare. Ea ómia tametſi inſuauia, & aduerſa refugiente ſenſu fortiter per hauriebat; nulla in re, quam imperaſſent, moroſus Sed morbus remedio maior ſpem, opemq; Medicorum expugnauit. ægritudine enim in dies horaſque augente, procubuere ad extremum vires, & quicquid reſiduum vitæ naturæque erat, defluxit. Properantur ergò vltima remediorum, & Antonius ex Chriſtiano ritu inungitur, vt in lucta fatali cum hoſte iam ante toties victo ſupremum congrediatur. In eo apparatu quantû corpori languoris, tantum ex animo robur ſuppetebat. Ad hunc modum traducta fere nox auroræ diluculum expectabat: cum crebris interim mutationibus æger quatiebatur; prope vt exſpiraſſe aliquando; aliquando præter ſpem valeſceret; at que itérum repente inter manus deficere videretur.
*P. Bidermanus in Vita Ant. M. Vbald.*

## Homo moribundus.

Conijcite ſi placet triſtes oculos in thorum funebrem: vnde præcipuos naſci luctus auditis Solus ſpectari dignus eſt, qui ſpectare neminem amplius poteſt in lecto depoſitus Aetate. niſi cani fallunt aciem, pene centenarius eſt, pedes marmore gelidiores exiſtimo, manus certè niuem, vt colore, ſic frigore non male referunt; oculi frequenter in orbem conuerſi turbidiores apparent: vt extinctus eſt ille pupillarum vigor? vt naſus ipſe iam longior ſenſim acumen trahit, & pallorem? vt genatum rubor abijt? vt labra contracta tremiſcunt? auditus non modo difficilis vt olim, ſed propè nullus. Arteriæ, ſi bonus illam examinaueris, tam frigidum pulſum ſenties, quam lapidis. vnicus ad cor ſuperat ſpiritus, & ille tam lentus, vt ſummas vix fauces attingat, ac

diducto

diductoiam ore eſt, vt cum paulò violentius natura deficiens ſe commouerit, extremis iam labris illum emittat. En cernitis vt repente ad gutturis anguſtias eruperit? vt paulatim ſingulciente, & luctante animo morti vicinus ſit? Age verò nega moriturum. *Ex Palatio Eloq. exer. 2. lect. 12. pun. 8.*

## *Tabido morbo confectus.*

IN quodam noſocomio inter alios morboſos, ac tabidos, vnus erat venerea lue infectus adeo atque corruptus, vt naturam puderet hominis, medicos tæderet artis, famulos pigeret officij. Vidiſſes exangue ſupremaque confectum macie corpus: oculos ſuas contruſos in cauernas: os cloacæ ſpiraculum: faciem acri, atque igneo ſerpente humore corroſam, ac populatam: expilatum fœdiſſimè caput. Vidiſſes diſſluentem vndique ſaniem: dehiſcentes in fruſta marcidas carnes eiecto vermium grege. Quid memorem teſſellatam puſtulis cutem? quid formicantem ſcabiem vngui operoſo heram importunam, cruſtaſque immanes tabo vermiculatas? quid oſſa ſuis exuta cæmentis? quid torpentibus membris truncum immobilem? quid euolutas è iacentis ſordibus albicantes animalculorum legiones, nec non exhalatos odoris grauiſſimi nimbos, ad leuandum ſcilicet ignoto Sabeis thure faſtidium. Illum dixiſſes peccati piaculum, illum pœnarum ſedem, illum non hominem, ſed humanæ figuræ veſtigium. aberat corpus à corpore. dixiſſes denique non cadauer, ſed ſepulcrum. *P. Remondus or. paneg. 16.*

## *Podagra.*

ABſit enim vt bellicoſiſſimum virum tyrannis grauiſſimæ calamitatis exarmet, quæ miro modo membra virentia infuſione pœnalis humoris cogit areſcere, nodoſque mobiles replet marmoreo tumore creſcentes, cum norit alia cuncta vacuare iuncturæ. Petit concauas lacunas vbi paluſtri ſtatione pigreſcens, ſaxa perficit de liquore, & quæ ad decorem

decorē inflexionis natura laxanerat,in turpiſſimum rigorem ſoliditate peregrina conſtringit. Hæc paſſio inſanabilis,& ſanitas paſſibilis ligat ſolutos, contrahit neruos, & decreſcere facit corpora, quæ nulla ſunt mutilatione truncata. Conſtantibus membris proceritatis menſura perit, & minor cernitur, cui nihil ſubductum eſſe ſentitur. Subtrahuntur ſuperſtiti miniſteria membrorum: corpus viuum eſt,nec mouetur, & intra ſenſibilia redactum iam non proprio voto, ſed motu fertur alieno. Hæc viua mors ſupra omnia tormenta ſana dicitur: & melius habere fertur, qui euaſiſſe cauſas tanti periculi non probatur. Deſerit quidem dolor, ſed dimittit reliquias fortiores. & nouo infelicitatis exemplo paſſio videtur abſcedere, & æger non deſinit ægrotare. Appendia ipſa cruciatis debitoribus aliquando ſoluuntur: iſta autem vincula ſunt, quæ cum ſemel potuerint illigare captum,neſciunt in tota vita diſſoluere. Infelicia ſigna relinquit abſcedens, & more gentium barbararum hoſpitium corporis occupatum ſuis indicijs violenta defendit: vbi ferox illa cœpit ſuccedere,aduerſa illuc iterum ſanitas audeat fortaſſis intrare. *Caſſiodorus lib.10.var.epiſt.29.*

## *Morbus comitialis.*

QVi comitiali vitio ſolent corripi, iam aduentare valetudinem intelligunt, ſi calor ſumma deſeruit,& incertum lumen neruorumque trepidatio eſt, ſi memoria ſublabitur, caputq; verſatur. Solitis itaque remedijs incipientem caſum occupant, & odore guſtuque quicquid eſt, quod alienat animos repellitur: aut fomentis contra frigus rigoremque pugnatur: aut ſi parum medicina profecit, vitauerunt turbam,& ſine teſte ceciderunt. *Seneca l.3.de ira c.10.*

## *Vitia corporis ſiue deformatio.*

HVic cæci innitentes baculis vagantur,huic truncabrachia circumferuntur, huic conuulſi pedum

dum articuli ſunt,& torti tali; huic eliſa crura, illius inuiolatis pedibus, cruribuſque fœmina contudit: aliter in quemque ſæuiens oſſifragus iſte alterius brachia amputat,alterius eneruat: alium diſtorquet, alium delumbat: alterius diminutas ſcapulas in deforme tuber extundit, & riſum in crudelitate captat. Produc agedum familiam ſemiuiuam, tremulam, debilem, cæcam, mancam, famelicam; oſtende nobis captiuos tuos. Volo mehercules noſſe illum ſpecum tuum, illam humanarum calamitatum officinam, illud infantium ſpoliariū: ſua cuique calamitas tanquam ars aſſignatur. Huic recta membra ſunt, & ſi nemo obſtet naturæ, proceritas mutabitur; ita frangatur, vt humo ſe alleuare non poſſit, ſed pedum crurumque reſolutis vertebris reptet: huic ſpecioſa facies eſt, poteſt formoſus mendicus eſſe, reliqua mēbra inualida ſint, vt fortunę iniquitas in beneficia ſua ſæuientis magis hominum animos percellat. Sine ſatellitibus tyrannus calamitates humanas diſpenſat. *Seneca l. 10. controu. 4.*

*Morbos fere omnes deſcribit Corn. Celſus l. 3. & 4.*
*P. Pontanus vol. 3. par. 2. progymn. 47.*
*P. Melch. de la Cerda in Campo Eloq. vol. 1. Tit. Morbi.*

# PESTILENTIA, VENENVM, VENEFICIVM.

## *Peſtis.*

GRaue tempus,& forte annus peſtilens erat vrbi agriſq; nec hominibus magis, quam pecori. & auxere vim morbi terrore populationis pecoribus, agreſtibuſque in vrbem acceptis. ea colluuio miſtorum omnis generis animantium, & odore inſolito vrbanos, & agreſtem confertum in arcta tecta æſtu, ac vigilijs angebat, miniſteriaque inuicem, ac contagio ipſa vulgabant morbos. Mortuus Ebutius erat

Rom.

Rom. Conſul, collega eius Seruilius exigua in ſpe trahebat animam: affecti pleraque principum, Patrum maior pars, militaris fere ætas omnis, vt non modo ad expeditiones, quas in tanto tumultu res poſcebat, ſed vix ad quietas ſtationes viribus ſufficerent. munus vigiliarum venatores, qui per ætatem, ac valetudinem poterant, per ſe ipſi obibant: circuitio, ac cura ædilium plebis erat: ad eos ſumma rerum, ac maieſtas conſularis imperij venerat. Deſerta omnia ſine capite, ſine viribus, dij præſides, ac fortuna vrbis tutata eſt. Haud minor Romæ fit morbo ſtrages, quam quanta ferro ſociorum facta erat. Conſul qui vnus ſupererat moritur, mortui; & alij clari viri; & per ignota capita latè vagata eſt vis morbi.
*T. Liuius dec. 1.l.3.*

Delectus Conſulibus eo difficilior, erat quod peſtilentia, quæ priore anno in boues ingruerat, eo verteret in hominum morbos. qui inciderant, haud facile ſeptimum diem ſuperabant: qui ſuperauerant longinquo maximè quartanæ implicabantur morbo. Seruitia maximè moriebantur; eorum ſtrages per omnes vias inſepultorum erat. Ne liberorum quidem funeribus libitina ſufficiebat. Cadauera intacta à canibus, ac vulturibus tabes abſumebat; ſatiſq; conſtabat nec illo, nec priore anno in tanta ſtrage boum hominumque vulturium vſquam viſum. Cum peſtilentiæ finis non fieret, Senatus decreuit, vt Decemuiri libros Sibyllinos adirent. Ex decreto eorum diem vnum ſupplicatio fuit; & Q. Martio verba præeunte populus in foro votum concepit.
*T. Liuius dec. 5.l.1.*

## *Peſtilentia in Caſtris.*

Acceſſit, peſtilentia, commune malum: quod facile vtrorumque animos auerteret à belli conſilijs Nam tempore autumni, & locis natura grauibus, multo tamen magis extra vrbem, quàm in vrbe, intoleranda vis æſtus per vtraque caſtra omnium ferme corpora mouit; & primò temporis, ac loci vitio, & ægri erãt, & moriebãtur. Poſtea curatio ipſa, & contactus ægrorũ vulgabat morbos; vt aut neglecti

deſerti-

deſertique,qui incidiſſent morerentur;aut aſſidentes curanteſque eadem vi morbi repletos ſecum traherent: quotidianaque funera,& mors ob omnium oculos eſſet,& vndiq; dies noctesq; ploratus audirentur. Poſtremò ita aſſuetudine mali efferauerant an mos, vt non modo non lacrymis, iuſtoque comploratu proſequerentur mortuos,ſed nẽ efferent,quidem aut ſepelirent: iacerentque ſtrata exanima corpora in conſpectu ſimilem quoque mortem expectantium: mortuique ægros, ægri validos cum metu, tum tabe, ac peſtifero odore corporum conficerent:& vt ferro potius morerentur, quidam inuadebant ſoli hoſtium ſtationes. Multo tamen maior vis peſtis Pœnorum caſtra, quàm Romana diu circumſedendo Syracuſas. cæde aquiſque affecerat magis multi tamen ex Romano exercitu peſte abſumpti ſunt. *T. Liuius dec. 3 l. 5.*

Famem deinde peſtilentia ſecuta eſt: quippe inſalubrium ciborum noui ſucci,ad hoc itineris labor, & ægritudo animi vulgauerat morbos; & nec manere ſine clade, nec progredi poterabt. Manentes fames, progreſſos acrior peſtilentia vrgebat. Ergo ſtrati erant campi pene pluribus ſemiuiuis, quàm cadaueribus. Ac ne leuius,quidem ægri ſequi poterant: quippe agmen raptim agebatur; tantum ſingulis ad ſpem ſalutis ipſos proficere credentibus,quantum itineris feſtinando præriperent. Igitur qui defecerant notos,ignotoſq; vt alleuarentur,orabant. Sed nec iumenta erant, quibus excipi poſſent, & miles vix arma portabat, iminentiſque. etiam ipſis facies mali ante oculos erat. *Q. Curtius l. 9.*

## *Venenum.*

GEnuit tellus venena, ſed quis inuenit illa præter hominem? Cauere,ac refugere alitibus feriſq; ſatis eſt. Atque cum in arbores exacuant, limentque cornua elephanti, & ſaxo rhinocerotes, & vtroque apri dentium ſicas, ſciantque ad nocendum ſe præparare animalia:quod tamen eorum tela ſua excepto homine venenis tingit? Nos, & ſagittas vngimus, ac ferro ipſi nocentius aliquid damus. Nos, & flumina inſici.

inficimus, & rerum naturæ elementa. Ipſum quoque quo viuitur, aerem in perniciem vertimus. Neque eſt vt putemus ignorari ea ab animalibus, quæ quidem, quæ præpararent contra ſerpentium dimicationem, quæ poſt prælium ad medendum excogitarent, indicauimus. Nec ab vllo præter hominem veneno pugnatur alieno. *Plinius nat hiſt. l 18 c.1.*

Et ſicut ex ipſis quoque mortiferis mitiora ſunt, quæ ſtatim tota velocitate graſſantur, & dolorem inter exitum, vitamque non detinent; ita crudelius, quod ſic ordinatur, vt corporis parcat inuidiæ, & ſit tantum animi venenum. Quid ais? non eſt noxium virus niſi quod occidit? Quid ergo vocaremus illud quo lumina ſola raperentur? quo pars aliqua membrorum debilitate langueſceret? Dij immortales, quid ego hauſi? quale viſceribus virus ingeſtum eſt? Non fuit vnum illud venenum: bibi miſer execrationis, quicquid totius mortalitatis ira contulerat, quod erat omnium animalium furor, omnium ſerpentium congeſta rabies. fieri non poteſt, vt virus, tam impotens ſemel in viſcera receptum ſit, & in vnum tantum modo ſenſum, mandeturque quouſque dominetur. *Quintilianus decl. 14.*

Inter hæc anancæum poculum aderat; quod prior Olodemus de carnificis manu rapiens: Age, inquit, propinemus Meleandro. Nos quidem eximus miſerias, peius hunc noſtro fato oppreſſuri, quam viuentes voluiſſe exiſtimat. His dictis non cunctanter totum hauſit. Denuo impletum cum Euriſtheni porrigeretur, ſupercilium ille duxit; & circumſpiciens, ecquis, ait, amicos meos monebit Meleandro, quid debeant? Epoto veneno ambo à carnifice monentur, vt quo facilius virus conciperetur venis, minorique e ruciatu occumberent, quantum, carceris ſpatia ſinebant, ambulationem vigerent, donec tibijs grauibus ſentirent iam ab imo calorem excedere. Cum paruiſſent, frigentibus mox pedibus procumbunt in lectū. Illic veneni nebulis imitantibus ſomnum languebant ſine ſenſu; donec coxis iam exanimatis, tanquam ſtimulo icti, prodidere lethalem vim ipſa intrantem vitalia; nec multo poſt extincti ſunt.
*Barclaius Argen. l.2.*

## *Veneficium ſiue Venefica.*

VEneficum ſi arguas, oportet oſtendas putre liuoribus cadauer, inter efferentium manus fluens tabe corpus. Vt iam iſtud obijcere poſſit,& vita debet aliquid eſſe paſſa, quod inuidiam mortis imitetur. Veneficium voca, quod cæcitate graſſatur, quod in aliqua deprehenditur debilitate membrorũ. Profer agendum corporis notas, in quas ſe noxiæ potionis vagus feruor effuderit, vbi depaſta ſenectus viſceribus ſæuitura conſederit. Neſcis, mihi crede iuuenis,ſceleris,quod detuliſti, qualem mihi debeas probationem. Rem expecto mehercule, vt ſit ante omnia minax vultus, feralis habitus, horreant ſquallore crines, rigeat ſuper nefandas cogitationes efferata triſtitia. facinus quod dicitur inquietare ſuperos,ſidera diris agitare carminibus,tumulos, & buſta ſcrutari, & amputatis cadaueribus ipſas in ſcelus armare manus, fieri non poteſt, vt authorem ſuum non ſtatim primo prodat aſpectu.

*Quintilian. declam.* 15.

## *Lamia fœmina venefica.*

MIhi quidem etiam paruulo auia narrabat, eſſe aliquas in ſolitudinibus lamias, quæ plorantes glutirent pueros. Maxima tunc mihi formido lamia erat, maximum terriculum. Vicinus quoque adhuc feſulano ruſculo meo ſonticulus eſt, ſecreta in vmbra deliteſcens, vbi ſedem eſſe nunc quoque lamiarum narrant mulierculæ, quæcunque aquatum ventitant. Lamiam igitur hanc Plutarchus ille Cheroneus neſcio doctior,an grauior, habere ait oculos exemptiles, hoc eſt quos ſibi eximat, detrahatque cum libuit, rurſusque cum libuit, reſumat atque affigat: quemadmodum ſenes ocularia ſpecilla ſolent,quibus hebeſcenti per ætatem viſui opitulantur Sed enim lamia hæc quoties domo egreditur,oculos ſibi ſuos affigit, vagaturque per fora, per plateas,per quadriuia,per angiportus, per delubra, per thermas,

per

per ganeas, per conciliabula omnia: circumſpectatq; ſingula, ſcrutatur, indagat, nihil tam bene obtexeris, vt eam lateat. Miluinos eſſe credas oculos ei, aut emiſſitios, ſicuti Plautinæ aniculæ. nulla eos præterit quamuis indiuidua minuties nulla eos euadit quamuis remotiſſima latebra.
*Politianus in Praf. cui titulus Lamia.*

# INDOLES, ET EDVCATIO, SIVE INSTITVTIO.

## *Indoles optima.*

Nihil in te requirere potuiſſent hi nihil fingere debuiſſent, ſi ſemel iſtam indolem intuiti eſſent. Vix ad eam veneras pueritiæ partem, in qua cæteri loqui ſciunt, cum tu iam eloqui cœperas, atque oratoriè declamare. Vix æquales tui eius linguæ ſermonem, quam haurimus à nutricibus, abſolutè didicerant, cum tu tam multas, & tam varias iam callebas, vt Mithridatis exempla mortalibus vnus omniũ renouaturus eſſe videreris. Vix per ætatem ac rationis vſuram ſapere cæteris licet, cum animum tu omnibus iam diſciplinis imbueras, nec aliud ignorabas, niſi quod humanum ingenium aſſequi cogitatione non poteſt. Denique lex illa naturæ, quæ nihil ad faſtigium perduci ſubito patitur, ius omne tibi remiſerat, dederatque quodammodo veniam, vt non per partes quemadmodũ cæteri, ſed vna omnes liberales diſciplinas acciperes; non paulatim progredereris, & ſenſim, ſed confeſtim, ac è veſtigio perueniſſes ad ſummum; non doctrinæ magiſtrum, ac præceptorem haberes aliquem, ſed inſtitutorem auctoremque conſuleres animum tuum. Iam tu mentem iſtam præclaris imbutam artibus, omnium victricem voluptatum, carentem vitio, pudicam, atque innocentem ad pubertatem vſque deduxiſti. *P. Tar. Gallutius to. 2. or. 16.*

Accipio vos equidem gremio iuuentes meis inſtitutis,ac moribus educandos:ſed animos volo peralacres, ſublimes, ad ſumma quæque atque ardua conſpirantes: non deſides, non ſupinos, non curuos ad ima,quæ ante pedes ſunt tantummodo deſpectantes. Amo difficultatibus exercitos,non inertia diſfluentes: gloriæ cupidos, non auidos quietis: mei ſtudioſos, non voluptatum amantes. ſiquidem labore multo mereri otium oportet, atque honor non niſi per prærupta conſcenditur. *P. Guiniſius allec. 7.*

## *Indoles auguſta.*

ATque hunc vigorem, hoc imperium toto iam illius vultu eminere audio (neque enim fas omnibus eò teſtes afferre oculos) Regem ſpirare dicitur adhuc infans; iam affuſus genis lepos, & dignitas, quæ Principum eſſe ſolet; iam fronti decus impreſſum, cuiuſmodi heroem decet; iam fulgor ineditus oculis,qui ſidereum, & cæleſte aliquid ſapit. Cernitur vterque parens vnius in ore: excelſum caput attollit, quaſi toto vel in cunis iacens regno emineat: figit obtutus imperterritos, quaſi gentes iam nutu terreat,ſuo breui ferro domandas; manus explicat audaces, quaſi ſceptris aptare velit; teneriter firma exercet brachia, quaſi præludat hoſtium fatis. *P. Petiot in Paneg. Delph.*

## *Indoles bellica.*

PArabili cibatu, quem fortuito miles occupaſſet, conſtare militiam dicebat: nec audebat vituperare Grammaticos,qui Maronis Aneã reprehenderent, quod is militaribus epulis in deſerto littore præter aſſam ferinam obſonaſſet aliter famem: & aqua feruenti ſubacta quædam alia condimenta quæſiſſet. Quod in eo genere ſequeretur, accepérat ex Homero puer. Igitur adoleſcentulus ante Naupactæam victoriam niſi iuſſus à parentibus ad cibarium panem nihil addebat. Præluſionem militiæ cogitabat, & caſtrenſem diſciplinam aſperi victus illa, quaſi

velita-

velitatione iam tum informabat domi. Quo facto duplex interim operæ pretium habebat; nam, & vim mentis ad pudicam animi firmitatem illa ſiccitate corporis, & iuuentam ad duritię militaris experientiæ obdurabat. Somni modicus gloriæ nimius ad multam noctem vigilabat; in cõmemorationibus, in lucubrationibus erat: operi diurno conſilia noctis addebat, fugam ſolis ingenij lumine, ſomni tempora vigiliarum prorogatione carpebat: quatuor ad ſummum horarum, eaque leuiſſima quiete contentus.

*P. Stephonius or. 2. in fun. Delph.*

Quid enim in Peruſina iuuentute concitatus ille generoſi pectoris impetus ad militiam capeſſendam; quid ille totius oris habitus ad robur animorum corporumque compoſitus, ita naturæ muneribus habilis, ita ornatus ad prælium, vt ab ipſo Marte effictus quodammodo, videatur, niſi noſtræ virtutis expreſſa, ac viua in minime degeneri poſteritate veſtigia. Contemplare faciem Peruſinæ iuuentutis, noſtrũ genus agnoſces. habes noſtræ memoriæ nunquam intermoritura monumenta. Oris color iucundus, flammeo ſanguinis flore ſubfuſcus; crinis ad frontem promiſſus impenſius, & militari quadam licentia ludiLundus; lata frons, & explicita; acer oculorum coniectus, index ſemper vigilantium animorum; flauo ductu per malas lanugo luxurians; totius oris martialis quædam dignitas, ac maieſtas, in tranquillo feſtiua, formidabilis in terrore; ceruix erecta, latum pectus, lacertoſa brachia, manus habitæ habileſque; latus ſemper munitum Martis inſignibus. Quod ſi hæc muta ſigna, & ſpecie tenus ficta ſimulacra bellicæ noſtræ, virtutis videntur, inſpice in eorum ſtudia, & exercitationes. Videbis eos pollentes viribus ingenio validos, non ætatem per ignauiam luxumque deterere; ſed venando, currendo, algendo, æſtuando, tyrocinia Spartanæ virtutis ponere; per compita, ac plateas paſſus, ac verba imperatorio æquamento librare; equos ligneos à dextris, ac ſiniſtris inſilire, ac deſilire perniciſſima velocitate; fictis certaminibus præludere veris; ex leui verborum rixa graues excitare turbas; & à luſorijs telis facile ad arma decretoria deuenire. Quid hic tam celer animorum, corporumque motus; quid hic incenſus ardor ad præ-

lium, niſi bellici noſtri tumultus vſque, adeo aura perdurans, & excitatæ à nobis flammæ ſuperſtes adhuc igniculus? Intuere ſtudia puerorum. quin in illa ætatula molle, quid tenerum, quid virtute maiorum ſuorum indignum? non inanibus puerorum ſtudijs delectari; non languidulis illiquefieri voluptatibus conſueuerunt; non in gremio nutricis ali, aut vernarum geſtari manibus, cum Melitenſi catella colludere; ſed è cunabulis, ac domibus pedem ſimul efferre, tractare gladios, reptare per ſcuta, anhelare curſibus, petaſo pinulas, lateri enſiculum appendere: ad ludricas æqualium ſuorum pugnas omnem animum, & cogitationem adijcere; dedita opera tumultus ſimulare; ex certamine dignitatis ſtatim ad manus pugnaſque venire; nihil medium, nec ſpem, nec curam, ſed immenſa omnia animo voluere.

*F. Leo Sanctius flor. l. 3. or. 2 Ad Peruſ.*

## *Inſtitutio optima.*

PLurimum proderit pueros ſtatim ſalubriter inſtitui. Difficile autem regimen eſt: quia dare debemus operam, ne aut iram in illis nutriamus, aut indolem retundemus. Diligenti obſeruatione res indiget: vtrumque enim quod extollendum, & quod deprimendum eſt, ſimilibus alitur. Creſcit licentia ſpiritus, ſeruitute comminuitur: aſſurgit ſi laudatur, & in ſpem ſui bonam adducitur: ſed eadem iſta inſolentiam & iracundiam generant. Sic itaq; inter vtrunque regendus eſt, vt modo frenis vtamur, modo ſtimulis; nihil humile, nihil ſeruile patiatur. Nunquam illi neceſſe ſit rogaſſe ſuppliciter, nec proſit rogaſſe: potius cauſæ ſuæ, & prioribus factis, & bonis in futurum promiſſis donetur. In certaminibus æqualium, nec vinci illum patiamur, nec iraſci. Domus operam, vt familiaris ſit his, cum quibus contendere ſolet; vt in certamine aſſueſcat non nocere velle, ſed vincere. Quoties ſuperauerit, & dignum aliquid laude fecerit, attolli, non geſtire patiamur. Gaudium enim exultatio, exultationem tumor, & nimia æſtimatio ſui ſequitur. Dabimus aliquod laxamentum, in deſidiam verò, otiumque non reſoluemus, & procul à conta-

tactu

tactu deliciarum retinebimus. Nihil enim magis fecit iracundos, quam educatio mollis, & blanda. Ideo vnicis quo plus indulgetur, pupillisque quo plus licet corruptior animus eſt.

*Seneca lib. 2. de ira c.21.*

Iamprimum ſuus cuique filius ex caſta parente natus non in cella emptæ nutricis, ſed gremio, & ſinu matris educabatur, cuius præcipua laus erat tueri domum, & inſeruire liberis. Eligebatur autem aliqua maior natu propinqua, cuius probatis ſpectatiſque moribus, omnis cuiuſpiam familiæ ſoboles committeretur, coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere quod inhoneſtum factu videretur. Ac non ſtudia modo curaſque, ſed remiſſiones, etiam luſuſque puerorum, ſanctitate quadam, ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, ſic Aureliam Cæſaris, ſic Attiam Auguſti matrem præfuiſſe educationibus, ac produxiſſe Principes liberos accepimus. quæ diſciplina eo pertinebat, vt ſincera, & integra, & nullis prauitatibus detorta vniuſcuiuſque natura toto ſtatim pectore arriperet artes honeſtas. At nunc natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adiungitur vnus, aut alter ex omnibus ſeruis plerumque viliſſimus, nec cuiquam ſerio miniſterio accomodatus. horum fabulis, & erroribus teneri ſtatim, & rudes animi imbuuntur; nec quiſquã in tota domo penſi habet, qui coram infante domino aut dicat, aut faciat: quando etiam ipſi parentes, nec probitati, neque modeſtiæ paruulos aſſuefaciunt, ſed laſciuiæ, & libertati.

*Corn. Tacitus in Dial. de Orat.*

Humani generis, ſicuti cæterorum omnium, præcipua in cunabulis cuſtodia eſt. in arboribus rami naſcentes obſequuntur agricolæ, cuius ductu, vel in altum enituntur, vel ad terram proni deflectunt. Ita puerorum animi, parentum velut obſtetricum manibus fingi poſſunt, certa, & in ſequuturam ætatem manſura imagine. Semina maximè, & veluti fundamenta virtutum his antiquo præaltoque affectu inſinuanda ſunt; vt deinde ignorent, natura an præceptis acceperint, parentibus obnoxio eſſe ingenio, faciliq; præcipientibus: intemperantia, mendacio, & fraude velut inſolentia prodigiorum exterreri: præcipuè

vim Numinis venerari, nunc beneficio,nunc vindictæ ſuſpiciendam. Et hæc ipſa non atroci, aut moleſta ratione vrgenda ſunt. nam quæcunque ſuppliciorum metu colimus, eadem triſti faſtidio ſolemus auerſari;& concepta à puero odia, neſcio qua horroris conſuetudine ad ſenium vſque deducimus. Sed aſſiduis ſermonibus imbuendi ſunt de faſtigio,præmijſque virtutum: flagitia cum ſupercilio, ac verecundia apud illos nominanda,quæ omnino neſciant ſæpe publicè, nec iam cum infamia regnare. Tam leuibus rudimentis initiati oderint vitia,virtuteſque tanquam feras,aut rigidas non timebunt, & faciles ad hæc prima rectæ diſciplinæ initia accedent; parentum,magiſtrorumq; auſpicio,quorum ſententijs velut diuinæ mentis oraculis detinentur imbecilli in illis animi, nec dum iudicandi ambitione ſollicitati. In hac autem puerorum diſciplina gloriæ quoque ſtimuli paſſim infigendi ſunt ſentientibus animis, vt iam ſuos honores aſſueſcant ſuſpirare, & ſiue ſcholis, ſiue ludis exerciti eminere æqualibus labore dulciſſimo contendant. Præterea cum ætate ſenſim veluti ex captiuitate deducendi ſunt; vt, & mitior maieſtas parentum ſentiatur, & illi non ſubito, aut improuiſo libertatis incremento laſciuiant.
*Barclaius in Icone anim.c.1.*

## *Educatio regij pueri apud Perſas.*

PVerum, penes quem eſſet futura ſumma rerum, inſtitui conſueſſe ſcriptum reliquit Plato. Principio ſtatim, vt ille regius exceptus in lucem, ſpe bona felicitatis regiæ fundare domum viſus eſſet; honeſtiſſimis infantię cuſtodibus alendus tradebatur cum eo ne quid præterirent, quo minus à teneris Principem ſibi quam elegantiſſimum conformarent. Proinde corpuſculi vitia,prauitatemque corrigerent, vultum ducerent, membra figurarent, geſtum omnem inceſſumque componerent. Vbi ſeptimum attigiſſet annum continuò magiſter aderat artis equeſtris: ex eo ſteraacem & indocilem equum intra gyrum compulſum inflectere diſcebat, & à gyro longius explicare curſum, & volubiliter ad nume-
rum

rum glomerare greſſum, & in arduũ vrgere cunctantem, & ad præcipiti ruina ſuſtinere labentem. Hinc ad tolerantiā membra durabat, inedia, ſiti, frigore, ſudore, telorum, iactu, paleſtra, clamore, venatu, quo venuſtatem oris ad dignitatem horrid uſcula, quædam concinnitas efferaret. Exin quartum annum, & decimum ingreſſus ad moderatores itabat. quos vocabant regios: qui quidem numero quatuor anteſtare cæteris Sapientia, Iuſtitia, Temperantia, Fortitudinē putarentur: quorum ille primus Sapientiæ magiſter ad Zoroaſtri magiam erudiebat adoleſcentem. nam magica Perſarum inſtitutione Deorum cultus, moreſque ſacrorum, & inſtituta regia continebantur. Secundus iuſtitiæ doctor monebat, vt illiberalis ingenij mendacium eſſe duceret: vt vteretur parſimonia verborum, & in omni vita ſimplex, & apertus eſſe meditaretur. Tertius Temperantiæ præcepta tradebat, vt omnia rationis imperio, & præſcripto faceret: nene cupiditati ſeruiret vnquam: omnem impetum animi contineret: ſui prius rex eſſe diſceret, quam ſuorum auderet eſſe populorum. Quartus autem nihil viro forti terribile eſſe dicebat: audacter omnia pericula ſubiret: ſeruitutem ſupremum malum eſſe; vitæ gloriam anteponeret, gloriæ virtutem, pro regia dignitate, pro ſalute ciuium, pro patrijs legibus, & inſtitutis, pro religione Deorum, & cultu libentiſſimè vitam in diſcrimen offerret.

*P. Stephonius Proſa 8.*

## *Indoles, & inſtitutio pia.*

VIx Eliſabetha primæ illius ætatis crepundia depoſuerat, cum Iacobus auus non minore vitæ rectæ laude quam potentia Rex, domum abductam vnam ex omnibus Petri liberis apud ſe voluit eſſe; ibi quanta educata diligentia, quibus moribus imbuta, quibus verbis, ſententijs, opinionibus ad religionē Chriſtianam, & honeſtatem informata ſit, vt ipſe non dicam, vos ipſi viri ornatiſſimi aſſequi poteſtis coniectura. Etenim in clariſſima ſanctiſſimæ diſciplinæ luce ab ætatis initio verſata, nulla malorum morum, nulla errorum prauitate corrupta, ita religionem,

gionem, & ſanctitatem aui præſtantiſſimi regis aſſecuta eſt, vt eam homines cum viderent, non ſe neptem videre, ſed quandam eius effigiem; non hominũ manibus, ſed imitationis ardore; nõ ſtatuarioſũ ingenio, & artificio, ſed ſtudio ipſius, & diligentia expreſſam arbitrarentur. eminebat iam tum atq; apparebat in illis teneris annis maior quædam ad virtutem indoles, & ipſi illi ſimplices mores illius ætatis iam ſatis ſignificabant, quæ ſanctitatis eſſet futura maturitas, & ſpem magnam omnibus ſummæ ſapientiæ, ſummę probitatis afferebant. mirabantur tantam grauitatem, & prudentiam, tantum rerum omnium modum prædicabant, facilitatem, & modeſtiã, & omnes iuuandi, ac ſubleuandi ſtudium incredibili beneuolentia complectebantur.

*P. Perpinianus or. 1. de S. Eliſab.*

# MORES ANIMI.

## *Mores optimi.*

ERgo contra voluntates ire, ſpiritus frangere, ſublationem animi premere, nihil ineptæ lætitiæ concedere cogitationem à rebus lætis ad mœſtas imagines traducere, ſenſibus imperare, in poteſtate cupiditates habere, motus animi regere, verſare, quocunque ratio ſuaderet impellere, facilis aduerſus æquales eſſe, ſuperioribus ætate locoque plurimum credere; ingenij tractabilitate flexibilis, omnibus obſequens, aduerſa nemini, ſororibus vera videri malle, quam blanda, ſi veritas ageretur: malle blanda quàm mœſta, ſi cuiuſquam animi mœror minuendus eſſet: ſibi nihil eximium arrogare; ſummam tantum virtutis capeſſere: fidem miſericordiam, beneuolentiam expromptas habere: functiones humilium munerum obire: tergere, lauare, coquere: ſecum nihilominus habitare: lectulis ſororum ægrotantium aſſidere: nihil demum in tuendis iuſtitiæ partibus prætermittere rerum illarum, quas in ſororis otio Marthæ ſedulitas requirebat.

*P. Stephon. or. 1. de B. Agnete.* Intima

Intima ſententiarum, arcana morum opinioni conſentiebant: conſtantiæ, fidei, veritatis erant. Itaque nulli familiarium reconciliatus eſt; neminem ex amicis læſit vnquam: læſus omnem ſtatim offenſæ memoriam obliuione contriuit: ac nequando gratia recolligenda foret, cautum illi, prouiſumque erat. Ducebatur ratio dignitatum: temporum diſcrimina notabantur: honor laudibus, honor oculis habebatur; quod offenſiones amicorum vitari facilius diceret, quàm ſanari. Quo fiebat, vt ex ijs, quos delegiſſet, à ſe neminem dimitteret: & in amicitia, quod prouerbio fertur, calculum reduceret nunquam. Et ille quidem optimos ſibi ſemper adiungere ſtudebat: ſi quidem autem parum idoneum reperiſſet, eum paulatim vſu familiaritatis ad ſuum ſenſum, hoc eſt, ad exemplum bonorum formabat ſibi. Tanta vero fuit erga propinquos indulgentiæ charitate, tanta ſuauitate morum; vt cum omnibus æquè charus ac iucundus eſſet, omniumque ipſe conſuetudine iucundiſſimè frueretur; mirum videri debeat illum eorum conuictu, quo tantopere delectaretur, tamdiù carere potuiſſe. *P. Stephon. or. 3. in fun. Delph.*

Nullæ in eo fallaciæ, nullus fucus: admirabilis animi candor, incredibilis æquitatis iuſtitiæque tenacitas. recti amor, ac ſtudium inauditum. Ex quo fonte modeſtia quædam, ac moderatio fluxit omni poſteritati memoranda. Viginti amplius annos Romæ fuit, & bonam quidem partem in Principum rationibus procurandis: quo toto tempore nullas vmquã opes, nullas ſibi copias comparauit: ita videlicet in hoc ſanctiſſimo foro ſimpliciter, ac more maiorum, ſine cupiditate atque auaritia verſabatur.

*P. Tarq. Gallutius to. 1. or. 13.*

Hunc videlicet natura ad omnem virtutem erectum, ad piè caſtèque viuendum propenſum eduxit, voluntas promouit, ſtudium exercuit, Dei Opt. Max. patrocinium, ac tutela ſeruauit. Curſum enim ab adoleſcentia ſumma cum ſignificatione modeſtiæ, ac probitatis inſtitutum, conſecuto tempore paulatim incedens ita retinuit ſemper, vt non modo verbis, aut re nunquam ea repagula perfregerit, quæ circumduxerat verecundię ſuæ, verum etiam, quod maximè pudicis viris euenire dicitur à Sapientibus,

de

de ipſa pene pudicitia loqui erubuerit. Hunc hominis pudorem, & caſtimoniam planè admirabilem ſumma erga Deum, & Cælites omnes, inprimiſque aduerſus Virginem Maximam ſecuta religio eſt,quã, & ardentiſſimo ſemper animo coluit, & primis ſecundum Deum honoribus impartiuit, adſciuit ſibi ſuiſque ſingulari, quodam ſtudio tutelarẽ. Nam præterquam quod illa religionis noſtræ myſteria, quę Sacramenta vocamus,frequenter obibat,nullum ſanctum, ac ſepo ſitum in faſtis Virgini præterire ſinebat diem, quo ſolemnibus ſacris piè, ſanctèque ad eam venerandam animum non expiaret.

*P. Tarq. Gallutius to.1.or.14.*

## *Mores partim boni, partim mali.*

STuduit Catilinæ, cum iam aliquot annos eſſet in foro Cælius, & multi hoc idem ex omni ordine, atque ex omni ætate fecerunt. habuit enim ille, ſicuti meminiſſe vos arbitror,permulta maximarum non expreſſa ſigna, ſed adumbrata virtutum.vtebatur hominibus improbis multis. & quidem optimis ſe viris deditum eſſe ſimulabat. erant apud illum illecebræ libidinum multæ: erant etiam induſtriæ quidam ſtimuli, ac laboris. flagrabant vitia libidinis apud illum: vigebant etiam ſtudia rei militaris, neque ego vnquam fuiſſe tale monſtrum in terris vllum puto, tam ex contrarijs, diuerſiſque inter ſe pugnantibus naturæ ſtudijs cupiditatibusque conflatum.quis clarioribus viris quodam tempore iucundior? quis turpioribus coniunctior? quis ciuis meliorum partium aliquando? quis tetrior hoſtis huic ciuitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate auarior? quis in largitione effuſior? illa verò iudices in illo homine mirabilia fuerunt, comprehendere multos amicitia, tueri obſequio,cum omnibus communicare quod habebat ſeruire temporibus ſuorum omnium pecunia, gratia, labore corporis, ſcelere etiam, ſi opus eſſet, & audacia; verſare ſuam naturam, & regere ad tempus,atque huc illuc torquere, & flectere; cum triſtibus ſeuerè, cum remiſſis iucundè, cum ſenibus grauiter,

grauiter, cum iuuentute comiter, cum facinoroſis audacter, cum libidinoſis luxurioſè viuere.

*Cicero Orat. pro M. Cælio.*

Nunquam ingenium idem ad res diuerſiſſimas, parendum atque imperandum habilius fuit. itaque haud facilè diſcerneres vtrum Imperatori, an exercitui carior eſſet. plurimum audaciæ ad pericula capeſſenda, plurimum conſilij inter ipſa pericula erat. nullo labore, aut corpus fatigari, aut animus vinci poterant, caloris, ac frigoris patientia par: cibi potionisque deſiderio naturali, non voluptate modus finitus: vigiliarũ ſomniq; nec die, nec nocte diſcriminata tempora. id quod gerendis rebus ſupereſſet, quieti datum. ea neq; mollitrato ſilentio neq; accerſita. multi ſæpe militari ſagulo opertũ humi iacentem inter cuſtodias, ſtationeſque militum conſpexerunt. veſtitus nihil inter æquales excellens, arma atque equi conſpiciebantur, equitum peditumque idem longè primus erat. princeps prælium inibat: vltimus conſerto prælio excedebat. Has tantas viri virtutes ingent a vitia æquabant: inhumana crudelitas, perfidia plus quàm Punica, nihil veri, nihil ſancti, nullus Deûm metus, nullum iuſiurandum, nulla religio.

*T. Liuius dec. 3. l. 1.*

Igitur Sylla patriciæ gentis nobilis fuit, familia propè iam extincta maiorum ignauia. Litteris Græcis, ac latinis iuxta, atque doctiſſimè eruditus: animo ingenti. cupidus voluptatum, ſed gloriæ cupidior: otio luxurioſo eſſe, tamen à negotijs nunquam eum voluptas remorata, niſi quod de vxore potuit honeſtius conſuli: facundus, callidus, & amicitia facilis: ad ſimulanda negotia altitudo ingenij incredibilis: multarum rerum, ac maximè pecuniæ largitor atque illi feliciſſimo omnium ante ciuilem victoriam, nunquam ſuper induſtriam fortuna fuit; multique dubitauere fortior, an felicior eſſet. Poſtquam in Africam in caſtra Marij venit cum equitatu, rudis antea, & ignarus belli ſolertiſſimus omnium paucis tempeſtatibus factus eſt. Ad hoc milites benignè appellare: multis rogantibus, alijs per ſe ipſe beneficia dare, inuitus accipere; ſed ea properantius quàm æs mutuum reddere: ipſe ab nullo repetere: magis id laborare, vt illi quamplurimi deberent: ioca atque

ſeria

ſeria cũ humilimis agere: in operibus, in agmine, ad vigilias multus eſſe; neque interim, quo praua ambitio ſolet, Conſulis, aut cuiuſquam boni famam lædere: tantummodo neque conſilio, neque manu alium priorem pati, pleroſque anteuenire.
*Saluſtius de bello Iugur.*

Fuit Rex armorum, quàm conuiuiorum apparatibus ſtudioſior, cui maximæ opes erant inſtrumenta bellorum; diuitiarum quæſtu, quàm cuſtodia ſolertior. Itaque inter quotidianas rapinas ſemper inops erat. Miſericordia in eo, & perfidia pari iure dilectæ. nulla apud eum turpis ratio vincendi: blandus pariter, & in gratia offenſam ſimulate: inſidioſus alloquio: qui plura promitteret quàm præſtaret. In ſeria, & iocos artifex, amicitias vtilitate, non fide colebat. Gratiam fingere in odio, inſtruere inter concordantes odia, apud vtrumque gratiam quærere, ſolemnis illi conſuetudo. *Iuſtinus lib. 9.*

## *Mores peſſimi.*

LVcius Catilina nobili genere natus, fuit magna vi, & animi, & corporis, ſed ingenio malo prauoque. Huic ab adoleſcentia bella inteſtina, cædes, rapinæ, diſcordia ciuilis gratã fuere, ibique iuuentutem ſuam exercuit. Corpus patiens inediæ, vigiliæ, algoris, ſupra quam cuiquam credibile eſt. Animus audax, ſubdolus, varius, cuiuslibet rei ſimulator, ac diſſimulator, alieni appetens, ſui profuſus, ardens in cupiditatibus, ſatis loquentiæ, ſapientiæ parum. Vaſtus animus immoderata, incredibilia, nimis alta ſemper cupiebat.
*Saluſtius de coniur. Catil.*

Intempeſtiua conuiuia, & perpotandi, præuigilandique inſana dulcedo, ludique, & greges pellicum, omnia in extremum lapſa ſunt morem: quem æmulatus quaſi potiorem ſuo, ita popularium animos, oculoſque pariter offendit, vt pleriſque amicorum pro hoſte haberetur. tenaces quippe diſciplinæ ſuæ, ſolitoſque parco, ac parabili victu ad implenda naturæ deſideria defungi, in peregrina, & euictarum gentium mala impulerat. Hinc ſæpius comparatæ in

caput

caput eius inſidiæ, ſeceſſio militum, & liberior inter mutuas querelas dolor ipſius: deinde nunc ira, nunc ſuſpiciones, quas excitabat inconſultus pauor, cæteraque his ſimilia. Igitur cum intempeſtiuis conuiuijs dies pariter, noctesque conſumeret, ſacietatem epularum ludis interpolabat, non contentus muſica artificum, quos è Græcia exciuerat: turbæ quippe captiuæ fœminarum iubebantur ſuo ritu canere inconditum, & abhorrens peregrinis auribus carmen. *Q. Curtius l. 6.*

Meum contra cæcum, & inteſtinum eſt malum: intus latet incluſum, intus occulti ſcatet exitij lues; intus è clandeſtinis viſceribus efferueſcit, omnium fœdiſſima corruptela morum; intus in imo corde gliſcit inquinatiſſimus malorum fons omnium, & cænoſa perennitas deteſtabilium cogitationum, ſententiarum, opinionum, ſuſpicionum, dubitationum, voluntatum, appetitionum, affectionum, aſſenſionum, diſſenſionum, deliberationum, ſtudiorum, imaginum, aggreſſionum, contentionum, declinationum. Et ex eodem fonte officiorum deriuata labes; perturbationum euripi; cupiditatum æſtus, iracundiarum faces, ægritudinum furiæ, timorum, aberrationum, exanimationum, odiorum, ſimultatum, diſſimultationum, ſimulationum, obtrectationum, voluptatum, & oblectationum, iudiciorum, conſiliorum, decretorum, dictorum, factorum, ſenſuum, & aliorũ omnium inquies, inconſtans, turbulenta ſeditio; quarum rerum omniũ ſeditioſiſſimo conflictu naturæ iuribus omnibus temere profuſis, & neruis omnis virtutis inciſis, & Diuini Numinis penitus, ac perditè profligato metu, animi quoq; ſtatus intimus labefactatus, & cõcuſſus eſt. diſſoluta modeſtia, reprenſa facilitas, contaminata ſimplicitas, aduocata calliditas, deſerta veritas, admiſſa falſitas, inflammata cupiditas, incitata temeritas, amiſſa libertas, neglecta ſanctitas, dehoneſtata religio, perturbata tranquillitas. Habetis igitur reum ſua confeſſione damnatiſſimũ, æterni Iudicis iudicio contaminatiſſimum. Atqui luculentiſſimas has ærumnas illi non Deus ad experimentum virtutis, aut malus Dæmon intulit, vt Beatiſſimo Iobo, ſed ſuus error, ac furor, ſua fraus: ſuus illi tepor in minimis noxis ante conniuens, vt in maximas

ximas paulatim exinde prolaberetur; ſuus ſtupor, ſuus à labore procliuis ad otium languor, atque deſidia; ſuus poſtremò ſummæ refrigerato iampridem ardore laudis degener, ſibique quotidie magis, magiſque diſſimilis tepor omnis dedecoris exitijque conficientiſſimus inuexit. In quem illud infelix elogium (eſt enim aptiſſimum) panegyris malorum omnium puluis, & cinis, reus primæ, ſecundæque mortis Dei Iudicio proſcriptum, ſuplicio prædamnatum caput, Reus religionis, & voti; Reus veritatis, & fidei, Reus Diuinæ Maieſtatis, & gloriæ, caritatis, & & gratię, bonitatis, & beneficentię; pietatis, & miſericordiæ; longanimitatis, & patientiæ; indignationis, & iræ; Concilij, & Iudicij, Supplicij, & Gehennæ; cæcus, & nudus; ſurdus, ac mutus; durus, & excors; ſtolidus, & vecors; pauper, ſuperbus; miſer, & turpis; impurus, impius, iniuſtus, peccator impœnitens, ſenex, fatuus, & ſtultus, inueteratus dierum malorum.

*P. Stephonius in elog. ipſius quod propoſitum eſt libro carminum.*

## *Mores Ciuitatis deprauati.*

IGitur primò pecuniæ, deinde imperij cupido creuit. ea quaſi materies omnium malorum fuere. namque auaritia fidem, probitatem cæteraſque bonas artes ſubuertit: pro his ſuperbiam, crudelitatem. Deos negligere, omnia venalia habere edocuit: ambitio multos mortales falſos fieri coegit: aliud clauſum in pectore, aliud promptum in lingua habere: amicitias inimicitiaſque non ex re, ſed ex commodo æſtimare, magiſque vultum, quàm ingenium bonum habere, hæc primò paulatim creſcere interdum vindicari. poſt vbi contagio quaſi peſtilentia inuaſit, ciuitas immutata, imperium ex iuſtiſſimo, atque optimo crudele, intolerandumque factum. poſtquam diuitiæ honori eſſe cœpere, & eas gloria, imperium, potentia ſequebatur; hebeſcere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro maleuolentia duci cœpit. Igitur ex diuitijs iuuentutem luxuria atque auaritia cum ſuperbia inuaſere; rapere, conſumere, ſua parui pendere, aliena cupere: pudorem, amici-

tiam.

tiam, pudicitiam, diuina, atque humana promiſcua, nil penſi neque moderati habere.
*Saluſtius de Coniur. Catil.*

Sed vbi illa formido mentibus deceſſit, ſcilicet ea, quæ ſecundæ res amant, laſciuia atque ſuperbia inceſſere. ita quod in aduerſis rebus optauerant, otium poſtquam adepti ſunt, aſperius acerbiuſqe fuit. namque cœpere nobilitas dignitatem in ſuperbiam, plebes libertatem in libidinem vertere: ſibi quiſque ducere, trahere, rapere: ita omnia in duas partes abſtracta ſunt. reſpublica quæ media fuerat, dilacerata. Cæterum nobilitas factione magis pollebat; plebis vis ſoluta, atque in multitudine diſperſa, minus poterat: paucorum arbitrio belli domique res agitabatur: penes eoſdem aerarium, prouinciæ, magiſtratus, gloriæ triumphique erant: populus militia atque inopia vrgebatur; prædas bellicas Imperatores cum paucis diripiebant. In auaritia cum potentia ſine modo modeſtiaque inuadere, polluere, & vaſtare omnia: nihil penſi, neque ſancti habere, quoad ſemetipſa præcipitauit.
*Saluſtius de bello Iugur.*

## Mores Principis laudatiſſimi.

SI dixero bonitate incredibili, altiſſima prudentia, æquabilitate perpetua, eximia pietate, ſumma fortitudine præditum; minus quàm debeam prædicem; quia quæ reliquis Principibus laudi ſingula tribuuntur in noſtro vno mirabiliter coeunt vniuerſa. Quem non ſuo ſtatim vultu recreat, ſi comparet? quem non demeretur, ſi dignatur alloquio? Paſcit intuentium oculos, & licet magno iam nomine totum latè orbem impleuerit, tamen contra quàm cęteris accidit, maior ſemper conſpicitur, quàm ſoleat prædicari: adeo vt qui Regem nunquam viderint, ſummo eius videndi deſiderio teneantur; maiori metu amittendi qui vident: abripitur, ad eum quiſquis accedit; & quæ eſt diuinarum rerum natura, ita ſibi omnes affixos tenet, nemo vt ab eo non recedat inuitus, quiſquam vix auelli poſſit. Quid ego iam Reginæ virtutes dicendo commemorem? quas ſanè multas

multas, maximaſque eſſe oportet, poſtquam Rex tantus eas ſuſpexit, omnes tacito quodam inſtinctu palam efferunt. In ea quippe non modo acre viget ingenium, ſed tam caſti præterea mores elucent, tam egregia fides, tam ſolida pietas, tam inſignis manſuedo, vt cum dignitatem ſummæ fortunæ retineat, nihil ſupra communem ſortem aſſurgat; eaque ſit omnium vox: ſi quis Reginam in media turba aulicorum internoſcere velit, facile cogniturum, dum obſeruet modeſtiſſimam omnium. Cultu ſimplex omnem longè ornatum ſuperat, ſemper animo tranquilla neſcit aulæ ſtrepitum: omnibus denique virtutibus cumulata facit, ne nos Clothildes, Blancas, Radegundes, Eleonoras maioribus noſtris inuideamus, poſtquam tenemus Annam, quæ pauca ſibi Reginas vidit æquales, nullam habuit glorias ſuperiorem. Equidem quoties Regem, vel Reginam intueor, exiſtimo videre me ſpirantem honeſtatem, radiantem ſapientiam, arridentem humanitatem, ſedentem conſtantiam, liberalitatem erumpentem, imperantem iuſtitiam, religionem triumphantem; quæ in vtro maiora ſint, difficile eſt comparando iudicare: in vtroque profectò ſunt tanta, quanta ſummis Principibus optari poſſunt.

*P. Stephanus Petiot in Genethl. Delph.*

# MORES NATIONVM, VEL POPVLORVM.

## *Germanorum.*

IMmenſa cupiditas potus, iam cõfeſſo vitio, ideoq; magis libero illam gentem infeſtat. Nec ad voluptatem tantum hæc Thracia libido eſt, ſed in parte comitatis, & pene diſciplinæ. Venalis quorumdam Principum gratia pretio, tam infami, ſiue quærentium comites vitiorum, ſiue legatis, aduenisque hoſpitalem

hoſpitalem parantium menſam. Nam Germani nulla comitate ſuauius, quam longo, nec ſobrio conuiuio, peregrinos credunt excipere; & tunc veriſſimam ab ipſis hoſpitibus beneuolentiam in ſe expromi, vbi mutuis poculis inundari non abnuunt. Apud hanc gentē aperti mores placent, & qui Baccho libertatis nomen impoſuerunt. Omnem ſpeciem reconditi aſtus odere, ſiue quod fideliter non tegunt arcana, cum mero ſoluuntur; ſiue quod animi in illis corporibus plerunque ſentiunt ſe retuſos, & aciem cæterorum tanquam in ſe intentam, moleſtiſſimo timore ſuſpiciunt. Vis mentium vt opaca, ita ad æternitatem laborum eſt robuſta: vt cæteri melius quidem ſcire illi verò plura poſſint. Verba illis ſimplicitatis antiquæ, neque ſcientiarum vis hodiernæ ſapientiæ coloribus cincta. Peregrinandi gens auida, & exterorum morum, dum ſe receperit domum, aut ſimulatrix, aut retinens. In eorũ ſedibus inoleſcere peregrinos, aut ad dignitates peruenire, inſuetum; & pene contumelioſum apud illos nomen eſt, quo externos appellant. Ignota illis perfidia etiam in venali fortitudine ſtipendia merentium. Ne ingenium quidem fraudis, aut odia ſub amicitiæ titulis latent; & omninò ingentia ſcelera verecunda populi ſimplicitas ignorat. Gens armis egregia, & quæ pacem ferre poſſit. Tardè, & cunctantibus conſilijs ad tumultus concitantur; ſed excitos longa tempeſtas, & hominibus digna exercet. Populus æris ferrique tractandi peritia, & per mille artificia ducendi inſignis eſt. Typographiæ inuentum, pulueriſque nitrati illis ingenijs orbis debet. Candidi animi virtutes aliorum factaq; aut inuenta maximè abſentiũ, nõ maligno, & tumido liuore delibant, ſed ſinceris laudibus, ac propemodum immodicis attollunt.

*Barclaius in Icone anim. c. 5.*

*Germanorum veterum mores vide apud Cæſarem de bello Gall. l. 6. apud Corn. Tacitum in lib. de ſitu moribus, & pop. Germ. & Pomp. Melam lib. 3. de ſitu orb. cap. 3. & P. Pontanum vol. 3. par. 1. progymn. 32.*

Belga·

## *Belgarum mores.*

ET verò fuerit olim,quorum horum ingenia tamquam ex humilioris ſoli fato depreſſa habebantur. alia nunc ætas.& mores ſunt. Nuſquã militia aut ingenioſior,aut affluentior,aut diuturnior. Planè vt aperto hic ludo accurrentes vndique populos erudire mars ad bellum videatur lanificia atque texturæ non implent modo,quanta eſt, Europam; ſed longè latèque per Africæ Aſiæque populos circumferunt quotidie Belgium ipſique ad Occidentem Indi ex laneis,ac lineis opificijs Belgicarum nomina vrbium didicere. Demum rara admiramur hodie machinamenta, quæ Belga, aut non inuenerit, aut non abſoluerit. litterarum curam, maris militiam, nauigationum quæſtum, pecuniã negotiationem, Reipublicæ quam ipſi ſibi fecere, culturam, admiranda ignium aquarumque artificia, nempe ingenij non vtique depreſſi documenta, vix alibi paria, nuſquam certè tam multa ſimul per reliquam Europam, quàm vno in Belgio quiſquam viderit. Cæterum hæc in vniuerſum genti propria, ſi genio illis ſuo vti liceat:odiſſe fraudes, atque ex fide, qua ipſi digni alios æſtimare. Gratia doniſque non magnopere, neque in longum capi: plerumque beneficijs vtentes ceu floribus tamdiu gratis.quandiu recentibus. Eundem aduerſus iniurias ſenſum eſſe, quarum memoria citò animum exuunt: niſi ſi contemni ſe videant, tamquam ex facili tolerantes: tunc enimuerò implacabiliter excandeſcere. Ad hæc vires ſuas metiri haud improbè: nec ferè concupiſcere,quæ non capiant. cum tamen nulli mortalium pari ſolertia terram,ac mare ad quæſtum exerceant: vtriuſque cultores elementi atque incerti iuris. In libertate propugnanda caleſcunt plus ſatis. ſcilicet huic poſthabere omnia gloriæ ducunt:licentiæ interdum quàm libertati propiores.

*F. Famianus de bello belg. dec. 1. lib. 1.*

*Videndus præterea Barclaius in Icone anim. cap. 5.*

*Gallorum*

## *Gallorum mores.*

GAllorum natura candida, & aperta, quæ nec vitijs, nec virtutibus perſonam imponere didicit. Humanitas in externos tam propenſa, vt neminem quem virtus commendauit, peregrinum aut hoſpitem putet. Comitas ſuauitaſque morum in familiari conſuetudine temperiem aeris,& ſerenitatem imitatur: nihil cultius vſquam, nihil amœniores vrbanitatis lautitias exquiſitum magis ingeſtu cultuque corporis, in habitu oris intrepidi, in facetijs, & hilari iocandi facultate, niſi quandoque iuuenes improuido quodam impetu, atque incauto, nouaque libertate iocandi notos, ignotoſque laceſſerent. Ad hæc inconſulti riſus, oſtentatio inepta, libidinum affectata ſecuritas, vis denique inter ſe irrequieta per varios, & multiplices tumultus erumpens. Nullum amant ſtudium ardentius, quàm honoris,& gloriæ:teſtis illa felicitas ingeniorum,quæcunque ſtudia capeſſere velint, & generoſus impetus animorum quorum vim in armorum conflictu, non ſecus, ac fulmen aliquod nationes exteræ pertimeſcant. Nihil luctuoſius quàm quod inter patriæ viſcera tantus nobilium in tuenda fama,vel fundendo ſanguine bacchatur furor, & leuiſſimis iurgijs, ioco nonnunquam innocenti, ſæpe etiam vaniſſima captandæ famæ cupiditate, vſque ad funeſtas familiarum clades, & orbitates accendantur.

*Ex Palat. Eloq. exer. 6. lect. 1 pun. 5.*

Toti populo ignes amor, & patientia dominantis. Gens armis ſtrenua. ſed equeſtri certamine melior; ignara perfidiæ, publico præſertim conſilio:indomitæ intra ſe molis; at vbi in externos exundat ſtatim impetus ſui oblita : eo modo nec diu externum imperium tenuit,& ſola eſt in exitium ſui potens. Nullis mortalibus indoles ad ſpeciem virilis elegantiæ magis facta. Oris intrepidi habitus, motuſque atque geſtus qui totum corpus decent. Sic venuſtè compoſiti qualemcunque veſtium de ſuę mutationis infinita ſerie, tanquam inexhauſta penu deprompſerint, quocunque ſalutationis artificio corpus inflectant,

putes nihil magis illa inſtitutione conuenire. Cæterum nunquam orbis dignas gratias hoſpitali Galliæ habebit, quæ humanitatis templum videtur aperire, quò ſe omnium externorum fortuna conijciat. Ita candido ſimplicique amore virtutis eximios viros, vndequaque prodierint, ſine inuidia miratur, & ſua opulentia gaudet augeri; & in tantæ humanitatis præmium habet publicam primum laudem, tum etiam tot hoſpitum fortunam, ac famam, qui Gallico corpori non indigna adoptione inſerti ſunt. Plebis in amplioris fortunæ homines vera nec ex metu, aut ſola inſtitutione reuerentia. Rurſus primi optimatum eodē genio culti ab illis, quia gratia, aut genere perinde non excellunt. Sed ſuperbiam faſtumque non ferunt, ſi videris dominari, ſeruire erubeſcunt. Præcipuè Patriciorum ſpiritus in ſuum, aut patriæ damnum ſæpiſſimè excreſcunt, dum nemini eorum mercaturæ, aut artificiorum viliſſimam diſciplinam capeſſere ipſa inopiæ experientia perſuadet. Aemulari præpoſtero ambitu magnitudinem placet suorum, & fœdari gentilitium ſanguinem putant, ſi ad populum viuendi conſuetudine acceſſerint. Ita vanum nobilitatis nomen, & magnifici otij improba ſpecies ad patientiam triſtium curarum ſufficit, & in ſola exeuntium morte.

*Barclaius in Icone anim. c. 3.*

*Gallorum veterum mores deſcribit Ceſar de bello Gall. lib. 6. & Pompon. Mela l. 3. cap. 1.*

## *Hiſpanorum mores.*

NAtura varietatis amans Gallis oppoſitam eſſe uoluit Hiſpanorum indolem. Illis læta quædam hilaritas melioris impetus ſanguinis diffunditur, non magis ad candorem morum, quàm ad vitæ iucunditatem, & ſuauiſſimi congreſſus delicias Iſtis aduſtus ſanguis ad ſubtilitates acuit ingenium, erudit ad tegenda conſilia, ad patientiam indurat, ad grauitatem tollit, & ad auſteritatem componit Hinc illa pompa verborum, magnifica eorum facinorum prædicatio, quam ne paupertas quidem, aut generis obſcuritas deprimat. Profunda ſunt illorum ingenia,

ingenia, nata ad contemplationem rerum diuinarum,& humanarum: ſed tamen apud eos humaniorum pretia litterarum iaceat, non aliam opinor ob cauſam, quam quia carent ea ingenij amœnitate, qua politioris litteraturæ cultus effloreſcit. In illis eſt incredibilis patientia militaris diſciplinæ, vigiliarum, inediæ, famis: mirabilis eorumdem in ſuſceptis conſilijs conſtantia. armorum peritia, ſeruitutis odium, imperandi cupiditas.

*Ex Pal. Eloq exerc. 6. lect. 1. pun. 5.*

Hiſpani in priſcos habitus, geniumque maiorum vt maximè durant. Robuſtum hominum genus, laboriſque illius patiens, non quo arua coli ſolent, aut artificia procurari, ſed qui maximè eſt ad bella idoneus, vt eſt ferme peruigilium, inedia ſitis, & omnino ad militarem diſciplinam obſequium. Nam in ſuſceptas ſpes pertinax animus præcipuæ virtutis partem credit malis, & periculis non laſſari. Graues illorum animi, & cum pondere quodam elati non ſubito impetu effunduntur in diuerſa, nec vincere magis ſciunt, quam victoria vti. Ita ad omnia pericula pertinaces, ne tempore quidem, & tædio vincuntur; factamque natura, & arte conſtantiam, vix de illis locis amoueris, quos ſemel inſederit. Sed verba quibus ſe ſuoſque attollunt, ingrata audientibus, vultus quoque cum hoc grandi ſermone conſpirans, & coniunctus, nimium ſeruientibus & domitis animis grauis, ſeueræ maieſtati pene quoddam odium addit. Seruatas parſimonia opes, & ad temperantiam inſtitutis corporibus ſæpe negatas, in veſtitu conſumere amant, & ſic ad oſtentationem proferre. Illis frugalitas eximia; vbicunque ſuorum nummorum periculo edunt. In vltima paupertate ſupercilium non omittunt. Reconditæ illis mentes, & ad lenta conſilia idoneæ. Hinc longos cuniculos agere, & veluti obſeſſis inaſpectos. Arma, & pacem ex ſuis temporibus ſapientiſſimè æſtimare. Opibus animos ſubigere, & hac inuicta arte de fortiſſimis gentibus triumphare. Sordes autem palàm odere. cultuiq; corporis amant munditie, & patrij ritus veſtibus indulgere, arma etiam deficiente penu, tanquam præcipuum in viro ornamentum, & ſeruant, & geſtitant. Nihil in illis ineptum (niſi ſi quid iactatio expreſſerit) in collo-

quijs

quijs cæteraque vitæ viſu: callidis aptiſque ad omnia ingenijs. *Barclaius in Ico. anim. cap. 7.*

*De moribus Hiſpanorum veterum videndus Cæſar l. 6 de bello Gall. & Pomp. Mela lib. 3 c. 1.*

## *Italorum mores.*

ITalorum altæ, & ad gubernationem validę mentes, ad omnem fortunam idoneæ, rerum omnium capaces, mirifica induſtria, laboris patiens, facileque ſe vti ſpes occurrit lucri ad humillima demittens, artificio potius quàm natura, aſtu quàm imperio viuunt, ſeu vitia ſeu virtutes ſequantur. Suſpicioſi ſunt vt qui maximè, atque vt ipſi nihil temere, ſine conſilio nihil moliuntur, ita ex ſuo more alios æſtimare ſolent, obſeruant nutus oculorum, verborum apices examinant, geſtuſque corporis, & ſtudiorum inde opinionem diligentiſſimè colligunt. faciles ſunt ad offenſionem, difficiles ad iniuriarum obliuionem tecti ad vindictam, quam vt perſequantur plerique ſub ſpecie amicitiæ perpetuum odium exercent. *Ex Palat. Eloq. exerc. 6. lect. 1. pun. 3.*

## *Polonorum mores.*

POlonis, vt plurimum dura vita cælo aſpero, nec populi moribus factis ad noſtri ſæculi venuſtatem, & hinc aliquando ſæuiora ingenia. Diuerſoria peregrinos excipiunt, longè à noſtrarum terrarum ratione. Deducuntur in ſedem, quæ inanis & plerunque perfoſſis ad accipiendum lumen parietibus, ve aſtis quoque, & hyemi patet, nulli quibus decumbant lecti, non erecta ad epulas menſa longo, ac multiplici clauo paries fixus eſt. Illic hoſpites ſarcinas, quas habent in ordinem appendunt. Multo deinde ſtramento ſternitur ſolum, & hoc in illis diuerſorijs pro thoro eſt. Itaque per illam regionem proceſſuri, ad iter ipſi ſe comparant, quaſi domum circumducant, cibos, & cætera in alimentum ferunt, lectulos in rhedis collocant, vt nudis illis tectis excepti ſua ſuppellectile, & famem, & frigora arceant. Gens eſt ad ferociam,

ociam, & licentiam nata, quam vocant libertatem, adeo vt infandæ barbariei legem multis ſæculis ibi ſolemnem vix nunc demum omiſerint. Ipſum nomen non tantum ſeruitutis, ſed & iuſti, ac legitimi regni oderunt. Rex ad patrias leges vi, & armis adigitur. Nobilitas triſtibus prærogatiuis ſe ipſa donauit, quibus poſſit ſibi inuicem, & impunè nocere, quippe Princi pi non ſatis iuris eſt, vt quod peccauerint, ipſe vindicet. Maximè ſibi credunt, nec maior libido eſt libertatis in moribus, vitaque inciuili, quam in religionum, & cæleſtium rerum ſenſu, de quibus, vt placet, ſine metu, & ſentire volunt & loqui Scilicet immani fiducia ſui, quos ſapere alieno ductu pudet. Hinc in diuerſa hodie ſciſſę mentes errorumque omnium lues quicumque antiqua ſæcula polluerunt. Quiſque in ſuæ familiæ laudem intentus eſt, præſertim ſi in exteros incidit, & expertes ſuarum tortunarum. Seuire, quam decipere promptiores, & ipſi magis fraudibus, quam vi patent.

*Barclaius in Icone an. c. 8.*

## *Anglorum mores.*

ANglis vt plurimum grauis animus, & in ſe velut ad conſilium ſeductus, ſeipſos, & ſuæ gentis mores ingenia, animos eximiè mirantur. Dum ſalutant, aut ſcribunt, deſcendere ad verba imaginariæ ſeruitutis, quæ iſtorum ſæculorum blanditiæ inuenit, niſi forte externis moribus imbuti, non ſuſtinent. Populus rei maritimæ ſtudioſus, neque aliud tantæ inſulæ validius munimentum, quàm tot nautarum ſedulitas. Diſcrimina omnia, & adeo mortem impetu, pluſquam iudicio ſpernunt. Et hinc vtiliſſimos militum dixeris vbi ducum ſuorum conſilio reguntur. ferox vulgus vbi vino aut ira incaluit, nonnunquam ſuperbiam tumoremque in hoſpitum iniuriam vertit. In tanto turbine animorum eos per æmulæ ſuperbiæ contumaciam laceſſere velle, paulo aliquid ſupra dementiæ malum eſſet. leni, & placido queſtu melius exarmaueris irruentes, nam hic torrens ſi nullo obice irritetur, momento languebit. Patricijs quoque animus ad excipiendos peregrinos ſponte

factus, & famam illius comitatis cum honeſto ambitu quærunt, vt neminem poſſit peregrinationis Britannicæ pœnitere, niſi auerſis incultiſque moribus in barbariem natum, aut indignum, qui Optimatum conſortio miſceatur.

*Barclaius in Icone anim. c. 4.*

*Britannorum veterum mores deſcribit Solinus cap. 24.*

## *Turcarum mores.*

TVrcis ruſtica, ac demiſſa indoles, neque digna libertate, quam non curat vindicare. Rudes animos ne vlla ſcientiarum humanitate mitigent, Mahumetes lege cauit, quo facilius ignari componerentur in legis veſaniam, quam præſcripſit. Gregum, armentorumque, & ſupellectilis præcipua illis curas ædificia vix ad vſus, ne dum ad cultum extruunt, ſiue adhuc Scythicæ originis memores, & vitæ in plauſtris errantis, ſiue quod vnuſquiſque ſuum agrum precario iure poſſidet ad principis nutum, non fundos illos tantum, ſed, & prouinciam mutaturus. Principem ingenerato affectu mirè colunt, vmbram hunc & effigiem Numinis vocant. In ea gente ſæuiſſimi, fœdiuſque in Chriſtianorum odium intenti ij ſunt, qui in eorum ritus à nob s defecere, cæteris mitius ingenium perhibetur. Venena non alibi ingenioſius parantur, & vix credibile quantis artibus vim nocentium rerum exprimant, copulentque, nec aliter ſcilicet, quam per mirabiles aſtus. Nec minus ſtudium venenorum mirabili ſubtilitate excultum ſuſpexeris, quam corruptos in ea gente mores, venundatos magiſtratibus populos, fas æquumq; infra pecuniam poſitum, & cætera vltimæ tyrannidis mala.

*Barclaius in Icone anim. c. 9.*

## *Perſarum veterum mores.*

NAm Perſæ quidem Zoroaſtri legibus temperati, primum habere dicuntur in ciues pacatam, in hoſtes regni formidoloſam exercere vim: huc difficilium laborum facilem tolerantiam adſciſcunt: his

his initijs progreſſi longius iuuenes ex legibus adiſcunt non mentiri: ſuo contentos eſſe: rem alienam, aut laudem imminutum non ire: maioribus natu plurimum tribuere: colere magiſtratus, aſſectari, reducere, nuſquam illis deeſſe: venatu plurimo militiæ præparare vires magnum vectigal eſſe parſimoniam: diuites habendos, qui definiant cupiditati modum: ad ſecundarium panem addito naſturtio nihil ſuauius. Contractis autem ad hunc modum cupiditatibus, vitæque lautioris exoticis voluptatibus amputatis, nihil ſupereſſe cauſæ putant, quamobrem ſeditioſè vexare Rempub. & à moderatis ciuibus diſſidere iuuenes temperati velint, cum alteri nolint eripere, quod poſſidere non poſſint, nihil alteri poſſideant, quod poſſit eripi.

*P. Stephonius proſa 5.*

*Superſedeo hic multorum mores populorum deſcribere, vel quia minus noti ſunt; vel quia non iis ſubiecti dominis ab auitis facile moribus receſſerunt; vel etiam quia ex iis aliqui Chriſtianæ religionis exculti legibus in nouos planè mores abierunt. Itaque auctores, ex quibus deſumi poſſint, indicaſſe ſufficiat.*

*Aethiopum veterum mores deſcribit Iouius hiſt. lib. 18.*
*Aethiopum, quos Abiſſinos vocamus, mores Idem lib. cit. & lib. 33.*
*Aegyptiorum mores Pomp. Mela lib. 1. c. 9.*
*Amazonum mores Q. Curtius lib. 6. Iuſtinus lib. 2.*
*Arabum mores Solinus cap. 36.*
*Braſilorum mores P. Berettarius in Vita P. Anchietæ lib. 1. & P. Maffeius hiſt. Ind. lib. 2. P. Orlandinus par. 1. hiſt. Soc. Ieſu l. 9.*
*Babyloniorum mores Iouius lib. 33. hiſt.*
*Cypriorum mores Anton. Mar. Gratianus de bello Cypr. lib. 1.*
*Hybernorum mores Barclaius in Icone anim. cap. 4.*
*Indorum veterum mores. Q. Curtius lib. 8 Solinus cap. 55.*
*Indorum recentium mores P. Maffeius hiſt. Ind. lib. 1.*
*Iaponum mores P. Maff. hiſt. Ind. lib. 12. P. Turſellinus in Vita S. Franc. Xau. lib. 3. cap. 1. P. Orlandinus par. 1. hiſt. Soc. Ieſu l. 9.*
*Iudaeorum mores Barclaius in Icone anim. cap. 9.*
*Laconum ſiue Spartanorum mores Iuſtin. l. 3. P. Stephonius proſa 5.*

*Moſcorum mores Barclaius in Icone anim. cap. 8.*
*Parthorum mores Iuſtinus lib 41.*
*Scothorum mores Barclaius in Icone anim. cap. 4.*
*Sinarum mores P. Maffeius lib. 6. hiſt. Ind. P. Turſelinus in Vita S. Franc. lib. 3. c. 15. P. Orlandinus par. 4. hiſt. Soc. Ieſu lib. 9.*

# LIBERTAS, ET SERVITVS.

INter tot affectus diſtrahar, imò diſcerpar: libertas propoſita eſt, ad hoc præmium laboratur. Quæ ſit libertas quæris? Nulli rei ſeruire, nulli neceſſitati, nullis caſibus fortunam in æquum deducere: quo die intellexero illam plus poſſe, nil poterit.
*Seneca lib. 7. epiſt 51.*

Quid autem melius potes velle, quam eripere te huic ſeruituti, quæ omnes premit, quam mancipia quoque conditionis extremæ, & in his ſordibus nata, omni modo exuere conantur; peculium ſuum quod comparauerunt ventre fraudato, pro capite numerant. Tu non concupiſces quanticunque ad libertatem peruenire, qui te putes in illa natum? Quid ad arcam tuam reſpicis? emi non poteſt. Itaq; in tabellas vanum conijcitur nomen libertatis, quam nec qui emerunt habent, nec qui vendiderunt. Tibi des oportet iſtud bonum, à te petas.
*Seneca lib. 11. epiſt. 81.*

# SERVITVS.

## *Gualterus ex ditiſſimo Dynaſta Subulcus*

IAm parentatum Imperatoris cæſi manibus erat, cum Gualterus vnus è ſicarijs, poſtquam alia aliaque exilia diu mutauit, obſoleta iam veſte indu-

tus,

tus, barbaque, & fame inſuper, curaque deformis, promptum porro credidit etiam obuios fallere, quoad peregre ſedem reperiret. Igitur dum diebus aliquot vicatim oberrat, doctus etiam à plebe ſtipem rogare, demum in pago ignobili, paſtorem ſuilli pecoris exorat, vt in partem cuſtodiæ admiſſus ſubulcum agere paullula mercede permittatur. In qua tam ſordida, tamque illiberali cura ſi diem vnum, ſi paucas diei horas virum nobilem dixero poſuiſſe, multi mortales qui audient, à gemitu ſibi non temperabunt. Quid porro ſi menſes eum totos, ſi ſolidos annos, ſi plurium annorum luſtra dicam in opere tam vili abiectoque patienter duraſſe; quos admirationis motus, quos miſericordiæ affectus excitabo? Audite (veſtram fidem) audite quotquot adeſtis, quique etiam non adeſtis audite. Homo delicijs innutritus, ac paſtus, idemque nuper, nec generis gloria, nec opum copia, vlli ſecundus, iam ecce ignobilis, & egens, inter non ruſticos, ſed ſubulcos ſeruit, incertum laborioſius an patientius: ſed ſeruijt tamen, & quidem ipſos (audite rurſum, & obſtupeſcite) ipſos in hara ſeruijt quinque, & triginta continuos annos. Et adduci etiam Princeps nobiliſſimus potuit, vt ærumnoſæ vitæ faſtidia, præ acerbiſſimæ mortis infamia lætus amplecteretur. lætus inquam non operis quod tractabat voluptate, ſed periculi, quod metuebat declinatione. Hæc illum conſideratio ad pruinas pluuiasque durare: hæc illi niuium rigorem, hæc cæli hibernantis glaciem, hæc noctis intempeſtæ horrorem lenire conſueuerat. Quoties illum ardentis caniculæ ſoles auertere; quoties inedia fameſque deijcere; quoties aut labor debilitare, aut vigilia conficere, aut cura frangere alioquin potuiſſent; ni vires hæc illi comparatio ad omnia ſufferenda, & peruincenda miniſtraſſet. Hæc omnes illi cibos cōdire, hæc tempus etiam ruri fallere, hæc quicquid graue accideret, in ludum iocumque vertere ſolitabat, vt nullum alibi æquè peritum repererit ad animum tractandum oratorem.

*P. Bidermanus l.2. Acroam.1.pun.6.10. & 12.*

## *Seruus ſubdolus.*

NOn ibo per ſingulas claſſes, ſiue Serui ſubdoli, vafri, verſipellis, ſcitioris quam eſt plebiſcitum, verſutioris quàm eſt rota figularis: thecnas,ac dolos tacitè ferentis,ac ſe artificem fraudis ſepiarum inſtar atramenti effuſione occultantis: ingenio tanquam cultro vtentis, quo hominum exenteret marſupia: inſidias veluti Troianum equum fabricantis, quo non arcem, ſed in Arcam faciat impetum:furis, trifuris crumenicidæ, cum ſenis manibus genere Geryonaceo,quem ſi Argus ſeruet,qui oculeus totus fuit, is nunquam ſeruet.
*P. Famianus lib. 3. pral.2.*

# DIVITIÆ, PAVPERTAS.

CAduca nimium hæc fragilia,puerilibuſque conſentanea crepundijs ſunt,quæ vires,atque opes humanæ vocantur. Affluunt ſubito,repente dilabuntur,nullo in loco, nulla in perſona, ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt: ſed incertiſſimo ſtatu fortunæ huc, atque illuc acta, quos in ſublime extulerunt, improuiſo decurſu deſtitutos,profundo cladium miſerabiliter immergunt. Itaque neque exiſtimari,neque dici debent bona.vt inflictorum malorum amaritudine deſiderium ſui duplicent,propenſiore fauore primo delinitos, maiore poſtea malorum cumulo opprimere ſolent. *Val. Max. l.6. cap.11.*

Cum ad patrimoniũ ventũ eſt diligentiſſimi cõputatores, ſic rationem ponitis ſingulorum,quibus aut pecuniam credituri eſtis, aut beneficia. latè poſſidet,ſed multum debet: habet domum formoſam,ſed alienis nummis paratã:familiã nemo citò ſpecioſiorẽ producit,ſed nominibus nõ reſpondet. Si creditoribus ſoluerit, nihil illi ſupererit. idem in reliquis facere quoque debebitis, excutere quantum proprij quiſque habeat. Diuitem illum putas, quia aurea ſuppellex etiam in via eum ſequitur, quia in omnibus prouincijs

uincijs arat, quod magnus Kalendarij liber euoluitur, quia tantum ſuburbani agri poſſidet, quantum inuidioſè in deſertis Apuliæ poſſideret: & quum omnia dixeris pauper eſt. quare? quia debet. quantum inquis omnia: niſi forte iudices intereſſe, vtrum aliquis ab homine, an à fortuna mutuam ſumpſerit.
*Seneca lib. 13. epiſt. 88.*

Quid aurum atque argentum, illa mortalium numina, quàm vilia nunc nomina, & iam omnibus vulgata cenſentur? Certè argentũ ſæculo adoptauimus, menſæ iam, vaſa, ſellæ, ſcrinia, cætera in quibus vitam ducimus, vita ipſa quam ducimus, argentea eſt. vt iniquiſſimæ ſint eorum querelæ, qui noſtram ætatem ferream eſſe lamentantur. Si quidem in argento ſacra profana, omnia facimus in eo lucubramus, adoramus, ſomnum in eo capimus, cœnamus, perpotamus: & quo ſola regum capita cingebantur, iam eo coronamus, & vina Sic auaritiam lances irritant dum ſatiant ſibi famem, & conuiuæ non magis liquorem pretioſo in poculo, quam ipſum ſitire poculum aſſueſcunt. Denique cum nos tædium argenti cœpit, ex eo ſoleas etiam iumentis induimus, non tam oſtentatione luxuriæ, quàm ludibrio parſimoniæ.
*E. Guiniſius alloc. 5.*

## *Diuitiarum mala.*

CRudelis hominum perſecutor aurum, nulla res in hominũ vita] tecum in certamen venire poteſt. Durum emollis, mollem induras: linguam mutam ſoluis, loquacem comprimis: currendo valentem tardum efficis, ac viciſſim de tardo voluorem. Corda inflammas, & voluptate quadam demulces: ſenſus illecebris, ac præſtigijs quibuſdam excantas: cum interim venuſtas illa tua non minus veneno ſuo, quàm vipera noceat. leges, & iura proculcas: verecundiam, & pudorem abigis, ſepulcra violas, parietes perforas, nihil non habes venale, nihil non prodis. Nimirum fabula mera eſt, quod vulgò dicitur, adamantem ſolum ſanguine molliri; quid enim te poſſit eſſe efficacius etiam in ſaxis emolliendis.
*In Pal. Eloq. exer. 2. l. ct. 14. pun. 5. ex Conſt. Manaſſe.*

## *Paupertas.*

OMnia nimirum habet, qui nihil concupiſcit; eo quidem certius,quam qui cuncta poſſidet: quia dominium rerum collabi ſolet,bonæ mentis vſurpatio nullum triſtioris fortunæ recipit incurſum. Itaqʒ quorſum attinet,aut diuitias in prima felicitatis parte, aut paupertatem in vltimo miſeriarum ſtatu ponere? cum,& illarum frons hilaris multis intus amaritudinibus ſit referta, & huius horridior aſpectus ſolidis, & certis bonis abundet. *Et infra.* Hæc igitur exempla reſpicere, his acquieſcere ſolatijs debemus qui paruulos cenſus noſtros nunquam querelis vacuos eſſe ſinimus. Nullum aut admodum parui ponderis argentum, paucos ſeruos, ſeptem iugera aridæ terræ,indigentia domi, publicè impenſa funera,inopes dotum filias; ſed egregios Conſulatus, mirificas Dictaturas,innumerabiles triumphos cernimus. Quid ergo mediam fortunam, quaſi præcipuum generis humani malum diuturnis conuicijs laceramus? quæ vt non abundantibus,ita fidis vberibus Publicolas,Aemilios, Fabricios, Curios, Scipiones, Scauros,hiſque paria robora virtutis aluit. Exurgamus potius animis pecuniæque aſpectu debilitatos ſpiritus priſtini temporis memoria recreemus. namque per Romuli caſam,perque veteris Capitolij humilia tecta,& æternos Veſtæ focos, fictilibus etiam nunc vaſis contentos iuro; nullas diuitias paupertati talium virorum poſſe præferri. *Val. Max.l.4.c.5.*

Enimuero paupertas olim philoſophiæ vernacula eſt frugi,ſobria,paruo potens, æmula laudis, aduerſum diuitias poſſeſſa, habitu ſecura, cultu ſimplex, conſilio bene ſuada. neminem vnquam ſuperbia inflauit, neminem impotentia deprauauit, neminem tyrannide efferauit. Paupertas priſca apud ſæcula omnium ciuitatum conditrix,omnium artium repertrix,omnium pecatorum inops, omnis gloriæ munifica,cunctis laudibus apud omnes nationes perfuncta. Eadem enim eſt paupertas apud Græcos in Ariſtide iuſta, in Phocione benigna, in Epaminonda ſtrenua,in Socrate ſapiens,in Homero diſerta.Eadem

pauper-

paupertas etiam populo Romano imperium à primordio fundauit, proque eo in hodiernum Dijs immortalibus ſimpulo, & catino fictili ſacrificat.
*L. Apuleius in Apol.*

Quanto certius ſecuriuſque viuunt, quos nulla auri aut parandi auiditas, aut amittendi metus vrget? quàm placidos dies ducunt, quàm pacatas noctes? intuere vultus eorum, qui ſecuritatem mentiſque tranquillitatem ex valido opum contemptu natam non ab Epicuro aut Stoico, ſed ab Euangelio didicerunt. Vide quàm læto ſupercilio, quàm exporrecta fronte, quàm ridentibus genis, non dicam abeuntes opes dimiſerint, ſed in ſinum prouolantes, & importunè ſe ingerentes repulerint: poſſeſſis etiam ſe exuentes, quò expeditiores forent ad deſtinatam æternitatis metam.
*P. Scribanius in Phil. Chriſt. c. 3.*

# FELICITAS, ET MISERIA.

## *Homo felix.*

QVicquid nos meliores, beatoſque facturum eſt, aut in aperto, aut in proximo poſuit. Si animus fortuita contempſit, ſi ſe ſupra metum ſuſtulit, & poſuit, nec auida ſpe infinita complectitur, ſed didicit à ſe petere diuitias: ſi deorum hominumque formidinem eiecit, & ſcit non multum eſſe ab homine timendum: ſi contemptor omnium quibus torquetur vita, dum ornatur, eo productus eſt, vt illi liqueat, mortem nullius mali eſſe materiam, multorum finem: ſi animum virtuti conſecrauit, & quacunque vocat illa, planum putat: ſi ſociale animal eſt, & in commune genitus, mundum vt vnam domum ſpectat, & conſcientiam ſuam dijs aperuit, ſemperque tanquam in publico viuit, ſe magis veri-

tus ,quam alios; ſubductus illis tempeſtatibus, in ſolido, ac ſereno ſtetit, conſummauit ſcientiam vtilem,atque neceſſariam. Reliqua oblectamenta ocij ſunt. *Seneca lib. 7. de benef. c. 1.*

Infelix eſt Mutius, quod dextera ignes hoſtium premit, & ipſe à ſe exigit erroris ſui pœnas? quod Regem, quem armata manu non potuit, exuſta fugat? Quid ergo felicior eſſet,ſi in ſinu amicæ foueret manum? Infelix eſt Fabritius, quod rus ſuum,quantum à republica vacauit, fodit? quod bellum tam cum Pyrrho,quam cum diuitijs gerit?quod ad focum cœnat illas ipſas radices, & herbas, quas in agro triumphalis ſenex euulſit? Quid ergo felicior eſſet ſi in ventrem ſuum longinqui littoris piſces, & peregrina aucupia congereret? Si conchilijs ſuperi atque inferi maris pigritiam ſtomachi nauſeantis erigeret? Si ingenti pomorum ſtrue cingeret primæ formæ feras captas multa cæde venantium? Infelix eſt Rutilius, quod qui illum damnauerunt, cauſam dicent omnibus ſæculis, quod æquiore animo paſſus eſt ſe patriæ eripi, quàm ſibi exilium? quod Syllæ dictatori ſolus aliquid negauit, & reuocatus non tantum retro ceſſit, ſed longius fugit? Viderint, inquit, iſta quos Romæ deprehendit felicitas tua. Quid ergo felix eſt L. Sylla, quod illi deſcendenti ad forum gladio ſubmouetur,quod capita conſulariũ virorum patitur oſtendi,& pretium cædis per Quæſtorem,ac tabulas publicas numerat? Et hæc omnia facit ille, qui legem Corneliam tulit. felicem tu Mœcenatem putas, cui amoribus anxio, & moroſæ vxoris quotidiana repudia deflenti, ſomnus per ſymphoniarum cantum ex longinquo lene reſonantium quæritur? Inero ſe licet ſopiat, & aquarum fragoribus auocet, & mille voluptatibus mentem anxiam fallat,tam vigilauit in pluma, quam Regulus in cruce. Sed illi ſolatium eſt pro honeſto dura tolerare,& ad cauſam à patientia reſpicit: hunc voluptatibus marcidum, & felicitate nimia laborantem, magis his, quæ patiatur, vexat cauſa patiendi Semper eſſe felicem,& ſine morſu animi velle tranſire vitam, ignorare eſt rerum naturæ alteram partem.

*Seneca in lib. Quare bon. vir. mala acc. c. 4*

Etenim plus reor hominibus aduerſam, quam proſperam

ſperam prodeſſe fortunam. illa enim ſemper ſpecie felicitatis cum videtur blanda, mentitur, hæc ſemper vera eſt, cum ſe inſtabilem mutatione demonſtrat: illa fallit, hæc inſtruit: illa mendacium ſpecie bonorum mentes fruentium ligat. hæc cognitione fragilis felicitatis abſoluit. Itaque illam videas ventoſam, fluentem, ſuique ſemper ignaram, hanc ſobriam ſuccinctamque, & ipſius aduerſitatis exercitatione prudentem. Poſtremò felix à vero bono deuios blanditijs trahit, aduerſa plerunque ad vera bona reducens velut vnco retrahit.

*Boetius de conſ phil. lib. 2. pro. 8.*

## *Calamitas ſiue miſeria.*

MOdo fortuna noſtras in nos manus aduocat, modo ſuis contenta viribus, inuenit pericula ſine auctore: nullum tempus exceptum eſt; in ipſis voluptatibus cauſæ doloris oriuntur. Bellum in media pace conſurgit, & auxilia ſecuritatis in metum tranſeunt. Ex amico inimicus, hoſtis ex ſocio. In ſubitas tempeſtates, hyberniſque maiores agitur æſtiua tranquilitas: ſine hoſte patimur hoſtilia; & cladis cauſas, ſi alia deficiunt, nimia ſibi felicitas inuenit. Inuadit temperatiſſimos morbus, validiſſimos phthiſis, innocentiſſimos pœna, ſecretiſſimos tumultus. Eligit aliquid noui, caſus, per quod velut oblitis vires ſuas ingerat. Quicquid longa ſeries multis laboribus, multa Dei indulgentia ſtruxit, id vnus dies ſpargit, ac diſſipat. Incrementa lentè exeunt, feſtinatur in damnum: nihil priuatim, nihil publicè ſtabile eſt: tam hominum quam vrbium fata voluuntur. Inter placidiſſima terror exiſtit, nihilque extra tumultuantibus cauſis, mala vnde minimè expectabantur, erumpunt. Quæ domeſticis bellis ſteterant regna, quæ externis, impellente nullo ruunt. Quota quæque felicitatem ciuitas pertulit?

*Seneca epiſt. 92.*

## *Miſerabilis Belliſarij calamitas.*

HIccine eſt Belliſarius tot populorum domitor, tot expugnator vrbium? ſtipem petit is,cuius, armis vitam Principes precariam debent? qui fortunas regum atque diuitias ſuperbo quondam pede calcabat,obolum non habet. ſpectat orbis vniuerſus Belliſarium infelicem, cuius laboribus ſtat imperij felicitas? ſpectat nudum, & inopem, quem modo militum infinita multitudo cingebat vndique affuſa lateribus? Ille ille Belliſarius imperij gloria,Imperatorum deliciæ, ciuium amor, hoſtium terror hæret mendicus ad oſtium, turpis, ſqualore obſitus,exhauſtus fame, dedecore oppreſſus, atque infamia: ſine re,ſine lare,ſine nomine,ſine fortunis,exul orbis terrarum,pene a cōmuni vſu ſpiritus animalis excluſus. O fortunæ temeritatem. Itane ludis in capita Principum? modo blanditis,modo ſæuis, modo arrides,inuides,erigis, deprimis; quoſque ante muneribus tuis obrueras, momento temporis à delicijs ad egeſtatis anguſtias, ex triumphis ad funera, ex victorijs ad clades,ex honoribus ad infamiam traducis. *Ex Pal. Eloq. exer.7.lect. 3 pun.9.*

# VOLVPTATES. DELICIÆ.

NVllam capitaliorem peſtem,quàm corporis voluptatem,hominibus dicebat à natura datam: cuius voluptatis auidæ libidines temere,& effrenatè ad potiundum incitarentur.Hinc patriæ proditiones, hinc rerum,publicarum euerſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſci dicebat: nullum denique ſcelus, nullum magnum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impelleret: ſtupra verò, & adulteria, & omne tale flagitium nullis

alijs

alijs illecebris excitari niſi voluptate. Cumque homini ſiue natura, ſiue quis Deus nihil mente præſtabilius dediſſet, huic diuino muneri, ac dono nihil eſſe tam inimicum, quàm voluptatem. Nec enim libidine dominante temperantiæ locum eſſe omnino, nec in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere. *Cicero. lib. de ſeneẞ.*

Quid diſſimilia, imò diuerſa compoſitis? Altum quiddam eſt virtus, excelſum, & regale, inuictum, & infatigabile: voluptas humile, ſeruile, imbecillum, caducum, cuius ſtatio, ac domcilium fornices, & popinæ ſunt. Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem. puluerulentam, coloratam, calloſas habentem manus voluptatem latitantem ſæpius, ac tenebras captantem, circa balnea, ac ſudatoria, ac loca Aedilem metuentia, mollem, eneruem, mero atque vnguento madentem, pallidam atque fucatam, & medicamentis pollutam. Voluptas tunc cum maximè delectat, extinguitur; Nec multum loci habet. itaque cito implet, & tædio eſt, & poſt primum impetum marcet. *Seneca lib. de vita bea. c. 7.*

*Vide deſcriptiones Vitæ delicijs affluentis ſub. Titulo Vita Humana.*

# DIGNITATES HVMANÆ.

## *Rex ſiue Monarcha.*

EGo ex omnibus mortalibus placui, electuſque ſum, qui in terris deorũ vice fungerer: ego vitæ neciſque gentibus arbiter, qualem quiſque ſortem, ſtatumque habeat, in manu mea poſitum eſt. Quid cuiq; mortaliũ fortuna datum velit meo ore pronunciat. Ex noſtro reſpõſo lætitiæ cauſas populi, vrbeſq; concipiunt. nulla pars vſquam, niſi volente propitio-

que me floret. Hæc tot millia gladiorum, quæ pars mea comprimit], ad nutum meum ſtringentur: quas nationes funditus exſcindi, quas tranſportari, quibus libertatem dari, quibus eripi, quos reges mancipia fieri, quorumque capiti regium circumdari decus oporteat, quę vrbes ruant quæ oriantur, mea iuriſdictio eſt. [in hac tanta facultate rerum, non ira me ad iniqua ſupplicia compulit, non iuuenilis impetus, non temeritas hominum, & contumelia, quæ tranquilliſſimis pectoribus quoque patientiam extorſit, non ipſa oſtentandæ per terrores potentiæ, dira, ſed frequens magnis imperijs gloria. Conditum, imò conſtrictum apud me ferrum eſt. Summa parſimonia etiam viliſſimi ſanguinis. Nemo non, cui alia deſint hominis nomine apud me gratioſus eſt: ſeueritatem abditam, clementiam in promptu habeo. Sic me cuſtodio, tamquam legibus quas ex abdito, ac tenebris in lucem euocaui, rationem redditurus ſim. *Seneca lib. 1. de clem. c. 1.*

## *Princeps Optimus.*

SÆpe ego meum P. C. tacitus agitaui, qualem, quantunque eſſe oporteret, cuius ditione, nutuque maria. terræ pax, bella regerentur; cum interea fingenti, formantique mihi principem, quem æquata dijs immortalibus poteſtas deceret, nunquam voto ſaltem concipere ſuccurrit ſimilem huic, quem videmus. Enituit aliquis in bello, ſed obſoleuit in pace: alium toga, ſed non arma honeſtarunt: reuerentiam ille terrore, alius amorem humanitate captauit. Ille quæſitam domi gloriam, in publico, hic in publico partam domi perdidit. Poſtremo adhuc nemo extitit, cuius virtutes nullo vitiorum confinio læderentur. At principi noſtro quanta concordia, quantuſque concentus omnium laudum, omniſque gloriæ contigit, vt nihil ſeueritati eius hilaritate, nihil grauitati ſimplicitate, nihil maieſtati humanitate detrahatur. Iam firmitas, iam proceritas corporis, iam honor capitis, & dignitas oris, ad hoc ætatis indeflexa maturitas, non ſine quodam munere Deum feſtinatis ſenectutis inſignibus ad augendam maieſtatem

ornata

ornata cæſaries nonne longè, latèque principem oſtentant. *Plinius Sec. in Paneg. Traia.*

Romanorum enim omnium, atque adeo gentium vniuerſarum ſermone perhibetur tanta virtute, tanta fortuna, tanta clementia, tanta liberalitate florentiſſimus ille Rex, & quorum corporibus ditione, ac poteſtate non imperat, in eorum animis amore, ac beneuolentia dominatur. Mirantur in eo tantum ornamentorum omnium, virtutumque concentum, vt fortuna cum ratione, cum hilaritate ſeueritas humanitas cum maieſtate, quaſi cum acutis grauia, vt fieri ſolet in fidibus, proportione concordet.
*P. Tar. Gallutius to. 1. or. 15.*

## *Tyrannus.*

Tyrannis ſæuitia cordi eſt. Tyrannus autem à Rege diſtat factis non nomine. Nam & Dionyſius maior iure meritoque preferri multis regibus poteſt. Et L. Syllam appellari tyrannum quid prohibet cui occidendi finem fecit inopia hoſtium. Deſcenderit licet è dictatura ſua, & ſe rogæ reddiderit, quis tamen vnquam tyrannus tam auidè humanum ſanguinem bibit, quam ille qui ſeptem millia ciuium Romanorum trucidari iuſſit? Et cum in vicino ad ædem Bellonæ ſedens exaudiſſet conclamationem tot millium ſub gladio gementium, exterrito Senatu: Hoc agamus inquit, P. C. Seditioſi pauculi meo iuſſu occiduntur. Hoc non eſt mentitus: pauci Syllæ videbantur. Hoc inter Regem tyrannumque diſcrimen eſt; quod alter arma habet, quibus in munimentum pacis vtitur, alter vt magno timore magna odia compeſcat. Nam vt inuiſus ſit quia timetur, timeri vult quia inuiſus eſt. O miſerabilem illum, ſibi certe; nam cæteris miſereri eius nefas ſit, qui cædibus ac rapinis potentiam exercuit, qui ſuſpecta ſibi cuncta reddidit, tam externa, quam domeſtica, cum arma metuat, ad arma confugiens, non amicorum fidei credens, non liberorũ pietati. Qui vbi circumſpexit quæq; fecit quæque facturus eſt, & conſcientiam ſuam plenam ſceleribus, ac tormentis adaperuit,

ſæpe mortem timet, ſæpius optat inuiſior ſibi quàm ſeruientibus. *Seneca l. 1. de clem. c. 12. & 13.*

Remoramur, reſiſtimus, vt in communi domo. Quam nuper immaniſſima bellua plurimo terrore munierat, cum velut quodam ſpecu incluſa, nunc propinquorum ſanguinem lamberet, nunc ſe ad clariſſimorum ciuium ſtrages, cædeſque proferret. Obuerſabantur foribus horror. & minę, & par metus admiſſis, & excluſis. Ad hæc ipſe occurſu quoque, viſuque terribilis. Superbia in fronte, ira in oculis, femineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore ſuffuſa. Non adire quiſquam, non alloqui audebat tenebras ſemper ſecretumque captantem, nec vnquam ex ſolitudine ſua prodeuntem, niſi vt ſolitudinem faceret. Ille tamen quibus ſibi parietibus, & muris ſalutem ſuam tueri videbatur, dolum ſecum, & inſidias, & vultorem ſcelerum Deũ incluſit. *Plinius iunior in Paneg. Traia.*

Nos primi impetum belluæ furentis excepimus, nos ſæuitiam eius innocentium ſanguine, nos cupiditatem publica paupertate ſatiauimus. Apud nos ſemet exercuit crudelitas iam ſecura, & adhuc inops auaritia. Quid ego referam vacuatas municibus ſuis ciuitates, impletas fugitiuis nobilibus ſolitudines? quid perſunctorum honoribus ſummis virorum bona publicata, capita diminuta, vitam aere taxatam? Vidimus redactas in numerum dignitates, & exutos trabeis Conſulares, & ſenes fortunarum ſuperſtites, & infantium ſub ipſo ſectore ludentium flendam ſecuritatem, cum interim miſeri vetabamur agere miſeros, immo etiam cogebamur mentiri beatos; & cum domi atque ſecreto ſolis coniugibus, ac liberis credidiſſemus furtiuum dolorem, procedebamus in publicum non noſtræ fortunæ vultu. Serenos nubilis mentibus vultus induebamus, & ad illorum vicem, qui deguſtato Sardorum graminum ſucco feruntur in morte ridere, imitabamur læta mœrentes. Spes inter hæc nulla prædonis explendi.
*Lat. Pacatus in Paneg. Theod.*

Acrior tamen in Tyrannos hic pauor, quod ſiue Rempublicam oppreſſerint, vindices libertatis optimates timeant, (quos antea ſibi pares ægrè ſeruirè non dubitant) ſiue in regnum inuaſerint, ijs expulſis,

quibus

quibus illud debebatur, populum in veteres Dominos pronũ, aſſiduæ cogitationis moleſtia ſibi fingant. Itaque nec amicis ſatis fidi ſunt, quod ad notitiam conſiliorum admoti, ſciant quoque à quo latere ſua Tyrannis peti poſſit, & lædi, & fidem in nemine expectant, quam ipſi violarint. Palam tamen & ex compoſito, ſubornata beneuolentiæ materia, integritatis famam, amoriſque in Rempublicam ambiunt In egenos liberalitatis effuſæ. Vltores vitiorum, quorum ipſi exemplum fecerant, legum denique optimarum onerumque publicorum ad Ciuitatum ornamenta, vel auctores, vel vindices. Ita præſentem inuidiam & apud poſtremos infamiam amoliuntur. Hec modo Tyrannus, vt plurimum ſortis ſuæ, non ingenij vitio peccat, aut neceſſitate probus eſt. Illius animus immodicè auſterus, & blandus intuitus, erectus ad omnia, preſertim quæ formidet, syncerę voluptatis ignarus, cuius ſpe diducitur, vano decore atroces moleſtias permulcens, velut fuco, & ipſe ſibi imponens. *Barclaius in Iconę anim. c. 13.*

## *Aula Aulici.*

QVot artibus, quotque moleſtijs conſtet hęc vita quot curas ſimulatio miſerrimæ frontis obducat, ne ij quidem ſatis dixerint, qui diu ſuos ambitus illis malis luerunt. Neque vllus in hoc freto portum meretur, niſi qui adeo intelligat ſibi curam laboremque aſſiduum eſſe debere, vt hæc ipſa quæ in eiuſmodi vita molli iucunditate blandiuntur, in ſeueros vſus flectat, & ſemper in illis delicijs inueniat induſtriæ curarumque materiam. Eſt igitur in dignis hominibus, qui Regiam propitijs fatis colant, non præceps animus, non impatiens lentæ, ac multiplicis ſpei compoſitus, ſemperque in fortunam intuens, ne incurioſos effugiat, ſi quid illa etiam perplexè annuerit. Sed nec expectant in otio, donec vltro illa felicitatis ſemina occurrant. Magnis artibus iuuant fortunæ fauere volentis induſtriam: quarum fortaſſe præcipuam dicas, quam plurimos amicitia complecti, aliquem autem multo cultu demereri ex ijs, quos Princeps ad gratiam primæ familiaritatis admo-

admouerit. Eſt, & alius in Regijs labor multa vtilitate ſpectabilis; verſatilem animum in diuerſa componere, & motus affectusque quicunque iuuabunt, ſaltem in ſpeciem induere poſſe: quod vix commodè vllus vnquam perfecerit, abſque ſedula auſteraque diligentia, aut ſummo in ſuas cupiditates imperio. Ea arte multis hominibus parta res atque decus in Principum familijs vbi non modo ſimulatio ad eorum ſtudia flectenda eſt, ſed etiam ambiendi, qui gratia apud illos excellunt.
*Barclaius in Icone anim. c. 13.*

# DIGNITATES SACRÆ.

## *Pontifex Maximus.*

NAm quid dicam de beatiſſimo terrarum moderatore, ac paſtore populorum omnium, ad quem omnis immortalis Dei potentia ita tranſlata eſt, vt regum regna confirmet, & ſtabiliat imperia: vt ad eius pedes, quos ſuppliciter exoſculantur abijciant ſe ampliſſimi principes orbis terræ, & imperata facturos non minus libenter, quàm verè profiteantur? cuius tanta eſt auctoritas, atque erit dum genus extabit humanum, nimirum Deo proxima, vt vnus æternæ vitæ, necisque in homines habeat poteſtatem: ſic vt vno eius verbo addito, vel tanquam prærogatiua, aperiatur Cælum, vel tanquam præiudicio claudatur mortalibus.
*P. Bencius orat. 2.*

Sacroſanctam regalis Sacerdotij dignitatem in Romano Pontifice omnes agnoſcimus, & vnicè veneramur veritatis interpretem, Religionis antiſtitem, officij magiſtram, decori cuſtodem, regnorum moderatricem, humani generis parentem, Præſidem publicæ felicitatis. Quæ ciuitates præceptis erudiret ad ſapientiam, legibus ad iuſtitiam informaret, viribus inſtrueret ad tolerantiam laborum, moribus imbueret ad inſignem ſpeciem honeſtatis, cupiditatibus temperaret ad pacem, virtutibus coloraret ad gratiam,

tiam laudibus condecoraret ad gloriam, ſpiritu veritatis animaret ad vitam, artificioque ſuo, quaſi digito tractaret, eoque vſque perpoliret, ac fingeret, quoad indoles, & adoptio filiorum Dei tranſiret in indolem, & hæreditatem Cœleſtis Patris. Interim domi, foriſque publica priuata, ſacra, profana moderatur ad præſcriptum, & exemplum veritatis, inſinuante ſe ſubinde Cœleſtis inſtincta ſpiritu charitatis: ne ſemel accepta docendæ veritatis auctoritas deſeratur: ne Religionis ſanctitas violetur, vt iuris vtriuſq; prudentia vera tradatur, vt Sacerdotalis imperij perpetuò conſeruetur incolumis in Vaticana Sede fundata Maieſtas. Et iure quidem optimo: ſiquidem ex nulla commodius Arce, quam ex ea vexillum veræ libertatis, & religionis extollendum fuit, in qua gentes omnes auctoramentum acceperant ſuperſtitionis, & ſeruitutis. Caput hoc erat terrarum hic: hic excitandum domicilium ſanctitatis; hic aperiendum fuit æquitatis Aſylum; hic cortina varietatis; hoc commune perfugium virtutum: hoc emporium nationum. Vt inde Diuinæ Sapientiæ vena tanto pronius deriuaretur ad vnam quamque terrarum oram; quanto cæteris regnis Romanum faſtigium altius emineret. *Ex lib. Orat. de S. Spir. aduen. or. 5.*

Hæc Petri ſedes, hæc verè aurea eſt gemmis, margaritiſque diſtincta clariſſimis; hæc auditores, & diſcipulos habet, non homines vulgares modo, genteſque terrarum obuias, verum etiam doctiſſimos, ac poſt homines natos ſapientiſſimos viros, ad percipiendam diuinitus acceptam diſciplinam, non quidem in minoribus ſubſellijs circumſedentes, ſed prouolutos in genua, & tanquam numine ſupplicabundos. Hæc verè digniſſima ſedes eſt, ad quam non Apollonius, qui vanus, & nequā erat, ſed optimus, & prudentiſſimus quiſq; è poſtremis terræ finibus contendat: vt tandem aliquando ex aureo illo Solio Petrum audiat, non de rerum natura, non de ſyderum motu ſed de Deo, deque Dei Filio, de ijs, quæ ſub aſpectum non cadunt, de animorum expiatione ſaluberrima differentem.

*P. Tarq. Gallutius to. 2. or. 10.*

POM-

# POMPÆ, ET SPECTACVLA PVBLICA.

*Carolum V. Imperatorem Boneniam ingredientem cum exercitu, & pompa, eiuſdemque inaugurationem, & coronationem pluribus deſcribit Iouius lib. hiſt. 27 circa medium.*

*Triumphi deſcriptionem Vide inter Titulos Artis militaris.*

# LVDI PVBLICI.

## *Ludicra armatorum pugna.*

IVuenes etiam quidam Romani ludrico Circenſi ad vſum belli verſo partem humillimam muri cæperunt. Mos erat tum nondum hac effuſione inducta beſtijs omnium gentium circum complendi, varia ſpectaculorum conquirere genera: nec ſemel quadrigis, ſemel deſultore miſſo, vix vnius horæ tempus vtrumque curriculum complebat. Inter cætera ſexageni ferme iuuenes, interdum plures aparitoribus ludi armati inducebantur. Horum inductio in parte ſimulachrum decurrentis exercitus erat; ex parte elegantioris exercitij quàm militaris artis, propiorque gladiatorium armorum vſum. Cum alios decurſus edidiſſent motus quadrato agmine facto, ſcutis ſuper capita denſatis, ſtantibus primis ſecundis ſummiſſioribus, tertijs magis & quartis, poſtremis etiam genu nixis faſtigiatam ſicut tecta ædificiorum ſunt, teſtudinem faciebant. Hinc quinquaginta ferme pedum ſpatio diſtantes duo armati procurrebant, comminatique inter ſe ab ima in ſummam teſtudinem per denſata ſcuta cum euaſiſſent, nunc velut propugnantes

gnantes per oras extremæ teſtudinis,nunc in medio inter ſe concurrentes,haud ſecus, quàm ſtabili ſolo perſultabant. *T. Liuius dec. 5. lib. 4.*

## *Gladiatorum certamen.*

LVdorum diebus exhibebantur paria gladiatorum, qui nudi in medio theatro decertantes, ſuis vulneribus exprimerent imaginem quandam præliorum. redundabat miſerando ſanguine tota cauea; ſpectatorum animi crudeles illo tam triſti,& luctuoſo ſpectaculo paſcebantur; tantaque immanitas hominum mentes errore cœcas imbuerat,vt eum fortiorem iudicarent, qui rueret ad interitum audacius;eum miſericordia minus dignum arbitrarentur, qui illā vehementius afflagitaret.hinc illa verba ſunt, ferrū recipe,iugulum præbe. non hominum ſpectaculis digna,ſed carnificina barbarorū; non ciuitatum nobilium theatris, ſed luſtris immaniſſimarum belluarum. *P.Perpinianus or. 3. de S.Eliſab.*

## *Luctator.*

NOn poteſt athleta magnos ſpiritus ad certamen afferre, qui nunquam ſugillatus eſt. Ille qui ſudit ſanguinem ſuum, cuius dentes crepuerunt ſub pugno, ille qui ſupplantatus aduerſarium toto tulit corpore,nec proiecit animum proiectus,qui quoties cecidit contumatior reſurrexit, cum magna ſpe deſcendit ad pugnam. Ergo vt ſimilitudinem iſtam proſequar, ſæpe iam fortuna ſupra te fuit.nec tamen tradidiſti te, ſed ſubſilijſti,& acrior conſtitiſti. Multum enim adijcit ſibi virtus laceſſita. *Seneca epiſt. 13.*

## *Curſus Iudæorum Romæ.*

TVnc verò excitatiſſimis vulgi clamoribus ad præmium animari Iudaicam è carceribus fugam, & fugaces propelli curſores populi continenter exſibilantis aura. Tunc alij petulanti è plebecu-

la

ſis dicteriis fodicare: putribus alij coniectis malis medicis laſſitudini male mederi: alij pallijs incuſſis incommode ſudorem detergere: nonnulli etiam incitatis cruribus virgarum ſtimulos adiungere, aut cum veſtigio volucrem ſpem victoriæ improuiſa ſupplantatione deijcere. At contra Iudæorum natio diuerſo multiplicique de loco Stadiodromis ſuis voce, nutu, geſtuque ſubinde ſuppetiari, & animos vireſque pro virili adijcere: Age, inquiunt, perge, præcurre: parum abeſt: quin præuerte, præuola: primos palmæ fructus pedibus præcerpe. O factum male. ceſpitans prolapſus eſt ſurge, feſtina, non indecoro luti tectorio ceruſſatus, totuſque vel ſine pileo luteus, nudos potes ſuperare. Hæc aliaque permulta ſuis addunt Iudæi curſoribus calcaria. Sed quamuis omnes hebraicis hortatibus exſtimulentur, bini tamen, terniue duntaxat optatam perſeuerant ad metam cæteris ſiue labore, ſiue ludibrio delaſſatis. Denique victor plaudentium vociferatione ſpectatorum excipitur, interque raucum tubarum gaudium præmio donatus per triumphum reuertitur in olidum acclamantium recutitorum theatrum.

*P. Ferrarius in Collocut. coll. 1.*

## *Curſus Equorum.*

Poſt carceres ſuum quiſque equiſo bene curatum, & panis nonnulla offa valido vino inſuccata affatim refectum in equum imponit, aut ſeſſorem cum flagello puerum, aut ligneas pilas indito plumbo prægraues, ferreis vndique ſtimulis aculeatas, funiculis vtrinque dependulas, qui craſſiori telæ, pice dorſo agglutinatæ inſuti ſunt, vt crebro incitent verbere currentem. Sic leuiter inſtructi, & frontem charactere de more ſtellati, nec non loca ordine ſortiti, poſt funis repagulum equi ſiſtuntur. quamquam illi ſagina, & indole alacres ſtare loco neſciunt, & crebris hinnitibus, omnibuſque vngulis moram increpantes in curſum prægeſtiunt. Denique is qui laxando repagulo præſidet, audito vix tubę ſigno, leuato manubrio vncum deprimit, vnde funis excluſus, prægrauante oppoſiti ſaxi pondere, momento cadit. Tum

equina

equina cohors volucri fuga ex oculis euaneſcit. Tum non vnus alato tergo, ſed plures implumibus volatiles pedibus Pegaſi ſic properant, vt illis idem ſit carcer, & meta idem pergere, & peruenire: ac præ ipſis claudicet quamuis perniciſſima, tamen è longinquo ſequax oculorum acies, & animorum. Crederes ventos, & fulmina catadromum decurrere. parum dixi. Grandiloquo Statij carmine citius velocitatem aſſequar.

*Quæ tandem carbaſa ponto?*
*Quæ bello ſic tela volant? quæ nubila cælo?*
*Amnibus hibernis minor eſt, minor impetus igni.*
*Tardius è ſummo decurrunt flumina monte:*
*Tardius aſtra cadunt: glomerantur tardius imbres.*

Itaque ipſa velocitatis voluptas ingrata eſt, quia momento tranſit. Victor equus quamquam inter acclamantium hominum, interque adſtrepentium tubarum plauſus palmam refert auri textilis, argentea tela ſubſuta pretioſè bicoloris: ſuæ tamen gloriæ ignarus, & rudis equino vilis paleæ, ac neglectæ frugis epulo donatur.

*P. Ferrarius in Collocut. coll. 1.*

## § *Senenſis Pugilatus, ſiue Pugna pugnis pugnata.*

IGitur vbi harpaſti velitatio alternante plerumque partis vtriuſque victoria, inter innoxia ſibila, & feſtas acclamationes ſatis proluſit: ad ſuarum ſe capita viarum gemina recipit acies, manibus inermibus pugnatura. Etenim ſolemne ijs pugilibus eſt contra quam veteres conſueuerint, quolibet anulorum cæſtu exarmatis, & nudis, compreſſiſque digitis micare. Quin etiam vel caſu prolapſi, vel impulſu deiecti ſurgere permittuntur impunes: vt noui Hercules ſuis cum Antæis ex æquo congrediantur. Iam verò ſua cuiuſque agminis tuba aere bellico viros ciet, mutuique Martis flammas canoro ſpiritu accendit. Iam doctæ Palladis milites litterati voce, manu & increpante moram tuba hoſtile agmen inuitant, & prouocant. Iam prouocatum raucas minas reſponſante

claſſico

claſſico procedit. Iam toto è foro ſpectatores accurrunt, & pugnæ locum denſa vtrinque ſerie ſtipant. Iam concurritur, & fit impetus. Iam varijs verè modis manus conſerunt: ſiue vt poeticè dicam, *Immiſcentque manus manibus, pugnamque laceſſunt:* mirum dictuque viſuque. Omnes quamuis rudes, & indiotæ ſine ſtrepitu vocis dialecticis barbaræ formæ pugnis ſtrictim, ſolidè, validèque argumentantur: & hi liuidum hoſtilibus oculis, illi contra cruentum naribus argumentum imprimunt. libet dum illi pulſant, iſta concinere.

*Multa viri nequicquam inter ſe vulnera iactant,*
*Multa cauo lateri ingeminant & pectore vaſtos*
*Dant ſonitus: erratque aures, & tempora circum*
*Crebra manus: duro crepitant ſub vulnere malæ,*

donec vtrinque tundentium efficaci miraculo dextrarum capita in tubera transformantur. Quod ſi victrice pugnorum petulantia repulſis propugnatoribus aggreſſores irrumpant: opima ſpolia ex officinis præſertim cibarijs atque dulciarijs, niſi maturè præcludantur, non ſine lætabunda ſublatorum altè pileolorum ventilatione, & victos exſibilante triumpho, ex aggreſſoribus prædatores exportant: ac veluti bellicam victores prædam, illa in vulgus miſſilia ſpargunt. Sin autem Palladij commilitones hoſtem repugnacibus dentifrangibulis, ac denaſantibus pugnis retuderint, atque repulerint: re infecta indecorè abeuntem ſonoro ſibilorum irriſu proſequuntur. Ita mutuis vtraque ſeſe factio aggreſſionibus inceſſit: & qua victrix, quà victa priſcum pugilatum quotannis, inermi tamen, & innocentiore certamine inſtau rat.

*P. Ferrarius in Collocut. coll. 2.*

## *Lapidatio militaris Romæ ludus.*

VBi geminæ acies mutuum in coſpectum venerunt, continuo fit clamor, & impetus. Prima in fronte pueruli, nempe tirunculi audaculi ferociter velitantur. Puerilem velitationem conſequitur periciorum è medio agmine puberum atrocior: tum è poſtremo atrociſſima veteranorum, ipſorumque

Ducum

Ducum fortiſſimorum eruptio. Tunc enimuero, addente alas furore, ſaxa volant innumera, quæ violenti laborioſique volatus demum pertæſa, ſuam in ſedem & centrum, per obſtantium humanorum capitum perruptas, perfractaſque moras cruentam ſibi viam aperiunt. Ita concreta graues in lapides terra, in volucrem libertatem manumiſſa, pro liberatoribus ſuis mirabili ſpectaculo in aere militat: & ſiccum diluuium non niſi poſt caſum cruore madet. Videas hic alios læua circumuoluto pallio clypeata, pluuios contra ictus ſeſe protegere: alios agili callidoque corporis flexu, & leui ſaltu violentam petitionum tempeſtatem declinare: vulnerato alios capiti ſubitariam terræ iniectu medicinam facere, obligatoque raptim vulnere pugnam ardentius redintegrare, perinde quaſi ſe ſe auctior per vulnus infuderit furor. Porrò plerunque fit, vt alternante victoria, conflictio fluctuet, & vadabundum vtrumque ſe agmen vltrò citroque propellat. Quod ſi factionis alterutrius acies inclinare cœperit in fugam: tum verò ſine mora, ſine requie fugientum terga lapidum poſtica grandine grauiter vapulant. Denique profligato bello, victores fugitiuorum aures hoſtium, & animos ſonoris ſibilis conuicijſque proſcindunt.

*P. Ferrarius in Collocut. coll. 2.*

*Ab eodem Florentinum Harpaſtum, ſiue Calcis ludus elegantiſſimè deſcribitur; quam deſcriptionem vt potè exactiſſima rerum enumeratione concinnatam, ideoque ſolito longiorem leges ibid. colloc. 3.*

*Item Piſanum ludicrum, hoc eſt Piſano in ponte conflictus deſcribitur ab eodem ibidem colloc. 4.*

## *Perſonati ludiones morboſa corporis habitudine.*

Ecce prodeunt è gurguſtijs congerrones infimæ ſortis, mendoſiſſima membrorum ſtructura compacti, alij alijs corporis partibus imminuti, ac diſtorti, mira ægritudinum diuerſitate morboſi, mutili pedibus, humeris gibberoſi, vlceroſi capite, cæcultantes oculis, ventrioſi, ſuſpirioſi, liene turgidi,

eruptionibus puſtularum inflati,colore buxei,ferrei, porracei,luridi, ciceracei,omnes diſtorti,ſemiamicti centunculis, palliaſtris omnes; tanto in numero nullus ad numerum quicquam agere, ſed inconditum ad ſtrepitum Bacchorum bacchantium ſcabiem ſcalpere, beſtiolas quæritare, quales fœtentis popelli detrimenta purgare ſolent in angiportis. Tum ne otioſi eſſent in negotio ludicro, inflare buccas torquere genas dentes exerere, odorem tetri ſulphuris inhalare, fronte, & oculis tumultuarijs tabernariam exercère. Mox ecce tibi Matrona ſeuerior flagella varia ſubminiſtrantibus gratijs prodibat in ſcenam; doricumque ſaltans, hoc eſt ſacro furore percita: eum rithmo nebulones illos toto proſcenio palantes agebat. tum ne impune baccanal feciſſent, verberones illos innumeros numeroſa verberatione donatos, partim ſua, partim ſuorum comitum opera dimittebat. Claudis igitur crura dirigebant norma lignaria, cœcuciẽtes cogebant collyrio querceo ſtellas cernere in meridie, ventrioſis applicata virgidemia more Turcico medebantur, ſcabioſis vlmeo pectine pectebant cutim, elephantiacis radebant ſaniem nouacula querculana, ſordidorum ſcapulas bubalino ſtrigili mundabant, gibberoſis quadrabant humeros roborea regula, ligneoque malleo tentabant concauum, an campana inde aliqua reſonaret,reliquorum diſtorta membra redigebantur in ordinem loreo perpendiculo. *P. Leo Sanctius flor.l.3. decl.1.*

## *Funambulus.*

EST profectò ſpectaculum illud admirabile, & tremendum,vbi vel procera,vel iuſta magnitudine vir per extenſum funem non graditur modo, ſed vibrato ſurſum corpore, pedibuſque micantibus, cytharœdo perſonante ſalit ad numerum: vbi adiunctis ad plantas orbiculis, & muricibus, tabuliſque ſuppoſitis ingreditur tamen, ac cytharæ præeunti molliuſcula ſaltatione reſpondet. Vbi muſtelarum, aut anguium modo pectore prono,proiectoque perreptat ad neruũ, vbi reſilit,vbi ſuſpenditur,vbi ex ſimulata prolapſione ſeſe refert in gradum.
*Ex Pal.Eloq. exer.4.lect.7. pun.1.*

*Circula-*

## *Circulatorum ſpectacula, & præſtigiæ.*

NImirum ſubit hic animum recordatio Circulatoris Agonalis non illepidi, cuius calliditas noſtræ huic diſputationi commodum venit. Aſcenderat hic cum ſocio fortuitum pegma, expoſitiſque de more mercimonijs, prætereuntes hiſtrionali artificio aduocare conabatur: cum cœtus non fieret, illi pretioſa quæque promere; noua, & exoticæ conditionis vnguenta manibus abluendis odorandiſque prædicare; extollere in cælum laudibus dentium mundicias.

*Nitelas oris ex Arabicis frugibus*
*Tenuem, candificum, nobilem puluiſculum*
*Complanatorem tumidæ gingiuulæ,*
*Conuerritorem pridianæ reliquiæ,*
*Ne qua viſatur tetra labes ſordium*
*Reſtrictis forte ſi labellis riſeris.*

præterea oſcilla insertis clam digitis mobilia in pugnam committere, pelues ſublimes iacere; ſerpentes innocenter admouere pectori; cultros infeſto mucrone deuorare; aliaque præſtigiarum plena in vulgus edere. Sed neſcio quo eorum fato rarus omnino ſpectator eo aucupio tenebatur.

*P. Famianus lib. 2. prol. 1.*

Vidiſti ne aliquando ligneum ſimulacrum, quo circumforanei præſtigiatores ad merces extrudendas è pegmate proponunt in vulgus? illi ceruix affixa mobilis, & quibuſdam quaſi vertebris ad circumſpectum idonea: brachia quoque lentula, & flexibilia leuibus inſerta nodulis, vt circum agi facile poſſint ſub pedibus trochuli rotulæque truſatiles occultæ: ad molem quo iuſſeris promouendam. mox callidus intra proſcenium machinator arcanis quibuſdam, planèque inteſtinis fidiculis humanum illud automaton moderatur ad geſtum, ad nutum, ad renutum, immo ad vocem ſermonemque: veritate vſque adeo repræſentata; vt aliquando non deſint, qui niſi viuere, ac loqui homines ligneos ſtipiteſq; iurent, ſtipites ipſi ſe ſe, & caudices arbitrentur.

*P. Guiniſius alloc. 1.*

*Ludos ſcenicos Vide apud Barclaium Argen. lib. 1°*
*Item ludos editos in aquis.*

## *Hiſtriones Comici.*

AN non eius artificium præclarum putem, quo poteſt hominum lautiſſimorum gratiam demereri?qui placeat vobis? qui quotidie nunc facetiſſimè, nunc luctuoſiſſimè vos oblectet? qui neſcio quid actuoſum, vultuoſumque perſonatus aſſiduè meditatus alienam operam ad ſuum lucellum abutitur? qui maiore fortaſſe cum mercede, quàm laude vel in tragico syrmate vociferatus cum Atreo, vel in comico palliolo delitigans cum Cremete, venalem vocem exercet? cuius ingenium in geſtu, geſtus in quæſtu, quæſtus in ſumptu, ſumptus in ſcenis, & cænis, vtinam non obſcænis, fundus autem, & fundi vectigal in riſu, fletuque veſtro ſitum eſt, cum bene famem obſonauerit laterum exercitatione, non cænitat? qui ſolus ex omnibus ſic habitat in animis, oculiſque veſtris, quaſi qui ſpiritum ex ore veſtro ducat, & tum demum veriſſimo riſu rideat ipſe, qui modo flebat in Tragicis: vbi ficto fletu ſuo flere vos ſenſerit? tum contra iure fleat, & quidem ex animo, cum ſiccis oculis ad ſuas lacrumas, vos non allacrumare perſpexerit? qui ſi vobis placuit; habet vnde ſumptum faciat in cænam: ſi diſplicuit; ieiunus ex ventris inanitate ſuſpirat? An ſolus Lucius veſtris aptus eſt auribus? minimè. multi cum illo theſaurum bonorum ſuorum in veſtris auribus poſuerunt. Auctor quæſtuoſiſſimus idem, & ſumptuoſiſſimus longum agmen trahit theatralium congerronum, multam alit familiam mimulorum, & mimularum, nec paruo poteſt eſſe contentus. Igitur eorum mendicitas in ſpe paſcitur veſtræ liberalitatis: quicquid à vobis corrogauerint, hoc habent vnum, quod confeſtim edant: hoc ſi non habeant, eant alio quæſitum ne pereant. Ritu cynicorum viuunt in diem, & de die, Sarcinulas colligere parati, niſi quotidianum induſtriæ ſuæ fænuſculum exegerint ex eorum largitate, quibus ipſi nihil præterquam verba locare poterunt. O nouum pecuniarum aucupium: O ſegetem epula-

rum nouam ! mirum : voce ſeritur : voce metitur : voce coquitur : voce conditur, voce conficitur, quo veſcuntur: ſpectatorum beneficentia reſpirant, parcimonia ſuſpirant. Ipſe verò Lucius, verè Roſcius, & primarum ſemper partium, nunc Dauus ex Agamemnone, nunc Agamemnon ex Dauo : repente pauper egentiſſimè ſplendidus, cum illo circumforaneo grege nullum intermittit diem quo die non è cauponulis demigret in Scenam, vt qui ſuam coquinam habet in fabulis : & palati patrimonium tuetur in auribus ideo ſpectaculorum lenocinia nonnihil de popinæ nidore redolentia, cum omni Tymelico choragio transferunt huc illuc, vbi maior ſpes veſtræ liberalitatis affulſerit. videlicet, vt, quod in ganea pridie decoctum fuit, poſtridie reparetur in Scena. Scena prædium, caupona ſepulchrum eſt: quod in Scena de die conquirunt, in caupona de nocte conſumunt. neſcias an ſapiant : vt loquantur, an loquantur vt ſapiant : an viuant vt edant, an edant vt viuant. hoc liquet, vitam illis eſſe vitalem ex vſura dialis ſpiritus: verè dialis, quod enim lucelli quæritur ante noctem, con coquitur ante diem. habere quo victitent, & habuiſſe ſimul eſt. de vitæ ſumma per ſingula momenta deliberant; nihil congregant, nihil in futurum ſeponunt. Itaque profectò vitæ ſpecula ſemper illis eſt recula præſentis diecula : vniuerſa ſuſpenditur inſtar illius beſtiolæ, quam non vltra diem ſuum propagare docet, & Ephemeridem appellat Ariſtoteles; quicquid enim per theatrales operas illis ad victum, cultumq; corporis præparatur, cum ſole mane naſcitur, occidit veſpere. *P. Stephonius Proſa. 9.*

# LVDI PRIVATI.

## *Ludus Pilæ.*

VOlo Chryſippi noſtri vti ſimilitudine de pilæ luſu : quam cadere non eſt dubium, aut mittentis ſtudio, aut accipientis. Tunc curſum ſuum ſeruat, vbi inter manus vtriuſque aptè ab vtroque, & ia-

ctata, & excepta verſatur. Neceſſe eſt autem luſor bonus, aliter illam colluſori longo, aliter breui mittat. Si enim exercitato, & docto negotium eſt, audacius pilam mittemus: vtcumque enim venerit, manus illam expedita, & agilis repercutiet. Si cum tyrone, & indocto, non tam rigidè, nec tam excuſsè, ſed languidius, & in ipſam eius dirigentes manum remiſsè occurremus. *Et infra.* Sicut in luſu eſt aliquid pilam ſcitè, ac diligenter excipere, ſed non dicitur bonus luſor, niſi qui aptè, & expeditè remiſit quam acceperat. & huius rei laus in corporis motu eſt, & in agilitate. Nec tamen ideo non bonum luſorem dicam, qui pilam vt oportet excepit, ſi per ipſum mora, quo minus remitteret non fuit.

*Seneca l. 2. de benef. c. 17. & 32.*

Abijcitur in medium pila. fit iuuenum vt ſolet ſortitio, & auctorati bifariam in partes diſcedunt. Iamque adeo feruere opus, & hi vibrante manu pilam expellere, hi venientem excipere: iterumque petere alterni, & alterni eludere. alij ſuos clamoribus vrgent, alij aduerſos prouocant ſtimulantque, & ſi qua manus vnius fefellerat, promiſcuè occurrere, omnes fremere, nemo ferre.

*P. Bidermanin del. ſacr. narr. 3.*

Alterum eſt ludi genus, quod in quadrata, aut paulò longiore, ampla etiam præaltaque aula, & multis patula feneſtris iucundiſſimè exercetur. Hinc atque illinc triplici in latere oblonga, humiliaque tabulata ſupraque decliuis tecti in morem inclinatis aſſeribus ad ſuſtinendam, remorandamque pilam faſtigiata excitantur. Ea in aula perexigua pila tomento farta, reticuloque pulſa, ac repulſa, vltrò citroque commeat; perque varias vices nunc ſolo afflicta reſultat; modò inflexa voluitur in latus, iam Cœlo impacta deſilit; modò in tranſuerſum ſecta deprimitur, mox nouo animata verbere rediuiua ſalit modo reiecta pariete reciprocatur: nunc verſa manu retorquetur; à interte ctū in medio radens funem in angulum illatebratur; iam reticulo à tergo per diuaricatas ſubtus, tibias acto retruditur. Denique per multiplices anfractus, per diuerſas ambages, per varios mæandros nullius metæ ſollicita volucris ſemper

itque

itque reditque nuſquam hærens,incerta ſemper lege errans,aeris ſemper ludibrium volat,ac reuolat.
*P. Alb. de Albertis par.1 .de exerc. prob.n.70.*

## *Ludus puerorum lapillos proijcientium in aquas.*

PVeros videmus certatim geſtientes teſtarum in mare iaculationibus ludere. Is luſus eſt teſtam teretem iactatione fluctuum leuigatam legere de littore;eam teſtam plano ſitu digitis comprehenſam, inclinem ipſum atque humilem quantum poteſt ſuper vndas irrotare : vt illud iaculum vel dorſum maris raderet, vel enataret, dum leni impetu labitur, vel ſummis fluctibus tonſis emicaret , emergeret dum aſſiduo ſaltu ſubleuatur. Is ſe in pueris victorem ferebat, cuius teſta, & procurreret longius, & frequentius reſiliret. *Minut. Felix.in Octau.*

*Vide P. Pontanum in Progymn. vol.2. vbi deſcribit ludum lapidum ad metam prog. 70. Ludum turbinis prog. 73. Ludum globulorum, & nucum prog.71.& 72.*

## *Saltatio.*

SI quis maximę auctoritatis virum de re graui allocuturus, quo apud eum officioſi,elegantiſq; hominis nomen aucuparetur; antequam verbum vllum faceret, graphicè ſcitèque choreas duceret;ſi in ipſo ſermonis ingreſſu vno flexu ſe in orbem torqueret;mox totum corpus in altum tolleret;ſubito deinde ſuo in terram pondere recellens, nunc pedes lubricaret in fugam,modo numeroſum greſſum intercalaret ; iam modicè repedando interſiſteret ; iam quinto quoque paſſu alios inſereret modulos ; nunc pedes rurſum decuſſatim quam citiſſimè ſecaret in ſaltum ; iam denique vtrumque tremula agitatione alternatim vibraret; quis non tam lepidæ vrbanitatis nouum architectum reapſe iocularem circulatorem, fatuumque ſannionem putaret, ac rideret,
*P. Alb. de Alb. par. 1. de leu. orn. num.105.*

## *Petauriſtæ atque Chironomi vulgò* Mattaccini.

INter laruatos verò nulli leuiores, nulli inſaniores, quam petauriſtæ atque Chironomi, quos nos Itali ab affinitate ſtultitiæ vernaculo nomine *Mattaccinos* appellamus, per plateas ludibundi ſpatiantur. Veſtes ſunt ijs ex toto rubræ, vel coccineæ ad curſum ſaltumque expeditiſſimæ. Tibialia, ac ſubligacula quam arctiſſimè circumducta induunt. Brachia, humeros pectus, ventremque anguſto panno ſeuerè caſtigant, & præmunt. Nullæ eo in habitu exundantes, vt ita loquar, laciniæ, nulli inflati ſinus ſumma cutis tenta ſupra tela ſine vlla ruga, vel ſtria eleganter adſtringitur. Galericulus turbinatus, gracilique crepitaculo in cuſpide fixo ſtridulus, capitis operimentum eſt. Inde vultus larua ridiculè, ſcurriliterque vultuoſa, rugis caperata, genis extuberantibus, naſi enormi proiectura, ore in cachinnos ſoluto obducitur; quantoque magis facies diſſimulatur. ac tegitur, tanto magis ſe ſe vecordia prodit, ac detegit. Sub mentum totus colli, atque ceruicis tractus lineo focali inuoluitur. Pendent ex humeris carbaſinæ tæniæ croceis reuinctæ ligulis, auræ prorſus ventoque nuncupatæ. Interula etiam atque ſubucula, feneſtrato hinc atque illinc amictu paululum eminet. Infra poplites exiguæ ex aurichalco glandes plumbeo intrinſecus globulo tinnulæ, atque in reſtim diſpoſitæ tanquam torques fibula connectuntur. Demum imis pedibus calceoli repandi ad omnem agilitatem facti, vel ipſa Mercurij talaria ipſis affingunt. Ita perſonati, conformatique in omnes luſus ſe ſe læti, tripudianteſque impendunt, atque vt riſum cieant, ingenium vires, thecnas, doloſque vniuerſos ſedulò periclitantur. Quà popellus, ſimplex turba conglobatur, dexterè pedem inferunt. Tum omnibus primum blandiri; pectitis, chirothecis mulcere comiter adſtantibus barbam; admotis leniter manibus prenſare palpareque ſingulorum humeros: deinde ex inopinato huic pileum detrahere, illi pallium, alteri pe-

nulam; alium ſubductis improuiſo pedibus in terram arietare. Hinc ludicro hilares furto, ſubſultantes aufugiũt: pauci expilati, expaliatiq; indignãtur, fremunt, vociferantur, cæteri plaudunt, rident, cachinnantur. Non illi reliquorum more gradiuntur, ſed vno pede producto, altero retrorſum hærente, inteſtaſque manicis manus ſtrenuè, celeriterque complodentes; tum earum alteram ſupra oculos tanquam in ſpeculam, aut in oculorum, vt ita dicam, tectum, atque ſubgrundam erigentes, alteram verò curuato brachio, ceu anſam cingulo affigentes in latus obliqui feruntur: mox altero paſſu in contrariam partem ſe ſe vertentes easdem repetunt geſticulationes; atque vbi ſemel, iterumque ita vtrinque fugati ſunt, ex templo ſaltus congeminant. In via porrò vt nullam habent, quò tendant, metam, ita non eunt, ſed errant non vltra pergunt, ſed repedant, non pedes explicant, ſed cruciant. nimirum ſummis pedum digitis inſiſtentes, veſtigia, greſſumque nonnihil ſuſpendunt, at paulo poſt ſolum libero curſu præueruolant Nec mora, alij inflexo in voluntarium gibbum dorſo, manibuſque femori innixis, inclinatam illius molem fulcientibus, ex interuallo tranſuerſo ſubſiſtunt: alij diuaricatis tibijs ſingulos immani ſaltu tranſiliunt; tum ita ſuperatis omnibus eodem modo ſe arcuãtes ab alijs viciſſim tranſiliuntur Rurſus officijs pedum manuumque commutatis, aerem pedibus manibus terram tecti, ſed inuerſi percurrunt; aut alternatim pedibus manibusque circumactis, tanquam radijs in rotam emiſſis, aream d metiuntur. Nec deſunt, qui in ſupremas domorum adiacentium contignationes, non per ſcalas, ſed extrinſecus per feneſtras, per clathros per podia mirè penſiles euadant. Quin aliqui etiam ſe per multiplices, erraticoſque circulos incredibili pernicitate traijciunt; non nulli auerſo capite terram ſtantes contingunt; omnes poſtremò tam inſanè pandiculantur, plicantur, conuoluuntur, extenduntur, vt facile eos ſi lubeat in te ludrica cum Plauto ludere, enodatos, exoſſatos, exdorſuatos cenſeas.

*P. Alb. de Albertis par. 1. de. leu. orna. num. 106.*

# VENATIO.

NVllam corporis exercitatio nobilitati magis apta magiſque conueniens eſt,quam laborioſa quies, & negotioſa ſpecies ociandi Venatio; vt pote quæ ſit idoneum iuſti prælij ſimulacrum. ea propter olim rei militaris gloria clariſſimi duces,milites ſuos volebant venationi dare operam, quam tyrocinium exercitationis militaris nominabant. Quid enim eſt aliud incredibili celeritate per campos, & nemora volitare,ire,redire, foſſas tranſilire, vbique emicare, Ceruos, & apros omnibus veſtigijs proſequi, quam hoſtes inſequi fugientes. & vincere? ire in inuia humanis luſtra paſſibus, obſeptos dumis horrentibus aditus perrumpere,pendentium rupium montiumq; iuga ſuperare, excutere cubilibus feras,huc illuc diſcurrere,ſurſum deorſum, modo huc modo illuc generoſo puluere ſordere, quam ad exercitationes bellicas,& mage laborioſas aptum ſe habilemque reddere? Vt bene dixerit Xenophon venationem eſſe veriſſimam bellicarum rerum meditationem.

*Ex Pal. Eloq. exerc. 8. leb. 3. pun. 4.*

# VIRTVTES.

## *Virtus.*

QVanti æſtimanda eſt virtus, quæ nec eripi, neç ſurripi poteſt vnquam,neque naufragio, neque incendio amittitur, nec tempeſtatum, nec temporum permutatione mutatur? qua qui præditi ſunt,ſoli ſunt diuites. Soli enim poſſident res,& fructuoſas, & ſempiternas: ſolique quod eſt proprium diuitiarum,contenti ſunt rebus ſuis,ſatis eſſe putant quod eſt: nihil appetunt, nulla re egent,nihil ſibi deeſſe ſentiunt, nihil requirunt.

*Cicero Parad. 6.*

Altum

Altum quiddam eſt virtus, excelſum, & regale, inuictum, & infatigabile: Voluptas, humile, ſeruile, imbecillum, caducum. Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, puluerulentam, coloratam, calloſas habentem manus, voluptatem latitantem ſæpius, ac tenebras captantem, mollem, eneruem, mero atque vnguento madentem, pallidam aut fucatam, & medicamentis pollutam. Summũ bonum immortale eſt, neſcit exire: nec ſatietatem habet, nec pœnitentiam. Nunquam recta mens vritur, nec ſibi odio eſt, nec quicquam mutauit, quia ſemper ſecuta eſt optima.

*Seneca de bea. vita. c. 7.*

Animus intuens vera, peritus fugiendorum, ac petendorum, non ex opinione ſed ex natura pretium rebus imponens, toti ſe inferens mundo. & in omnes eius actus contemplationem ſuam mittens, cogitationibus, actionibuſque intentus; ex æquo magnus, ac vehemens, aſperis blandiſque pariter inuictus, neutri ſe fortunæ ſubmittens, ſupra omnia quæ contingunt acciduntque eminens, pulcherrimus cum decore, cum viribus ſanus, ac ſiccus, imperturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangat, quem nec attollant fortuita, nec deprimant. Talis animi virtus eſt hæc eius facies, ſi ſub vnum veniat aſpectum, & ſemel tota ſe oſtendat.

*Seneca epiſt. 67.*

## *Fides diuina.*

Fides contrarias de rebus neceſſarijs opiniones ex animis euellit: quid omnes conueniat ſentire demonſtrat, & conſpiratione ſententiarum mentes coniungit. Contendebant antea multis de rebus diſſidentes inter ſe familiæ philoſophorum; & cum ſæpenumero contraria docerent, ſua quæque decreta confirmans, alijs etiam perſuadere nitebatur. fides magna ex parte tollit è medio moleſtum illud perniciofumque certamen: vt etiamſi nonnullis de rebus contraria exiſtimare non ſit nefas; ſed illis tamen quæ ſunt prorſus ad beatam immortalitatem aſſequendam neceſſaria, idem omnes, & ſentiamus, & loquamur.

loquamur. Quid enim ais philoſophe? quid in illis gymnaſiorum exedris otioſè reſidens tumultuoſè vociferaris? an nullum eſſe Deum? at eſſe fide pro explorato nos habemus. an humanam eum habere ſpeciem, & figuram? at Deum corpore carere, & ab omni concretione ſegregatum eſſe docet fides. an non regi res humanas prouidentia? at ne folium quidem vnum ex arbore, vel capillum ex hominum capite defluere ſine diuina voluntate fides tradit. num æternum eſſe mundum? at nouam rerum molitionem, & initium huius vniuerſitatis fides nobis exponit.: nihil ne omnino manere, nullum ſenſum reſidere poſt mortem? at noſtros animos immortales eſſe, & ad corpora ſua redituros aliquando, fides oſtendit. aniles ne eſſe fabulas improborum ſupplicia poſt mortem, præmia bonorum? at reddituros omnes Deo totius vitæ rationem, & digna quemque ſuis dictis atque factis, vel præmia, vel ſupplicia reportaturum declarat fides. nullus error eſt ab illa beata, & immortali vita nos excludens, quem non radicitus extrahat, & extirpet fides.

*P. Perpinianus or. 8. de Deo.*

## *Fides humana.*

Fidem eſſe mortalium nexum veriſſimè dictum eſt: neque enim ſolum homines in agris olim, ac nemoribus ſolitarios, ac vagos ſemel ad communionem rerum eadem ſub mœnia fides traxit, ſed quicquid commercij operiſque, quicquid induciarum, ac fœderis, quicquid amicitiæ, & affinitatis præſentes abſenteſue perpetuò contrahunt, id mutua inter homines fides perſuadet: quam ſi ex animo tollas continuo ſanguinis, ac neceſſitudinis coniunctio, legum ſacramentorumque iura, negotiorum, ac ſocietatum conſpiratio diſſoluentur; ipſi inter ſe mortales auerſi, & ſuſpicioſi, ſibique ab aliorum perfidia metuentes, ab rerum adminiſtratione publicarum, ab vrbibus atque conuentibus, à communi colloquio conſpectuque, ad ſiluas, & glandes more pecudum redigentur.

*P. Famianus lib. 1. prol. 2.*

Sed

Sed fides non procul ab Amore captiuam ſe induit in caſſes, Heroina illa regiæ nobilitatis: regium quippe eſt vel ipſa verba habere fidiſſima. Media ei eſt inter adoleſcentiam, ac ſenectutem ætas, quod illa non ſatis experta nimium omnibus ſe credat, hæc verò nulli penè ſe fidat. frontem eius Verecundiæ regiam putes, ita nil perfrictum aut proteruum recipit. Anchorę ſpeciem ædificatorum crinium figura gerit argumentum inſigne conſtantiæ. Erumpunt ex oculis beneuola modeſtiæ obſequia: cinctura baltheo eſt, nec diſcingi vnquam poterit tam ſæpe authorata Beneficientiæ Sacramento. Manu præfert anulum ſponſionis immobilis characterem, ac pignus: ſed, & Canis blandus aſſecla deliciatur ad pedes, quo nullum animal dominis, ac domibus magis fidum eſt.
*P. Leo Sanctius l. 1. flor. ſub tit. Vena. Ant.*

## *Caritas.*

Eſt namque Caritas magnanima in perferendo, benigna, & lenis in condonando, in rebus aliorum ſecundis non inuida, non inhumana, neque crudelis in aduerſis, inconſtanti leuitate non fluctuat, contumaci ſuperbia non intumeſcit. honos vel ignominia proponitur? non ambitione incenditur, non iniuſtæ ignominiæ metu commouetur. ſpes quæſtus inuitat? non ſuis magis commodis, quam aliorum vel neceſſitati, vel vtilitati ſeruit. offenditur? non excandeſcit iracundia. læditur? nemini ſe vlciſcendi cauſa machinatur aliquid mali. verbis improborum excitatur ad nocendum? nullius iniuria vel incommodo delectatur. ad fallendum ad fraudandum impellitur? veritate mirabiliter gaudet. quid eſt tam durum, tam aſperum, tam acerbum, quod non illa ferens æquo animo libenter fileri patiatur? quid is qui diligitur loqui poteſt, quod illa non credat? quid tam difficile, tam arduum videri, quod illa perficere ſe poſſe non ſperet? quid tam formidoloſum atque terribile, quod non illa vel ſuſtineat præſens, vel adueniens excipiat animo erecto, parato, & inuicto denique quidquid eſt, vnde diſcordiæ, atque diſſidia naſci

naſci poſſint, id in eius animo nihil habet loci, quem diuinæ caritatis ardor inflammat.
*P. Perpinianus or. 8. de Deo.*

## *Prudentia.*

IN bonorum diſtributione primas Prudentiæ deberi nemo negauerit, qui lucernam hanc animę, virtutumque nutricem, & aurigam viderit, nihilo magis à ſummo abſolutoque Principe abeſſe poſſe, quam Solis ab cælo fulgorem. Sapienter enimuero Peripatetici aiunt prudentiam in omnibus virtutibus vt ducem, præſidemque omnium imperatricemque dominari. Verè dicam abſque illa nullum florens tutum, beatumque fore imperium, ac ne hominem quidem vllum, qui negotium ex animi ſcientia conficiat Hæc hoſtem opprimit, anteuertit infortunium, canit triumphum, diſſipatum animi ſtatum colligit, & componit, fræno concupiſcentiam, & inferioris animæ motiones coercet. rationis imperium inſtaurat, laudabiles efficit actiones animum ad Dei nutum, & voluntatem moderatur.
*Ex Pal. Eloq. exer. 8. lect. 4 pun. 1.*

## *Iuſtitia.*

IVſtitiæ tanta vis eſt, vt nec ij quidem qui ſcelere, & maleficio paſcuntur, poſſint ſine aliqua iuſtitiæ particula viuere: vnde improbiſſimus erit improbior, quiſquis illa carebit, cum hæc ſola virtus ſit, quæ magnos, & laudabiles reddit homines. Qua in opinione fuiſſe dicitur Ageſilaus, qui cum audiſſet magnum regem Aſiæ appellari; quid ait ille maior me, niſi iuſtior: ſcilicet omnium virtutum Principem iuſtitiam eſſe ducebat. Idem confirmat Cicero l. 2. off. Nullius, inquit gloria, & fides virtutis inuidiam conciliat maiorem. quam iuſtitia, quod auctoritas eam, & fides potiſſimum comitetur: apud alios neque colunt ſolum vt fortes, neque ſuſpiciunt vt prudentes, ſed diligunt etiam vt juſtos, eiſque fidunt & credunt.

dunt. adde quod fundamentum perpetui nominis,& famæ iuſtitia eſt,ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile. *In Pal.Eloq.exer.3. lect. 4.pun.8.ex Cicer.de off.*

Hæc illa eſt Auditores omnium domina, & regina virtutum, à qua in omne hominum genus leges,& iura manarunt : quæ benefactis honores, & præmia, malefactis ignominias, & ſupplicia proponens, ſtudia bonorum excitat, malorum improbitatem exercet: qua ſublata non domus vlla,non ciuitas, non hominum inter ſe ſocietas, non ipſa denique vniuerſitas rerum ſtare, ac tueri ſe punctum temporis poſſet *Muretus to.1.or.9.*

## *Fortitudo.*

OMnino fortis animus, & magnus duabus rebus maximè cernitur: quarum vna in rerum externarum deſpicientia ponitur, cum perſuaſum ſit nihil hominem, niſi quod honeſtum decorumque ſit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere: nullique neque homini, neque perturbationi animi, nec fortunæ ſuccumbere. Altera res, vt cum ita ſis affectus animo, res geras magnas illas quidem,& maximè vtiles, ſed vehementer arduas, plenaſque laborum, & periculorm, tum cauſa vitæ, tum multarum aliarum rerum, quæ ad vitam pertinent. Harum rerum duarum ſplendor omnis, & amplitudo eſt,addo etiam vtilitatem, in poſteriore: cauſa autem,& ratio efficiens magnos viros, eſt in priore. in eo enim eſt illud, quod excellentes animos, & humana contemnentes facit. Id autem ipſum cernitur in duobus, ſi, & ſolum id quod honeſtum ſit, bonum iudices, & omni animi perturbatione liber ſis : nam, & ea quæ eximia pleriſque, & præclara videntur,parua ducere, eaque ratione ſtabili firmaque contemnere, fortis animi magnique ducendum eſt; & ea quæ videntur acerba,ita ferre,vt nihil à ſtatu naturæ diſcedas,nihil à dignitate ſapientis, robuſti animi eſt magnæque conſtantiæ. *Cicero lib.1.de Offic*

*Virginis* huius equeſtris auguſta è facie ira nobilis eminet. qualem in Dauide micaſſe credimus aggredienle leones. Oculi ſolis inſpicendi potentes

terrent

terrent hoſtes, nec diſplicent, ita veniant ſpondente miſeris, vt ſuperbis bellum acre decernant. Eius caput ænea tutela protegit, ſed vultu ſemiconſpicuo relicto, ne planè infelices intereant ex illa moritini. Vltra verticem criſta conſurgit, quæ pēnarum gloria tumens æmulos fugat ſimul, & fœtat, mitigatque volatica quadam amœnitate vniuerſam ferociam. Ad tempora crines aliquot errore ſurreptitio ſine metu trepidant: Sanſonis capite digni ſunt ex robore, ſed ex gratia, & venere criſpandi pariter cum coma Iudittæ: thoracem præmuniunt adamas, amethiſtus, aliæque huiuſmodi gemmæ conciliatrices alacritatis,& impetus. Sed hic potiſſimum chlamydem excitat ad fluctuandum, cui vel Romana Clælia ſuppoſuiſſet humeros, cum è fluctibus enatauit in patriam, pedes altis ſubnixi cothurnis, quò ſublimius attollantur ex humo, inſtruuntur calcaribus cuſpidatis ferreo charactere Martis, qualem figurant Aſtronomi fortitudinis acrimoniam fortaſſe notantes.
*P. Leo Sanctius l.2 flor.ſub.tit. Vena. Ant.*

## *Temperantia, & moderatio.*

Videte nū ſecundis rebus elatus aliquid de prioris vitę manſuetudine,& moderatione mutauerit? Mutauit planè, nam ciuilior factus proſperorum infregit inuidiam. Tanta illi comitas in ſocios, manſuetudo in hoſtes. Viſu, & auditu iuxta venerabilis, cum magnitudinem, & grauitatem ſummæ potentiæ retineret,inuidiam & arrogantiam effugeret. Vnum ille ſe ex nobis, & hoc magis excellit atque eminet, quod vnum ſe ex nobis putat: nec minus hominem ſe, quàm hominibus præeſſe meminit. Nam cui nihil ad augendum verticem dignitatis ſupereſt, hic vno modo creſcere poteſt, ſi ſe ipſe ſubmittat ſecurus magnitudinis ſuæ; neque enim ab vllo periculo fortuna Principum longius abeſt, quam ab humilitate. *Plinius in Paneg. Traiani.*

Libera-

## *Liberalitas.*

Liberalitas igitur Imperatorio laureata ſertô, vultum Ioue iuuene,ac iuuante dignum expromit: qualis Iuppiter viſebatur antiquitus adoleſcentis ore conſpicuus ſub dio poſitus,& in aſylo ſalutem ſpondens, ac munera.Crines vndatim ex ceruice profuſi pretioſum ventis donarium circumferunt. Vnicornem Venatrix noſtra domat ferum animal, ac ſylueſtre: nihil enim tam efferum, & agreſte reperias,quod beneficijs non manſueſcat. Porrò Venatricis huius veſtimentum è veſtiario ſiderum, ac Solis depromptum videtur, tanto candore coruſcat, ac vibrat. Peplum illud eſt,quod ſimulacris Deorum veteres inijciebant: Dijs enim pares efficit populus liberales viros. libera tamen eius ceruix, & expers monilium eſt, ſicut armillis dearmata brachia; nulla vnionum ſerie catenatur pectus,nulla ſub aures gemmarum momenta librantur: hæc enim omnia dono data iam ſunt. Neque tamen illi quicquam deſit ad manus enim fortuna prediſſequa omnium generum opes miniſtrat ampliſſimo pollubro.

*P. Leo Sanctius flor. l. 2. ſub tit. Vena. Ant.*

## *Conſtantia, ſeu vir Conſtans.*

Qvamquam omnia quæ poſſunt excogitari,conſpirauerint incommoda, vt quidquid viderit horridum, quidquid calcauerit ſordidum, attigerit aſperum, comederit fœtidum,tulerit viſcoſum,tepidumque eſſet, tamen erectum animum, diſtractum ab ærumnoſi calamitate loci futuræ beatitatis affluentem gaudijs mortis mœrorem inhiantem immortalitati retinebat. Quid non intus latere heroicum declaret congreſſus illius, firmitasque inexpugnabilis, qua ſuos aduerſarios vicit, vincendi cæteris viam fecit: non breui compendio miſeriarum victor, ſed hætentibus diu, & præmanentibus ærumnis, ac pœnis colluctationis miraculo triumphator per ſex annos cuſtodia carceris ſeptus in ſqualore,

lore. & calamitate fuit. Iacuit inter pœnas pœnis fortior inclusus includentibus maior, iacens ſtantibus celſior, vincientibus fortior vinctus, ſublimior iudicantibus iudicatus.

*Ex Pal. Eloq. exerc. 4 lect. 7. pun. 7.*

*Vide etiam Senecam epiſt. 96. ſub finem.*

## *Verecundia, ſeu Modeſtia.*

A Paupertate tempeſtiuus ad Verecundiam tranſitus videtur: hæc enim iuſtiſſimis viris præcepit, vt priuatas facultates negligerent, publicas quàm ampliſſimas eſſe cuperent. Digna cui perinde atque cæleſti numini extruantur templa, aræque conſecrentur, quia parens eſt omnis honeſti conſilij, tutela ſolemnium officiorum, magiſtra innocentiæ cara proximis, accepta alienis, omni loco, omni tempore fauorabilem præſeferens vultum.

*Val. Max. lib 4. c. 5.*

Verecundiæ ex omnibus animantibus ſolus homo eſt particeps, certiſſima eſt bonæ indolis nuntia. Vnde Cato magis ſibi placere iuuenes aiebat, qui rubeſcerent, quàm qui pallefcerent: quòd nimirum egregiā indolem rubor arguat non autem pallor. Et Seneca recta ingenia, inquit, debilitat verecundia, praua confirmat audacia. Verecundia in moribus eſt tanquam gemma rutilans, pudicitiæ comes naturæ commendatio, famæ cuſtos, virtutis fundamentum, honeſtatis nota, innocentiæ teſtis, ornamentum vitæ rerum decentium honeſtarumque procreatrix, & alumna, omnis turpitudinis inimica. Huius color eſt pulcherrimus, vt aiebat Diogenes, cum verecundo rubore perfuſum adoleſcentem intueretur.

*P. Pontanus vol. 2. progymn. 46.*

## *Miſericordia in egenos.*

OMnes homines tenebat ſingulari quadam beneuolentia complexos, quantum poterat ingenio, & induſtria, quantum copijs, & poteſtate perficere, quantum viribus, & labore contendere, tantum

faciebat

facibat vt omnes ordines,omnes ætates, omnes ſexus adiuuaret. ſubleuabat eorum calamitatem, qui in vinculis,& carcere ſeruabantur,alebat inopes,captos ab hoſtibus redimebat peregrinos hoſpitio,atque vt etiam abiecta cadauera,in quibus nihil erat reſiduum neque mentis neque ſenſus, humanitatem eius experirentur, ipſos mortuos ſepeliebat. Erat illa curſum tenentibus comes, errantibus magiſtra pupillis parens,viduis præſidium,incitamẽtum bonis improbis terror,ſecundis in rebus ſocia conſolatio in aduerſis. at eius domus perfugium miſeris,portus iactatis, deſperatis ſolatium,horreum egentibus,nutrix fame perditis, cella penaria ab omni fortuna derelictis. *P. Perpinianus or. 2. de S. Eliſab.*

An id illa merita non videatur nunquam exhauſta in egentes liberalitas, ſuæ ſecura indigentiæ, ſedula in alienis neceſſitatibus inquirendis, ab amore donantis maximè grata ad tempus opportuna,ab inſigni benemeriti voluntate munificentiſſima; pauperum ſapienter conſulens verecundiæ, propter beneficiorum communitatem largiſſima;in mendicos,in ignotos, in alienos aduerſus eos, quos pudor à petendo deterrebat, erga omne mortalium genus, ſine vlla exceptione aut hominum, aut ſuæ inopiæ diffuſiſſima? Publicas ægrotantium domos frequenter luſtrare,ibiq; cibo alios reficere,medicamenta morbis aliorum adhibere,allocutione dulciſſima,quos aliter non poterat ſubleuare, lectos ſternere, ſordes excipere, in publicas ire cuſtodias, ſecum epulas afferre, & in captiuos amantiſſimo cum ſenſu charitatis diſtribuere, peregrinos, quorum numerus in hanc vrbem ſe multus effundit religionis ergo, excipere hoſpitio, conuiuio recreare, lecto fouere,pedes illis abluere, aliiſque chriſtianæ charitatis, ac demiſſionis officijs fungi, labores erant ſancto viro quotidiani. *P. Oddo de Comitibus ſilu. par. 2. or. de S. Phil. Ne.*

## *Abſtinentia.*

HÆc eſt veluti fidiſſima nutrix integritatis. firmiſſimum præſidium ſalutis ſempiternum, quædam quaſi arx munitiſſima cum omnibus vitijs pugnare

pugnare cupientium, & fortiſſimorum Chriſti militum clauſum ad omnes aditus caſtellum, quod qui tenuerunt vti oportebat, facile furorem tæterrimorum hoſtium eluſerunt, reprimit enim corporis libidines tuetur, & cuſtodit caſtitatem, auocat mentem à curis viliſſimis fluxarum rerum, ad diuinas, & æternas contemplandas conuertit; diminuit de onere, quo illa deprimitur ad terras; auget curſus celeritatem in ſempiternam illam domum; magnificè ſentientes, & loquentes de ſe compeſcit; ſubmiſsè ſe gerentes & ſui cognoſcentes excitat; ſuperbiam, & contumaciam contundit; alit animi ſubmiſſionem, & modeſtiam; ſatisfacit Deo de peccatis, & maleficijs admiſſis, in poſterum ne plura committantur obſtat; offenſionem illius magni Patris, ſi quam habemus, delet; ſi quam timemus, vitat; corporis valetudinem ſuſtentat; mentis ſordes eluit; ſtultam, & ſcurrilem loquacitatem repudiat; ſobriam, & moderatam orationem ſemper amplectitur; denique vt omnia paucis comprehendam, omnium vitiorum fluctus à noſtra pernicie depellit; pectus omnium virtutum moderatione tranquillat; diabolos exterret, cæleſtes recreat; placat mundi huius fabricatorem, & ſcelerum vindicem ſeueriſſimum.

*P. Perpinianus or. 2. de S. Eliſab.*

## *Virtutum multarum complexio.*

QVid enim, ſi diligendum eſt aliquid, quid obſecro vos ex Agnetis laudibus omittendum eſt vt vulgare? quid vt eximium, ac ſingulare potiſſimum ſeligendum? Iuſtitiam ne præferendam putem? eſt illa quidem in Agnete præſtantiſſima: ſed fortitudo videtur excellere: fortitudinem anteponam? at illi iuſtitia non cedit. an temperantiam? prorſus id ampliſſimum ornamentum eſt: ſed ſapientia videtur illuſtrior. Sapientiam? hæc ipſa Temperantiæ ſocietate laudabilior exiſtimatur. an eius tranquilitatem, & otium laudem? nihil actuoſius an negotium? nihil ſedatius. religionem? humaniſſima eſt. humanitatem? religioſiſſima. parſimoniam? cum liberalitate diſceptat. liberalitatem? cum parſimonia

monia dimicat. At ſubmiſſionem animi præponam? quæ magificentiam nunquam deſerit? Ergo magnificentiam? quæ nunquam ab animi demiſſione diſtrahitur? quid ſi taciturnitas anteferatur? hæc verò conſideratam Agneti peperit in dicendo curam: at eius omnis oratio tacendi ſtudium præcipuè commendat. num ne ſeueritatem aſſumam? hæc cum clementia cohæret clementiam? cum ſeueritate ſociatur. auctoritatem? ſemper cùm manſuetudine coniungitur. manſuetudinem? nunquam ab auctoritate diſiungitur. charitas verò beneuolentiæ ſic in Deum tendebat, vt ab hominibus non recederet: ita redibat ad homines, vt in Deo fixa perſiſteret. Quid pluribus opus eſt? Summa ſunt in hac Virgine, præſtantiſſima ſunt Auditores omnia.

*P. Stephonius or. 1. de S. Agnete.*

## *Homo virtute præditus.*

Religionem autem in Deum ſingularem, pietatem in ſuos comitantem in ciues, humanitatem in hoſpites, liberalitatem in egenos, clementiam in ſupplices, manſuetudinem, facilitatem, lenitatem in omnes, in promiſſis conſtantiam, in rebus contractis fidem, in contrahendis diligentiam adhibebat tantam, quantam in milite non requireres, in Duce vix inuenires, in Sapiente ſuſpiceres. Intima ſententiarum, arcana morum opinioni conſentiebant: conſtantiæ, fidei, veritatis erant. Itaque nulli familiarum reconciliatus eſt; neminem ex amicis læſit vnquam læſus omnem ſtatim offenſæ memoriam obliuione contriuit: ac nequando illi gratia recolligenda foret, cautum illi prouiſumque erat. Ducebatur ratio dignitatum, temporum diſcrimina notabantur: honor auribus, honor oculis habebatur: quod offenſiones amicorum vitari facilius diceret quàm ſanari.

*P. Stephonius or. 2. de flam. Delph.*

Ac primum dignitatem ſui generis agnoſcens de moribus cognoſcet, ac iudicabit ſuis tum inſolentiſſimo illo dominatu nefarij vt ita dicam triumuiratus è ceruicibus victo, quo res humanæ miſeriè diſtrahuntur, labefactantur, diripiuntur, indulgentia carnis

cuiſta

euicta, clari nominis inanitate contempta, diuitiarum cupiditate ſuperata, caſtam, & integram omnino religionem ſuſcipiet; & quaſi receptui ſignum, ac reuocationem audierit & vaſa collegerit, è rebus humanis in ipſum templum ſanctitatis virtute quàduce qua comite commigrabit. exinde degeneres cupiditates omnes infra pedes abijciens, iacto quaſi gradu Sapiens hic noſter euadet ad libertatem filiorum Dei; nec ſanè liberè magis quam libenter in optimi maximique Parentis ſe ſe complexum reijciet, inque eum omnem vim mentis amoremque transfundet Hoc igitur auctore ſtatuet, & iudicabit primum officium eſſe coniungi cum Deo quod eſt religionis: alterum cum genere conuenire, quod eſt humanitatis. Neque verò neſcire volet quod ſuarum ſit partium, & quod ſe propriè vitæ genus attingat; quo conſtituto viderit oportet, vt illa regia virtus alumna pacis Iuſtitia foras emineat, ac ſpectet, & proiecta tota ſit quantum cauſarum ſuarum pertinere patiatur ad domeſticos, quantum ad reliquos ciues, quantum ad alienos, quantum ad ipſos hoſtes abire verum ſit. Hoc probè fixo, ac ſtabilito volet hic noſter eſſe ſuus, ita tamen vt intimo perpurgato fonte cogitationum, ac cupiditatum, nihil ad priuata commoda deriuet vnquam: at in diuina cauſa veras intelligentias, honeſtiſſimasque voluntates commoteas diuinitus diu multumque verſari velit.

*P. Stephonius Proſa 3.*

## *Ex ſtudio virtutis quæ bona proueniant.*

SI caſtum à vobis animum, ſi cupidum veritatis, ſi concordię ſtudioſum, ſi coniunctionis amantem, ſi iuſtitiæ tenacem, ſi decori vindicem, ſi memorem officij, ſi pium, docilem, beneuolum, ſapientem animum à vobis patriæ dignitas impetrabit, habebit quę ſperat, & optat firmiſſima præſidia belli, & ampliſſima ornamenta pacis, quibus nec illa à vobis melius repetere, nec vos illi reddere maius poteſtis. Hæc verò munera ſanctiſſima ſunt, hæc hominis nobilitate

dignissima

digniſſima, hæc maxima, & certiſſima vectigalia quæ nec naufragijs obrui, nec elementorum iniurijs intercipi, nec bellorum detrimentis amitti queunt. per quæ ſi viuimus, honeſtè viuimus: in quorum ſtudio ſi morimur, beati ſumus: quæ qui deſerunt, humanitatem fugiunt: qui non amant, ſe ipſos oderunt. Hæc ſtudia mentis, hæc curricula virtutis, hæc decora dignitatis. Per quæ ſalutaribus conſilijs Senatus viget, quibus amiſſis iudicia nulla ſunt: quorum opibus ciuium continetur ſalus: per quæ florent in templis honeſtamenta pietatis, Sacerdotia ſanctius adminiſtrantur, optimis ciuibus complentur oppida, expeditiſſimus omnibus ad cælum communitur aſcenſus: humani demum generis adſtringitur vehementius, ac religioſius conſeruatur fides.

*P. Stephonius Proſa 5.*

# VITIA.

ALius libidini inſanit, alius abdomini ſeruit, alius lucroſus eſt, cuius ſummam non vides, alius inuidia laborat, alius cæca ambitione, & in gladios ruente. Adijce torporem mentis, ac ſenium, & huic contrariam inquieti pectoris agitationem, tumultuſque perpetuos. Adijce æſtimationem ſui nimiam, & tumorem, ob quæ contemnendus eſt, inſolentem. Quid contumaciam in peruerſa nitentium, quid leuitatem ſemper aliquo tranſilientem loquar? Huc accedat temeritas preceps, & nunquam fidele conſilium daturus timor, & mille errores quibus voluimur. *Seneca lib. 7. de benef. c. 26.*

## *Vitiorum Tyrannis.*

NAm ille contemptor quiſquis eſt legis huius æternæ, ſe iudice damnatur, ſe teſte conuincitur, ſe tortore cruciatur, & voluntarie miſer, cupiditatibus excors, calamitatibus afflictus, ignauia mentis abiectus, & peſſundatus: ſine auriga quondam indoctus, excuſſus, & euolutus è curru trahitur, opprimitur,

mitur, eluditur, laniatur, anxius ad moleſtias, humi-lis ad timores, eneruatus ad labores, procliuis ad libidines, in ſuo inopos, in alieno rapax, in rebus attritis deſperatione fractus, in florentibus elatus, inſolens contumax, non ferendus, ciuili nunquam ſanguine ſaturatus, in acerbis etiam ſuorum funeribus exſultat. *P. Stephonius proſa 3.*

## *Auaritia.*

INtellexi ſæculum noſtrum non nouis vitijs, ſed iam antiquitus traditis laborare: nec noſtra ætate primum auaritiam venas terrarum lapidumque rimaram in tenebris male obſtruſa quæſiſſe illi quoque maiores noſtri, quos celebramus laudibus, quibus diſſimiles querimur nos eſſe, ſpe ducti montes cæciderunt, & ſupra locum ſub ruina ſteterunt. Quæ tanta ſpes fuit? quæ tanta neceſſitas hominem ad ſidera erectum incuruauit, & defodit, & in fundum telluris intimæ merſit, vt erueret aurum non minore periculo quærendum, quam poſſidendum. Propter hoc cuniculos egit, & circa prædam lutulentam incertamque reptauit, oblitus dierum, oblitus naturæ melioris, à qua ſe auertit. Nulli ergo mortuo terra tam grauis eſt, quàm iſtis ſupra quos auaritia vrgens terrarum pondus iniecit, quibus abſtulit cælum, quos in imo, vbi illud malum virus latitat, infodit. Illò deſcendere auſi ſunt, vbi nouam rerum poſitionem, terrarumque pendentium habitus, ventoſque percæcum inane experirentur, & altam perpetuamq; noctem. Deinde cum iſta fecerint, inferos metuunt. *Seneca lib. 5. nat. quaſt. c. 15.*

His ſilentio prætermiſſis, hominem illiberalem per parcè parcum, auarum, ſordidum, rapacem, hiulcum, miluinis, & aquilinis vngulis animaduertite quàm graphicè ponit ob oculos, & conquiſitis vitiorum ſordibus, quàm appoſitè monſtrum concinnat non ſine riſu, atque indignatione exſibilandum. Primum perpetuus eſt pecuniolæ ſuæ cuſtos, veluti ſacrorum Aedituus

*Peruigilat noctes totas, tum autem interdius*
*Quaſi claudus ſutor domi ſedet totos dies.*

Ad

Ad hæc inhumanus ipſe ad inhumanitatem ſeruos informat.

*Caue quemquam alienum in ædes intromiſeris.*
*Quod ſi quiſquam ignem quæret, extingui volo,*
*Ne cauſa quid ſit, quod te quiſquam quæritet:*
*Tum aquam aufugiſſe dicito; ſi quis petat.*
*Cultrum, ſecurim, piſtillum, mortarium*
*Fures veniſſe atque aufugiſſe dicito.*
*Profectò in ædes meas me abſente neminem*
*Volo intromitti: atque etiam hoc prædico tibi*
*Si bona fortuna veniat, ne intromiſeris.*

Solertiſſimus ille porro eſt, & conficiendæ pecuniæ articulos nouit omnes. In re aliena ad ſe corriuandã Orcus eſt, ac vultur qui cadauer expectet: at in re ſua elargienda, pumex non æquè eſt aridus. Quin etiã cum it dormitum, follem quo excitare igniculum ſolet, obſtringit ob gulam, ne quid animæ amittat; aquam plorat, cum lauat, profundere: quin ei pridem tonſor vngues demiſerat, collegit, & omnia abſtulit præſegmina: quid verbis opus eſt? ab hoc homine famem ſi vtendam roges, nunquam dabit. Denique meticuloſus, ſollicitus, ſuſpicioſus, obſeruari ab omnibus putat, quo pecuniam loco conditam habeat; ideoque exoculatos homines vellet, quibus veretur oculos eſſe in occipitio.

*P. Famianus lib. 3. prol. 3. ex Plauto.*

## Crudelitas.

CRudelitatis horridus habitus, truculenta facies violenti ſpiritus, vox terribilis, ora minis, & cruentis imperijs referta: cui ſilentiũ donare, incrementum eſt adijcere. Etenim quem modum ſibi ipſa ſtatuet, ſi ne ſugillatione quidem frenis fuerit reuocata? Ad ſummam cum penes illam ſit timeri, penes nos ſit odiſſe. *Val. Max. l. 9. c. 2.*

Is acceptis ab Imperatore faſcibus, ratus opinor ſecures illas in bonorum caput, in ipſam innocentiam ſibi datas; quorum non inſidiatur fortunis? quorum ſalutem, ac viam per ſummam crudelitatem non extinguit? Excitate Siculi, excitate ſi poteſtis ab inferis Dionyſios illos, Phalarides, Agatocles: & ne

dum arti
inuiolatis
aliter in
brachia a
alium de
forme tu
Produc a
bilem, ca
captiuos
tuum, il
illud infa
quam ars
nemo ob
gatur, v
crurumq
facies eſ
mēbra in
ſua ſæuie
ſatellitib
*Seneca l.*
*Morbo*
*P. Pontan*
*P. Melch.*

# PES

## NV

G R
a
auxere
agreſti
rum or
vrbano
ac vigil
gio ipſ

rotrahit. tunc libidinoſus ne cu-
xpectat, ſed cupiditatibus ſuis
ine dilatione permittit; tunc pe-
non manum continet. Creſcit in-
delitas ſæuo, malignitas liuidos
tur, & prodit. Adijce illam igno-
& parum explanata verba, incer-
n errantem, vertiginem capitis,
elut aliquo turbine circumagen-
omachi tormenta, cum efferue-
era ipſa diſtendit. Cogita quas
lica ebrietas. Hæc acerrimas gen-
oſtibus tradidit; hæc multorum
bello defenſa mœnia patefecit;
os, & iugum recuſantes in alie-
; hæc inuictas acies mero do-
. 84.

morbos omnes enumerando per-
os in humanum genus importat
? extinguit rationis lumen, obtun-
animique conſilium obtenebrat,
lento videre potuiſti. Quid enim
ò quid infra belluas abiectius? vt
sò vt micant oculi ſpumat os, dif-
s languet, pedes titubant, greſſus
rpus attonitum, & ruinoſum animi
et? vt incerta verba ſui impos eru-
a crapula? Interim ſepulta ratio in
ribus nullum vſum retinet, vigilans
i fluctuat, ſine hoſte terrores pati
rporibus tremit, vt ſtipes iacet, v
umat, vt canis vomit. quid hac imat
dibus tetrius fingi poteſt, aut exco-

*.2. lect.14.pun.4.*
*uperbum, Simulatorem, Oſtentatorem,*
*oſtorem, Garrulum, calumniatorem, deſ-*
*de Eloq. lib.11 ex varijs auctoribus.*

quem deſideretis eorum, qui prouinciam iſtam compilarunt furtis, contaminarunt libidine, omnium ordinum cæde cruentarunt, Prætorem impuriſſimum, ac poſt homines natos importuniſſimum Verrem reuocate. Dicetis ab vno Quintiano ſpoliatas prouincialium domos, ab ijs ornatas atque amplificatas: ab hoc funditus euerſas, ab ijs conditas vrbes, compoſitas ciuitates. Hic ergo nouus in Sicilia carnifex, cum tota inſula non luſtrandæ prouinciæ, ſed prædandi, cædendi, libidinis explendæ cauſa vagaretur. *P. Tar. Gallutius to.2.or. 19.*

Viden quàm truculento, ac terribili aſpectu prodeat? vt ignitis ardoribus ſcintillent lumina? vt toto ex ore terrores emicent? vt anhelans pectus ſpiritum iaciat, & ex verbis ardentibus labiorum ſiccitas inalbeſcat? vt in hominum ſanguine lætetur? vt mortẽ ipſam atrocitate vincat? modum ſemel commota tenere neſcit, nec ferrum cohibere didicit impotens æſtuantis animi ſemel incenſus ardor non iniectâ frigida temperatur; torrentis inſtar, nullis coercitũ repagulis in obuia rapitur, quis obicem ponat? fruſtra prudentiam requiras ab indomita bellua, fulminis in morem fertur, nec peremiſſe contenta furorem acuit, & vngues ad prædam exerit, non cineribus parcit, non oſſibus; nihil tam ſanctum à quo violentas manus abſtineat, cælo ipſi ſi liceat, etiam arma inferret. Ad hæc quæ tua mens, quis ſenſus? tale portentum naturę non exhorreſcis? non ab oculis, & auribus, non ab animo procul eſſe iubes hanc feram, hanc furiam? *Ex Pal. Eloq. exer. 9. lect. 4. pun. 6.*

## *Ebrietas.*

INterim ſi hoc colligere vis, virum bonum non debere ebrium fieri, cur ſyllogiſmis agis? dic quam turpe ſit, plus ſibi ingerere quam capiat, & ſtomachi ſui non noſſe menſuram: quam multa ebrij faciant, quibus ſobrij erubeſcant: nihil aliud eſſe ebrietatem quam voluntariam inſaniam. Omne vitium ebrietas, & incendit, & detegit, obſtantem malis conatibus verecundiam remouet. Vbi poſſedit animum nimia vis vini, quidquid male latebat emergit. Non facit

ebrie-

ebrietas vitia, ſed protrahit. tunc libidinoſus ne cubiculum quidem expectat, ſed cupiditatibus ſuis quantum petierint ſine dilatione permittit: tunc petulans non linguam non manum continet. Creſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſæuo, malignitas liuido: omne vitium detegitur, & prodit. Adijce illam ignorationem ſui, dubia, & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipſa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum, ſtomachi tormenta, cum efferueſcit merum, ac viſcera ipſa diſtendit. Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acerrimas gentes bellicoſaſque hoſtibus tradidit; hæc multorum annorum pertinaci bello defenſa mœnia patefecit; hæc contumaciſſimos, & iugum recuſantes in alienum egit arbitrium; hæc inuictas acies mero domuit. *Seneca epiſt. 84.*

Qui peſtes atq; morbos omnes enumerando perceuſere poſſit, quos in humanum genus importat hoc infame vitium? extinguit rationis lumen, obtundit aciem ingenij, animique conſilium obtenebrat, vt in homine temulento videre potuiſti. Quid enim belluæ ſimilius, imò quid infra belluas abiectius? vt lubricus eſt inceſſus? vt micant oculi ſpumat os, diffluunt genæ, pectus languet, pedes titubant, greſſus incertus, totum corpus attonitum, & ruinoſum animi domicilium horret? vt incerta verba ſui impos eructat cum teterrima crapula? Interim ſepulta ratio in fumoſis vini vaporibus nullum vſum retinet, vigilans ſomniat, ſine mari fluctuat, ſine hoſte terrores patitur, ſine febri corporibus tremit, vt ſtipes iacet, vt ſontico morbo ſpumat, vt canis vomit. quid hac imagine, quid his ſordibus tetrius fingi poteſt, aut excogitari. *Ex P. a l. Eloq. exer. 2. lect. 14. pun. 4.*

*Adulatorem, Superbum, Simulatorem, Oſtentatorem, Ambitioſum, Impoſtorem, Garrulum, calumniatorem, deſcribit P. Cauſinus de Eloq. lib. 11. ex varijs auctoribus.*

pugnare cupientium, & fortiſſimorum Chriſti militum clauſum ad omnes aditus caſtellum, quod qui tenuerunt vti oportebat, facile furorem tæterrimorum hoſtium eluſerunt, reprimit enim corporis libidines tuetur, & cuſtodit caſtitatem, auocat mentem à curis viliſſimis fluxarum rerum, ad diuinas, & æternas contemplandas conuertit; diminuit de onere, quo illa deprimitur ad terras; auget curſus celeritatem in ſempiternam illam domum; magnificè ſentientes, & loquentes de ſe compeſcit; ſubmiſsè ſe gerentes & ſui cognoſcentes excitat; ſuperbiam, & contumaciam contundit; alit animi ſubmiſſionem, & modeſtiam; ſatisfacit Deo de peccatis, & maleficijs admiſſis, in poſterum ne plura committantur obſtat; offenſionem illius magni Patris, ſi quam habemus, delet; ſi quam timemus, vitat; corporis valetudinem ſuſtentat; mentis ſordes eluit; ſtultam, & ſcurrilem loquacitatem repudiat; ſobriam, & moderatam orationem ſemper amplectitur; denique vt omnia paucis comprehendam, omnium vitiorum fluctus à noſtra pernicie depellit; pectus omnium virtutum moderatione tranquillat; diabolos exterret, cæleſtes recreat; placat mundi huius fabricatorem, & ſcelerum vindicem ſeueriſſimum.

*P. Perpinianus or. 2. de S. Eliſab.*

## *Virtutum multarum complexio.*

QVid enim, ſi diligendum eſt aliquid, quid obſecro vos ex Agnetis laudibus omittendum eſt vt vulgare? quid vt eximium, ac ſingulare potiſſimum ſeligendum? Iuſtitiam ne præferendam putem? eſt illa quidem in Agnete præſtantiſſima: ſed fortitudo videtur excellere: fortitudinem anteponam? at illi iuſtitia non cedit. an temperantiam? prorſus id ampliſſimum ornamentum eſt: ſed ſapientia videtur illuſtrior. Sapientiam? hæc ipſa Temperantiæ ſocietate laudabilior exiſtimatur. an eius tranquilitatem, & otium laudem? nihil actuoſius an negotium? nihil ſedatius. religionem? humaniſſima eſt. humanitatem? religioſiſſima. parſimoniam? cum liberalitate diſceptat. liberalitatem? cum parſimonia

monia dimicat. At ſubmiſſionem animi præponam? quæ magnificentiam nunquam deſerit? Ergo magnificentiam? quæ nunquam ab animi demiſſione diſtrahitur? quid ſi taciturnitas anteferatur? hæc verò conſideratam Agneti peperit in dicendo curam: at eius omnis oratio tacendi ſtudium præcipuè commendat. num ne ſeueritatem aſſumam? hæc cum clementia cohæret clementiam? cum ſeueritate ſociatur. auctoritatem? ſemper cùm manſuetudine coniungitur. manſuetudinem? nunquam ab auctoritate diſiungitur. charitas verò beneuolentiæ ſic in Deum tendebat, vt ab hominibus non recederet: ita redibat ad homines, vt in Deo fixa perſiſteret. Quid pluribus opus eſt? Summa ſunt in hac Virgine, præſtantiſſima ſunt Auditores omnia.

*P. Stephonius or. 1. de S. Agnete.*

## *Homo virtute præditus.*

Religionem autem in Deum ſingularem, pietatem in ſuos comitantem in ciues, humanitatem in hoſpites, liberalitatem in egenos. clementiam in ſupplices, manſuetudinem, facilitatem, lenitatem in omnes, in promiſſis conſtantiam, in rebus contractis fidem, in contrahendis diligentiam adhibebat tantam, quantam in milite non requireres, in Duce vix inuenires, in Sapiente ſuſpiceres. Intima ſententiarum, arcana morum opinioni conſentiebant: conſtantiæ, fidei, veritatis erant. Itaque nulli familiarum reconciliatus eſt; neminem ex amicis læſit vnquam læſus omnem ſtatim offenſæ memoriam obliuione contriuit: ac nequando illi gratia recolligenda foret, cautum illi prouiſumque erat. Ducebatur ratio dignitatum, temporum diſcrimina notabantur: honor auribus, honor oculis habebatur: quod offenſiones amicorum vitari facilius diceret quàm ſanari.

*P. Stephonius or. 2. de flam. Delph.*

Ac primum dignitatem ſui generis agnoſcens de moribus cognoſcet, ac iudicabit ſuis tum inſolentiſſimo illo dominatu nefarij vt ita dicam triumuiratus è ceruicibus victo, quo res humanæ miſeriè diſtrahuntur, labefactantur, diripiuntur, indulgentia carnis

euicta, clari nominis inanitate contempta, diuitiarum cupiditate ſuperata, caſtam, & integram omnino religionem ſuſcipiet; & quaſi receptui ſignum, ac reuocationem audierit, & vaſa collegerit, è rebus humanis in ipſum templum ſanctitatis virtute quàduce qua comite commigrabit. exinde degeneres cupiditates omnes infra pedes abijciens, iacto quaſi gradu Sapiens hic noſter euadet ad libertatem filiorum Dei; nec ſanè liberè magis quam libenter in optimi maximique Parentis ſe ſe complexum reijciet, inque eum omnem vim mentis amoremque transfundet. Hoc igitur auctore ſtatuet, & iudicabit primum officium eſſe coniungi cum Deo quod eſt religionis: alterum cum genere conuenire, quod eſt humanitatis. Neque verò neſcire volet quod ſuarum ſit partium, & quod ſe propriè vitæ genus attingat; quo conſtituto viderit opportet, vt illa regia virtus alumna pacis Iuſtitia foras emineat, ac ſpectet, & proiecta tota ſit quantum cauſarum ſuarum pertinere patiatur ad domeſticos, quantum ad reliquos ciues, quantum ad alienos, quantum ad ipſos hoſtes abire verum ſit. Hoc probè fixo, ac ſtabilito volet hic noſter eſſe ſuus, ita tamen vt intimo perpurgato fonte cogitationum, ac cupiditatum, nihil ad priuata commoda deriuet vnquam: at in diuina cauſa veras intelligentias, honeſtiſſimasque voluntates commotas diuinitus diu multumque verſari velit.

*P. Stephonius Proſa 3.*

## *Ex ſtudio virtutis quæ bona proueniant.*

SI caſtum à vobis animum, ſi cupidum veritatis, ſi concordię ſtudioſum, ſi coniunctionis amantem, ſi iuſtitiæ tenacem, ſi decori vindicem, ſi memorem officij, ſi pium, docilem, beneuolum, ſapientem animum à vobis patriæ dignitas impetrabit; habebit quę ſperat, & optat firmiſſima præſidia belli, & ampliſſima ornamenta pacis, quibus nec illa à vobis melius repetere, nec vos illi reddere maius poteſtis. Hæc verò munera ſanctiſſima ſunt, hæc hominis nobilitate

dignisſima

digniſſima, hæc maxima, & certiſſima vectigalia quæ nec naufragijs obrui, nec elementorum iniurijs intercipi, nec bellorum detrimentis amitti queunt. per quæ ſi viuimus, honeſtè viuimus: in quorum ſtudio ſi morimur, beati ſumus: quæ qui deſerunt, humanitatem fugiunt: qui non amant, ſe ipſos oderunt. Hæc ſtudia mentis, hæc curricula virtutis, hæc decora dignitatis. Per quæ ſalutaribus conſilijs Senatus viget, quibus amiſſis iudicia nulla ſunt: quorum opibus ciuium continetur ſalus: per quæ florent in templis honeſtamenta pietatis, Sacerdotia ſanctius adminiſtrantur, optimis ciuibus complentur oppida, expeditiſſimus omnibus ad cælum communitur aſcenſus: humani demum generis adſtringitur vehementius, ac religioſius conſeruatur fides.
*P. Stephonius Proſa 5.*

# VITIA.

Alius libidine inſanit, alius abdomini ſeruit, alius lucroſus eſt, cuius ſummam non vinces. alius inuidia laborat, alius cæca ambitione, & in gladios ruente. Adijce torporem mentis, ac ſenium, & huic contrariam inquieti pectoris agitationem, tumultuſque perpetuos. Adijce æſtimationem ſui nimiam, & tumorem, ob quæ contemnendus eſt, inſolentem. Quid contumaciam in peruerſa nitentium, quid leuitatem ſemper aliquo tranſilientem loquar? Huc accedat temeritas preceps, & nunquam fidele conſilium daturus timor, & mille errores quibus voluimur. *Seneca lib.7. de benef.c.26.*

## *Vitiorum Tyrannis.*

Nam ille contemptor quiſquis eſt legis huius æternæ, ſe iudice damnatur, ſe teſte conuincitur, ſe tortore cruciatur, & voluntariè miſer, cupiditatibus excors, calamitatibus afflictus, ignauia mentis abiectus, & peſſundatus: ſine auriga quondam indoctus, excuſſus, & euolutus è curru trahitur, opprimitur,

mitur, eluditur, laniatur, anxius ad moleſtias, humi-lis ad timores, eneruatus ad labores, procliuis ad libidines, in ſuo inopos, in alieno rapax, in rebus attritis deſperatione fractus, in florentibus elatus, inſolens contumax, non ferendus, ciuili nunquam ſanguine ſaturatus, in acerbis etiam ſuorum funeribus exſultat. *P. Stephonius proſa 3.*

## *Auaritia.*

INtellexi ſæculum noſtrum non nouis vitijs, ſed iam antiquitus traditis laborare: nec noſtra ætate primum auaritiam venas terrarum lapidumque rimatam in tenebris male obſtruſa quæſiſſe. illi quoque maiores noſtri, quos celebramus laudibus, quibus diſſimiles querimur nos eſſe, ſpe ducti montes exciderunt, & ſupra locum ſub ruina ſteterunt. Quæ tanta ſpes fuit? quæ tanta neceſſitas hominem ad ſidera erectum incuruauit, & defodit, & in fundum telluris intimæ merſit, vt erueret aurum non minore periculo quærendum, quam poſſidendum. Propter hoc cuniculos egit, & circa prædam lutulentam incertamque reptauit, oblitus dierum, oblitus naturæ melioris, à qua ſe auertit. Nulli ergo mortuo terra tam grauis eſt, quàm iſtis ſupra quos auaritia vrgens terrarum pondus iniecit, quibus abſtulit cælum, quos in imo, vbi illud malum virus latitat, infodit. Illò deſcendere auſi ſunt, vbi nouam rerum poſitionem, terrarumque pendentium habitus, ventoſque percæcum inane experirentur, & altam perpetuamq; noctem. Deinde cum iſta fecerint, inferos metuunt. *Seneca lib. 5. nat. quaſt. c. 15.*

His ſilentio prætermiſſis, ho minem illiberalem per parcè parcum, auarum, ſordidum, rapacem, hiulcum, miluinis, & aquilinis vngulis animaduertite quàm graphicè ponit ob oculos, & conquiſitis vitiorum ſordibus, quàm appoſitè monſtrum concinnat non ſine riſu, atque indignatione exſibilandum. Primum perpetuus eſt pecuniolæ ſuæ cuſtos, veluti ſacrorum Aedituus

*Peruigilat noctes totas, tum autem interdius*
*Quaſi claudus ſutor domi ſedet totos dies.*

Ad

Ad hæc inhumanus ipſe ad inhumanitatem ſeruos informat.

*Caue quemquam alienum in ædes intromiſeris.*
*Quod ſi quiſquam ignem quærat, extingui volo,*
*Ne cauſa quid ſit, quod te quiſquam quæritet:*
*Tum aquam aufugiſſe dicito; ſi quis petat.*
*Cultrum, ſecurim, piſtillum, mortarium*
*Fures veniſſe atque aufugiſſe dicito.*
*Profecto in ædes meas me abſente neminem*
*Volo intromitti: atque etiam hoc prædico tibi*
*Si bona fortuna veniat, ne intromiſeris.*

Solertiſſimus ille porro eſt, & conficiendæ pecuniæ articulos nouit omnes. In re aliena ad ſe corriuando Orcus eſt, ac vultur qui cadauer expectet: at in re ſua elargienda, pumex non æquè eſt aridus. Quin etiã cum it dormitum, follem quo excitare igniculum ſolet, obſtringit ob gulam, ne quid animæ amittat; aquam plorat cum lauat, profundere: quin ei pridem tonſor vngues demiſerat, collegit, & omnia abſtulit præſegmina: quid verbis opus eſt? ab hoc homine famem ſi vtendam roges, nunquam dabit. Denique meticuloſus, ſollicitus, ſuſpicioſus, obſeruari ab omnibus putat, quo pecuniam loco conditam habeat; ideoque exoculatos homines vellet, quibus veretur oculos eſſe in occipitio.

*P. Famianus lib. 3. prol. 3. ex Plauto.*

## Crudelitas.

CRudelitatis horridus habitus, truculenta facies violenti ſpiritus, vox terribilis, ora minis, & cruentis imperijs referta: cui ſilẽtiũ donare, incrementum eſt adijcere. Etenim quem modum ſibi ipſa ſtatuet, ſi ne ſugillatione quidem frenis fuerit reuocata? Ad ſummam cum penes illam ſit timeri, penes nos ſit odiſſe. *Val. Max. l. 9. c. 2.*

Is acceptis ab Imperatore faſcibus, ratus opinor ſecures illas in bonorum caput, in ipſam innocentiam ſibi datas; quorum non inſidiatur fortunis? quorum ſalutem, ac viam per ſummam crudelitatem non extinguit? Excitate Siculi, excitate ſi poteſtis ab inferis Dionyſios illos, Phalarides, Agatocles: & ne

quem deſideretis eorum, qui prouinciam iſtam compilarunt furtis, contaminarunt libidine, omnium ordinum cæde cruentarunt, Prætorem impuriſſimum, ac poſt homines natos importuniſſimum Verrem reuocate. Dicetis ab vno Quintiano ſpoliatas prouincialium domos, ab ijs ornatas atque amplificatas: ab hoc funditus euerſas, ab ijs conditas vrbes, compoſitas ciuitates. Hic ergo nouus in Sicilia carnifex, cum tota inſula non luſtrandæ prouinciæ, ſed prædandi, cædendi, libidinis explendæ cauſa vagaretur. *P. Tar. Gallutius to.2.or. 19.*

Viden quàm truculento, ac terribili aſpectu prodeat? vt ignitis ardoribus ſcintillent lumina? vt toto ex ore terrores emicent? vt anhelans pectus ſpiritum iaciat, & ex verbis ardentibus labiorum ſiccitas inalbeſcat? vt in hominum ſanguine lætetur? vt mortẽ ipſam atrocitate vincat? modum ſemel commota tenere neſcit, nec ferrum cohibere didicit impotens æſtuantis animi ſemel incenſus ardor non iniecta frigida temperatur; torrentis inſtar, nullis coercitus repagulis in obuia rapitur. quis obicem ponat? fruſtra prudentiam requiras ab indomita bellua, fulminis in morem fertur, nec peremiſſe contenta furorem acuit, & vngues ad prædam exerit, non cineribus parcit, non oſſibus; nihil tam ſanctum à quo violentas manus abſtineat, cælo ipſi ſi liceat, etiam arma inferet. Ad hæc quæ tua mens, quis ſenſus? tale portentum naturę non exhorreſcis? non ab oculis, & auribus, non ab animo procul eſſe iubes hanc feram, hanc furiam? *Ex Pal. Eloq. exer. 9. lect. 4. pun. 6.*

## *Ebrietas.*

INterim ſi hoc colligere vis, virum bonum non debere ebrium fieri, cur ſyllogiſmis agis? dic quam turpe ſit, plus ſibi ingerere quam capiat, & ſtomachi ſui non noſſe menſuram: quam multa ebrij faciant, quibus ſobrij erubeſcant: nihil aliud eſſe ebrietatem quam voluntariam inſaniam. Omne vitium ebrietas, & incendit, & detegit, obſtantem malis conatibus verecundiam remouet. Vbi poſſedit animum nimia vis vini, quidquid male latebat emergit. Non facit

ebrie-

ebrietas vitia, ſed protrahit. tunc libidinoſus ne cubiculum quidem expectat, ſed cupiditatibus ſuis quantum petierint ſine dilatione permittit. tunc petulans non linguam non manum continet. Creſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſæuo, malignitas liuido: omne vitium detegitur, & prodit. Adijce illam ignorationem ſui, dubia, & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipſa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum. ſtomachi tormenta, cum efferueſcit merum, ac viſcera ipſa diſtendit. Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acerrimas gentes bellicoſaſque hoſtibus tradidit; hæc multorum annorum pertinaci bello defenſa mœnia patefecit; hæc contumaciſſimos, & iugum recuſantes in alienum egit arbitrium; hæc inuictas acies mero domuit. *Seneca epiſt. 84.*

Qui peſtes atq; morbos omnes enumerando percenſere poſſit, quos in humanum genus importat hoc infame vitium? extinguit rationis lumen, obtundit aciem ingenij, animique conſilium obtenebrat, vt in homine temulento videre potuiſti. Quid enim belluæ ſimilius, imò quid infra belluas abiectius? vt lubricus eſt inceſſus? vt micant oculi ſpumat os, diffluunt genæ, pectus languet, pedes titubant, greſſus incertus, totum corpus attonitum, & ruinoſum animi domicilium horret? vt incerta verba ſui impos eructat cum teterrima crapula? Interim ſepulta ratio in fumoſis vini vaporibus nullum vſum retinet, vigilans ſomniat, ſine mari fluctuat, ſine hoſte terrores patitur, ſine febri corporibus tremit, vt ſtipes iacet, vt ſontico morbo ſpumat, vt canis vomit. quid hac imagine, quid his ſordibus tetrius fingi poteſt, aut excogitari. *Ex Pa. l. Eloq. exer. 2. lect. 14. pag. 41.*

*Adulatorem, Superbum, Simulatorem, Oſtentatorem, Ambitioſum, Impoſtorem, Garrulum, calumniatorem, deſcribit P. Cauſinus de Eloq. lib. 11 ex varijs auctoribus.*

# AFFECTVS HVMANI.

## *Amor.*

AMor in ipſo ætatis flore, ac robore vegetus, alacer, confidens præſto eſt, quod pro Principe ſibi caro, & facere, & pati fortiter omnia feliciter audeat. Caput illi multiformi cincinnorum cumulo variatur, quos non externa Ciniflonum opera finxit, ſed ad domeſticum cordis ardorem induſtria formauit plicatiles in anulos, quibus capit, & capitur: criſpi ſunt, nec facile ventis illos cedere videas, niſi vel Auſtro, vel Zephyro, Euro, & Boreæ obſiſtunt, neque enim adſtrictorijs gaudet hic Amor, neque frontibus corrugatis obſequitur. Eius lumina faſcia non tegit, optimè ſi quidem vidit quid facèret, cùm ſe Principi tanto deuouit. intimæ cordis notiones clareſcunt in oculis, nihil enim celare nouit: nudo etiam pectore candidus, quippe quem neque fucus vllus, neque dolus infuſcat. Et ſiniſtra quidem manu claues porrigit, dextera verò cor humanum præmonſtrat, quaſi clauibus tradat iuriſdictionem; corde autem etiam tribunal.

*P. Leo Sanctius lib. 2. flor. ſub tit. Venã. Ant.*

Quæris naturam Amoris impuri? nihil mutabilius blandus eſt, & ferox, auarus, & prodigus, diues, & inops, timidus, & audax, fortis, & impatiens, obſcurus, & candidus veri falſique amans ſecreti cuſtos, & proditor, nunc humilis, nunc elatus, nunc ſobrius, nunc ebrius, nunc accuſator, nunc reus, iocatur, ludit, pallet tabeſcit, ſuſpirat, obſequitur, tentat, decipit, promittit, dat, tollit, peiuſque ſemper blanditur, quam furit. Quæris eius originem? naſcitur ex vulnere, dolore paſcitur, errore creſcit, viuit in flammis, & in cineres tandem euaneſcit. Quæris habitum? glaber eſt corpore, oculis lubricus, & procax, forma inſidioſus, & pellax, alis volucer, manu promptus, arcu, ſagittis, & facibus, armatus, ætate non magis quàm iudicio puer. Quæris eius potentiam nocendique artes? la-

tens

tenax ignis eſt, gratum venenum, dulcis morbus, blanda mors, illecebroſum ſupplicium. Hic ille amor eſt, qui rupes tranſilit, fluuios tranat, gladios acuit, laqueos nectit, parentibus inſidiatur. hic cuius furoribus tragœdiæ perſonant, qui tam ſæpe accuſatur in fabulis, exlex, iracundus, intempeſtiuus, odij pleniſſimus, & lacrymarum. Quid cum improuiſus inſtar procellæ labitur in pectus, & ab oculis irrumpit in animum, ferox, acer, acutus, facibus vndique collucens? quàm variè miſeram amantem cruciat, agitat, ſtimulat, diſtrahit, diripit, fugat, agit, appetit, raptat, retinet, iactat? Hoc formæ honeſtas defloreſcit, flos coloris atteritur, color extinguitur venuſtatis, pallet vultus, liquantur in maciem genæ, excauantur oculi, tabeſcunt lumina, mens tota de ſede conuulſa percellitur. *Ex Pal. Eloq. exer. 6. lect. 2. pun. 9.*

## *Amicitia.*

EST autem Amicitia nihil aliud, niſi omnium diuinarum, humanarumque rerum cum beneuolentia, & caritate ſumma conſenſio: qua quidem haud ſcio, an excepta ſapientia, quicquam melius homini ſit à dijs immortalibus datum. Principio cui poteſt eſſe vita vitalis vt ait Ennius, qui non in amici mutua beneuolentia conquieſcat? Quid dulcius, quàm habere quicum omnia audeas ſic loqui, vt tecum? quis eſſet tantus fructus in proſperis rebus niſi haberes, quis illis æquè, ac tu ipſe gauderet? aduerſas vero ferre difficile eſſet ſine eo, qui illas grauius etiam, quam tu ferret. denique ceteræ res quæ expetuntur, opportunæ ſunt ſingulæ rebus fere ſingulis: diuitiæ vt vtare, opes vt colare, honores vt laudere, voluptates vt gaudeas, valetudo vt dolore careas, & muneribus fungare corporis: Amicitia res plurimas continet: quoquo te verteris præſto eſt. nullo loco excluditur, nunquam intempeſtiua. nunquam moleſta eſt. nam, & ſecundas res ſplendidiores facit, & aduerſas partiens communicanſque, leuiores.
*Cicero lib. de Amic.*

Habitat enim penitus qui amat, in eo quem diligit: vel quia omnia eius conſilia quamuis abdita, & inuo-

luta, cogitationeſque tacitas animo inueſtigat, & euoluit: vel quia ſuſcipit perſonam ipſius, eiuſque tum bona, tum mala ducit ſua: atque eo ſenſim progreditur amando, vt à ſe ipſo alienus, & abſtractus, apud eum magis quem amore proſequitur, quam apud ſe eſſe videatur. quod ſi is qui diligitur, mutuum facit, & ei qui ſe amat, parem atque accipit, voluntatem reddit; tum illud profecto euenit, quod eſt in amore ſummum, vt alter in alterius pectore quodam modo viuat, & vnus è duobus animis, mira quadam, & in explicabili ratione conſletur. *P. Perpinianus or. 8. de Deo.*

## *Ira, ſiue homo Iratus.*

QVidam è ſapientibus viris iram dixerunt breuẽ inſaniam: æquè enim impotens ſui eſt, decoris oblita, neceſſitudinis immemor, in quod cœpit pertinax, & intenta, rationi conſilijſq; præcelſa, vanis agitata cauſis, ad conſpectum æqui veriq; inhabilis, ruinis ſimillima, quæ ſuper id quod oppreſſere, franguntur. Vt autem ſcias inſanos eſſe, quos ira poſſedit, ipſum illorum habitum intuere. flagrant, & micant oculi; multus ore toto rubor exæſtuante ab imis præcordijs ſanguine, labia quatiuntur. dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus, ac ſtridens, articulorum ſe ipſos torquentium ſonus, gemitus mugitusque, & parum explanatis vocibus ſermo præruptus, & complosæ ſæpius manus, & pulſata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnaſque iræ minas agens, fœda viſu, & horrenda facies deprauantium ſe, atque intumeſcentium. *Seneca lib. 1. de Ira c. 1.*

Si quid à viro commiſſum eſt, inuolant in oculos inflammatæ dolore, ſpumas agunt in ore, ſtillant oculi lachrymis, ardet vultus atque oculi pectus æſtuat iracundia, domi vociferantur, apud vicinos maledicunt, intus bellum habent indictum miſero marito; iurgantur, iactant conuicia, petulantiſſima lingua conſectantur, foris omnia effutiunt, continere ſe in illo dolore nullo modo poſſunt. Si qua verò potentia eſt,

ſi quæ

ſiquę cognatorũ, & amicorũ copia. Deum immortalem, qui motus, quæ turbæ fiunt, quæ tragœdiæ? ciuitatem omnem perturbant, cælo terram miſcent, terra cælum; excitant quotidianis querimonijs neceſſariorum in virum odia, incendunt animos amicarum, gladios propinquorum acuunt, inſtruunt intra mœnia, penèque intra parietes domeſticos armatas acies, ipſæ tanquam furiæ inter vtrumq; mediæ verſantur. hinc ſuorum iram ad iniuriam vlciſcendam inflammant, inde aliorum ad vim propulſandam animos impellunt.

*P. Perpinianus or. 1. de S. Eliſab.*

## Dolor.

QVid expectatis? fletum aliquem, aut eiulatum fortaſſe, muliebremque lamentationem? vt omnes à ſe reijciat? vt repudiet conſolatores? vt cibum introferri vetet? vt nullius orationem audiat? vt verberet os atque pectus? vellat crines? tendat in cælum ſupplices manus, Dionyſijque nomen implorans queratur humanam conditionem? vitæ inconſtantiam deploret? mortem ſuam crucem appellet? denique Deum atque homines accuſet? leuicularum ſunt iſta mulierculárum, in quibus nihil eſt animi, nihil roboris, nihil neruorum.

*P. Perpinianus Orat. 2. de S. Eliſab.*

## Timor.

EX aduerſo ſecuri atque intrepidi animi ingenijs timiditatis conſtitit; quæ vt nonnunquam ad probitatem facta eſt, ita ſæpe in vitia deflectit. Si enim in ignauos affectus omnino tranſierit, qualemcunque ſecuritatem amans, tunc inepta virtutibus, nec priuatis, aut publicis vtilis rebus, in vitium illudque fœdiſſimum degenerat. Quos autem hæc imbecillitas fregerit ſcire idcirco eſt arduum, quia ſibi conſcij turpiſſimi metus diligenter illius indicia tegunt, etiam adornatis audaciam verbis, & diſcrimina quodammodo laceſſentes, cum vtique illa abſunt.

Cæterum iniurias, contumeliam, cladem quam tímere, tam pati idonei; ad omnem ſpeciem minantis fortunæ horreſcere; neque hæc mala, quæ tantopere metuunt, forti conſtantique ſtudio, ſed deiecto, ac ignobili declinare, virtutem ſingulorum atque vim, ne quidem tentatam, expertamue ſupra ſuam timidè ducere; cunctoſque, & odiſſe, & inuita ingrataque apud ſe veneratione mirari.

*Io: Barclaius in Icone an. c. 11.*

## *Homo dolore aut metu exanimatus.*

QVid homini in hoc tam prodigioſo ſpectaculo fuiſſe animi vos putatis? nempe quod quiſque noſtrum continuò faceremus, ſi cælum Deumque iratum incumbere, ſi non fulmina ſed tartara minitari conſpiceremus. Credam ego totius oris colorem euanuiſſe, & infuſo gelu cœpiſſe ſanguinem conſiſtere, rigeſcere artus compaueſcere pectus, ſenſus, vires, animum defluere, & ſi quid his triſtius natura ſolet in terrore tragico oſtentare. Quid ſi etiam ab inſolenti portento amens reſilijt? Quid ſi metu exanimis humi concidit? Certè autem vel perterritus illicò exclamauit: vel attonitus ipſum ad querelas ſenſum vocemque amiſit. Quanquam hæc eum omnia factitaſſe non pertendo, quin potius eſt vt putem, ſtrangulatum intra ſe dolorem fuiſſe, cum nuſquam eſſet, qua parte totus in libertatem erumperet.

*P. Bidermanus in Del. ſacr. narr. 5. n. 54.*

# SAPIENTIA.

NEq; enim calamiſtrata molliter, aut cincinnata muliebriter, aut ceruſſata iuueniliter, & quaſi ſtigmatica Sapientia eſt: ſed inornata, ſed inculta, ſed grauis, ſed verenda: tanquam Regina matronali decora vultu, cultuque gratiſſima: non alieno decore, ſed natiuo: non mendicata forma; ſed ſua: non colore venuſtatis, quem fucus illinat: ſed quem ſanguis

modeſtè

modeſtè diffundat: negligens illa quidem, & incompta, verum habet negligentia maieſtatem.
*P. Guiniſius alloc. 5.*

Veſtra vera eſt, ac ſolida non inanis, & rebus non artificijs ſapientia: non alieno pictoque incedit cothurno, ſed ſua graditur magnitudine, & ſocco ſuo: neque mendacio ſtaturam iuuat grallatoria maieſtas, ſed ſe ipſa contenta, opibuſque natiuis, exoticas, & peregrinas odit illecebras, ſplendeſcit in proprijs: quibus eſt, non quibus ornatur, æſtimari ſe cupit humani pectoris, imperatrix, diuini filia: hæres paternæ mentis theſaurus ſuæ; cella, ſublimis, apta ex ſeſe non alicuius ſeruitio mancipata; ſeueritate mitis humanitate grauis, fœcunditate felix: ſine ortu veterrima, ſine occaſu nouiſſima, ſine incremento maxima: propriæ virtutis cultrix, aſſertrix alienæ, honeſtatis parens, ſanctitatis comes, caſtigatrix morum, moderatrix affectuum: publicum, immortale diuinum bonum. *P. Guiniſius alloc. 5.*

*Qui ſapientiam implacabili odio ſunt proſecuti; & contra; Qui ſapientiam honoribus cumularunt: Vide P. Tarq. Gallutium to. 2. or. 2. de Studi ſiue litterar. cognitione.*

# SCIENTIA, ET ARTES.

## *Theologia.*

AC Theologiæ quidem magnitudo, & dignitas tanta eſt, vt etiam ſine vlla ſpe fructus, incredibili amore ſui debeat noſtras mentes incendere; fructus id iucundus, & neceſſarius, vt etiã ſine dignitate, ſola ſpe vtilitatis omnium in ſe ſtudia poſſit conuertere. Quid enim maius, quid auguſtius, quid diuinius excogitari poteſt ea doctrina, cuius materia ſubiecta Deus eſt, finis Deus, auctor idem Deus, forma ipſa digna Deo. Artes aliæ humi penitus iacent, & ſi quando ſe ſe altius erigere conantur, non longè tamen ab humo recedunt: hæc relictis terris aerem ſuperat, & procul ab hominum oculis abſtracta,

 cælum

cælum ipſum, & illas quæ ſolo animo cernuntur, incorporeas mentes celeri atque arduo volatu tranſcendit. illæ rerum humanarum perangustis regionibus circumſcriptæ, ſi quando diuinas attingunt, transferunt ad humanas: hæc in latiſſimo rerum diuinarum campo liberè peruagata, ſi quando tractat aliquid de humanis, traducit ad diuinas. hæc enim vna diuino numine nobis afflata philoſophis antiquis penitus ignota ſapientia, cum nihil doceat, quod non aut Deus ipſe ſit, aut referatur ad Deum, permulta declarat, quæ ſuapte natura illuſtriſſima, nobis ob imbecillitatem animi obſcuriſſima, cum à nemine viribus ingenij cognoſci poſſent, omnibus credere volentibus diuina benignitate patuerunt. hæc ſola profecto, quam accepimus à Deo, perfecta præ ceteris, & abſoluta ſapientia nominanda eſt; quæ tota in explicatione Dei, a quo omnia ſunt orta verſatur: neque communia quædam, & peruulgata perſequitur, quæ noſtra mens vi ſua videre, & explorare penitus poſſit; verum ea, quæ cum ſint maximè propria ipſius, ita latent, vt à nemine, niſi cui vel per ſe, vel per alios ipſe detexerit perſpiciantur.

*P. Perpinianus orat.* 18.

O Vitæ Theologia dux, ò virtutum omnium parens, expultrixque vitiorum. Quid ſine te non modo nos, ſed omnino vita hominum eſſe potuiſſet? tu deprauatas impuriſſimis opinionibus hominum mentes velut, de integro interpolaſti: tu diſtractos diſſipatoſque varijs idolorum cultibus homines in vnius veræ religionis ſocietatem conuocaſti: tu magiſtra morum, ac diſciplinæ fuiſti, ac veluti Sol exoriens nubium caliginem diſſipaſti: veluti ſidus, quod Caſtoris, & Pollucis dicitur, exortu ſuo maris rabiem placat, tempeſtateſque diſpellit; ita tu diuinitus exorta, & tenebras ignorantiæ diſſipaſti, & illo tuo ſalutari fulgore procellas veterum ſuperſtitionum diſpuliſti. tu enim earum rerum ſcientiam profiteris, quarum plena cognitio æternam beatitatem, ignoratio æternum exitium hominibus pollicetur.

*Muretus to. 1. or. 1.*

*Philo-*

## *Philoſophia moralis.*

O Vitæ philoſophia dux, ò veritatis indagatrix, expultrixque vitiorum. quid non modo nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? tu vrbes peperiſti, tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ conuocaſti: tu eos inter ſe primò domicilijs, deinde coniugijs, tum litterarum, & vocum communione iunxiſti: tu inuentrix legum, tu inuentrix morum, & diſciplinæ fuiſti. ad te confugimus, à te opem petimus. Cuius enim potius opibus vtamur quàm tuis; quæ & vitæ tranquillitatem largita nobis es, & terrorem mortis ſuſtuliſti?

*Cicero lib. 5. Tuſc. quæſt.*

Nam ſi ad eos te conuertas, qui eam ſuſceperunt philoſophiæ partem, in qua de rebus expetendis fugiendiſque diſſeritur; quam præclaris in rebus eorum diſputationes conſumi videmus? Qui hoc primùm docent qui ſit finis, quid extremũ, quid vltimum bonorum omnium: quod vnum intueri, quo omnes actiones, omnes cogitationes, omnia conſilia referri oporteat, quot ſint virtutum, quotque vitiorum genera; quibuſque modis illas aſſequi, ab his declinare poſſimus; quo modo exultanti; iactantique ſe, & detrectanti rationis imperiũ frenos inijcere oporteat cupiditati; tum quomodo quiſq; ſe in re familiari gubernanda gerere debeat; poſtremò quo nihil pulchrius, nihil præclarius, nihil deniq; diuinius ne votis quidem conceptis optari poteſt, quibus moribus, inſtitutis, legibus temperandæ ſint ciuitates, quibus illæ modis fundari atque inſtitui, quibus augeri atque amplificari, quibus denique copioſiſſimæ, locupletiſſimæ, vno verbo, beatiſſimæ effici poſſint. O vitæ philoſophia gubernatrix: ò virtutum omnium parens, vitiorum omnium expultrix. tuum eſt falſarum opinionum temeritatem diripere: tuum eſt omnem inanitatem, & errorem amputare, ac circumcidere: tuum eſt vitiorum fibras euellere, ſtirpes elidere, ſemina extinguere.

*Muretus to. 1. orat. 3.*

## *Philoſophia naturalis.*

O Veræ vitæ lux, ò propugnaculum religionis, ò arx defenſorum noſtræ fidei philoſophia. ò promptuarium eorum qui falſas impiorum hominũ calumnias refutare voluerunt. quid omnino ſine te noſtræ res eſſe potuiſſent? tu bonos armaſti contra improborũ audaciam: tuis præſidijs Chriſtiana ſæpe fides communita perrupit conſertiſſimas inimicorum acies, omnia coniecta tela contempſit, clamores irriſorum, & ſibila pro nihilo putauit: te duce fortiſſimi illi Chriſti milites fuderunt infinitas tum hæreticorum, tum externorũ copias, retuderunt eorum furorem, de perfidia glorioſiſſimè triumpharunt.
*P. Perpinianus or. 4.*

Quid Phyſici? qui rerum principia cauſaſque tractant, qui quo modo quidque gignatur, quoque modo intereat ediſſerunt: qui nimborum, fulminum, tempeſtatumque cauſas: qui corporum cæleſtium magnitudines, interualla, curſus, progreſſiones: qui animæ naturam, qui rationem ſenſuum, qui animantium omnium ortus, victus, figuras, qui ſtirpium, qui omnium ferme rerum, quæ gignuntur è terra naturas ita perſequuntur, nulla vt pars ab eis cælo, mari, terra, vt poeta loquitur, prætermiſſa ſit.
*Muretus to. 1, or. 3.*

## *Dialectica.*

HOc nunquam effeciſſet ipſius iuris ſcientia, niſi eam præterea didiciſſet artem, quæ doceret rem vniuerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando ambiguam primum videre deinde diſtinguere, poſtremò habere regulam, qua vera, & falſa iudicarentur, & quæ quibus propoſitis eſſent, quæque non eſſent conſequentia, hic enim attulit hanc artem, omnium artium maximam, quaſi lucem ad ea, quæ confuſè ab alijs aut reſpondebantur, aut agebantur.

Dialecticam mihi videris dicere, inquit. Recte inquam intelligis. *Cicero in Bruto.*

*Sectas Epicureorum, Peripateticorum, & Stoicorum deſcribit P. Pontanus vol.3 par 2.progymn.69.*

*Gymnoſophiſtas Indiæ philoſophos deſcribit. Q. Curtius lib. 8.*

## *Aſtronomia.*

Dici non poteſt quanta cum oculorum voluptate barbarico cultu decens Aſtronomiæ ſimulacrū ſpectatum ſit. Cauſa veſtitus eſt eiuſmodi. Aſtrorum enim cæliqué ſcientiam immenſis illis patentis Aſiæ campis, quæ pulcherrima orbis terrarum pars duobus fluminibus Tygri, & Euphrate concluſa. Meſopotamiæ nomen inuenit, exortam eſſe, vel pauci, vel nemo planè dubitant. Vt ergo ipſo veſtitu ſuam originem noſtra Aſtronomia fateretur, eum affectauit habitum corporis, quem iis locis fuiſſe percelebrem conſtans à veteribus ducta fama confirmauit. Ergo caput contegebat conuolutis, adſtrictiſque perpetuo quodam nexu velis, quæ tamen non turbinatim in anguſtias ſupernè cogebantur, qui mos eſt recentiorum pleriſque barbarorum, ſed ea planum omnino, & vndequaque in orbem prominentem, quaſi diſcum lineum efformabant. pallam non collo tenus recta ad pedes, qui frequens eſt noſtrarum vſus fœminarum, ſed tranſuerſim à dextro humero ſub ſiniſterius brachium productam nodo firmabat, reliqua corporis adſtricta tunica modeſtiſſimè velabat. Aſtrolabium manu dextra, quadrantem ſiniſtra (adiumenta notandorum ſiderum) ſuſtinebat.

*P. Bombinus in Veſt. Coll. Rom. par.1.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

## *Rethorica.*

Iam verò domina rerū eloquendi vis quam eſt preclara, quamq; diuina? quæ primùm efficit, vt ea quę ignoramus, diſcere, & ea quę ſcimus, alios docere poſſimus. Deinde hac cohortamur, hac perſuademus, hac

con-

cõſolamur afflictos, hac deducimus perterritos à timore, hac geſtientes comprimimus, hac cupiditates iracundiaſque reſtinguimus: hæc nos iuris legum, vrbium ſocietate deuinxit: hæc à vita immani, & fera ſegregauit.

*Cicero lib. 2. de nat. deor.*

Cumque ſe ad ciuilem ſocietatem natum ſenſerit, non ſolum illa ſubtili diſputatione ſibi vtendum putauit, ſed etiam fuſa latius perpetua oratione, qua regat populos, qua ſtabiliat leges, qua caſtiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros viros qua præcepta ſalutis, & laudis aptè ad perſuadendum edat ſuis ciuibus: qua hortari ad decus, reuocare à flagitio, conſolari poſſit afflictos, factáque, & conſulta fortium, & ſapientum cum improborum ignominia ſempiternis monumentis prodere.

*Cicero lib. 1. de legibus.*

Neque verò mihi quidquam præſtabilius videtur, quam poſſe dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere quò velis, vnde autem velis deducere. hæc vna res in omni libero populo, maximèque in pacatis tranquilliſque ciuitatibus præcipuè ſemper floruit, ſemperque dominata eſt. quid enim eſt aut tam admirabile, quàm ex infinita multitudine hominum exiſtere vnum, qui id quod omnibus natura ſit datum, vel ſolus, vel cum paucis facere poſſit; aut tam iucundum cognitu atq; auditu, quàm ſapientiſſimis ſententijs, grauiſſimiſque verbis ornata oratio, & perpolita; aut tam potens tamque magnificum, quàm populi motus, iudicum religionem, ſenatus grauitatem vnius oratione conuerti? quid tam porrò regium, tam liberale, tam magnificum, quam opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitate? quid autem tam neceſſarium, quam tenere ſemper arma, quibus vel tectus ipſe eſſe poſſis, vel prouocare improbos, vel te vulciſci laceſſitus?

*Cicero de Oratore lib. 1.*

Tanta oblectatio eſt in ipſa facultate dicendi, vt nihil hominum aut auribus, aut mentibus iucundius percipi poſſit. Quis enim cantus moderata orationis pronunciatione dulcior inueniri poteſt? quod carmen artificioſa verborum concluſione aptius? qui actor

in

id imitanda. quàm orator in ſuſpicienda veritate iucundior? quid autem ſubtilius quàm acutæ crebræq; ſententiæ? quid admirabilius quam res ſplendore illuſtrata verborum? quid plenius quam omni rerum genere cumulata oratio? neque enim vlla non propria oratoris eſt res, quæ quidem ornatè dici grauiterque debeat. Huius eſt in dando conſilio de maximis rebus cum dignitate explicata ſententia: eiuſdem, & languentis populi incitatio, & effrenati moderatio. eadem facultate fraus hominum ad perniciem, & integritas ad ſalutem vocatur. quis cohortari ad virtutem ardentius? quis à vitijs acrius reuocare? quis vituperare improbos aſperius? quis laudare probos ornat ius? quis cupiditatem vehementius frangere accuſando poteſt? quis leuare mœrorem mitiùs conſolando.

*Cicero lib.* 2. *de orat.*

Sed nulla eſt artium, quam adamare magis debeat quam eloquentiam, illam inquam, reginam animorum, temperatricem optimam cupiditatum legum architectam, morum inſtitutricem, cultricem ſuauiſſimam, moderatricemque regnorum. Tenebit hic multos vnus, atque herculeis ex ore catenulis deuinciet, flectet, moderabitur. ſi quidquam ſtudio flagrantiore diſcupiat aut velit; nullus ſit omnino, qui nolit. intimas pectorum latebras altè rimabitur, inſinuabitque ſe clam in animos, atque alias ijs affectiones mores alios, aliam penè naturam inuehet mentium expugnator; atque eius qua nihil eſt homini magis proprium, libertatis. *Et infra.* Sed obſidere arcem pectoris humani liberrimam, quò non aurum, non ferrum, modò ipſa ſe tueatur, irrumpat; expugnare animos obfirmatos, contraque nitentes acerrimè: rapere quò velis: ad iram, ad miſericordiam, ad furorem impellere, ac pugnaciter incitare ardentes, flagrantesque reſtinguere: frigidos, ac remiſſos additis veluti facibus inflammare: ſpem metu retundere: odium amore compeſcere: confidentia verecundiam temperare: non ferro, non flammis, non ex aggeribus propugnaculiſque caſtrenſibus, ſed pro roſtris atque ſuggeſtu: non armis onuſtum, ſed pacatum togatumque: non ſtrictis intentatiſque mucronibus, ſed verbis, oratione ſententijs tantum operis moliri,

moliri, & victoriam omnium maximam pulcherri-
mamque reportare; hoc enimuerò magnum quid eſt,
hoc admirabile, hoc prope diuinum.

*P. Guiniſius alloc. 4.*

Commendabitur verò Eloquentia, ſi Romæ ro-
manè ſe, atque ad genium Vrbis exploret: hoc eſt ſi
ſe neque iuſto plus colat, ne iuueniliter exultet;
neque iuſto plus negligat, ne reprehendatur incuriæ:
ſi non ſtrepitu feratur, & turba verborum; ſed Roma-
ni Tyberis in morem tranquillè, ſed ſedatè, ſed pla-
cidè; vt fluere ſine ſalebra non allidi ſæpius & fran-
gi videatur oratio: ſi non tractim curſimque præter-
eat, ſed grauiter, & ſenſim incedat; neque ſaltuatim
ritu locuſtarum, ſed gradu Deorum æquabiliter: ac
veluti regina fori ſe ſe ipſa magnificè circumſpiciat:
ſi ſententijs in tempore peracutis animos vellicet, &
minutiſſima etiam ſubtilitate delectet: ſi percellat
interdum pectora granditate dicendi præferuida:
ardeat interdum ipſa, ſuaſque viciſſim faces admo-
ueat alijs: deſides inſtiget, reprimat præcipites, iner-
tes accendat: ſpem metum, amorem, odium, lenita-
tem, omnia omnium dominatrix imperet, exigatque,
vno verbo, ſi qualem decet eſſe imaginem loquentis
Romę, eadem ſit in hac Vrbe ſpecies eloquentiæ.

*P. Guiniſius alloc. 7.*

## *Rethorices formæ, & habitus.*

STabat marginato in pulpito fœmina, quam facile
incorruptam Virginem ex ipſa facie habituque
cognoſceres. Nullus capillamenti ornatus, nullus oris
fucus; ſine calamiſtris, & cincinnis, ſine medicamen-
tis natiuæ formæ, prorſus qualem fingit pudor, amat
modeſtia. Ea dicentis ſpeciem præferebat, adeo ac-
tuoſa videbatur, procera dextera, reductoque bra-
chio; pectore proiecto, vultuque prominente, tunc
maximè perorare magnum aliquid credidiſſes; ma-
nabatque ex dicentis ore fictum ex auro flumen.

*P. Bombinus in Veſt. Coll. Rom par. 1.*

Orator

## *Orator optimus.*

ERit ille quidẽ probabilis Orator, qui incorruptè dicat, & accuratè: ſed curam tamen diſſimulet, dque veluti non agens agat, atque intelligat eam atini caſtique ſermonis virtutem non tam adeſſe cum laude, quam deeſſe cum dedecore. qui non tenui venula per calculos fluat aritudini obnoxius in ęſtu dicendi, ſed ingenti latè copia redundet vbique tutus à metu ſiccitatis: modo torrentem ripis coerceat ſuis; & quod præcipitur à dicendi magiſtris vbertatis luxuriem ſtylo depaſcat. qui ſuaui, & conſperſa quaſi verborum ſententiarumque floribus oratione ita delectetur, vt ſuauitatem amet etiam auſteram, & ſolidam, non æquabiliter vbique dulcem atque decoctam. qui & ſi numeroſè volubiliterq; exprompta memoria deuoluat orationem, non ita tamen ſe ſe fugiat, quin vbi libeat ſecurus, & potens ſui reſpiret. qui cuncta rationum momentis firmet, partemque nullam ſinat otioſam eſſe: qui peracutis conceptiſque ingenioſè ſententijs auditorem excitet, dummodo illæ attemperatè, ac ſolidè cadant. Sed is inter omnes facilè primas feret. cuius oratio non cæteris quidem ornamentis deſtituatur hoc tamen in primis agat, vt animorum concitationi par nihil iacens, ac languidum habeat, ſed vehemens, atque eodem ſæpe reciproca feratur: quæ ſaxa, vt ait ille, deuoluat, auditoremque vel obfirmato ſaxeoque nitentem animo agat vltra, cogatque ire quò rapiat: quæ compoſita veluti facie ad ingenium auditorum, inſinuet ſe ſe penitus in illorum mentes, atque eas pugnaci inſtantique genere dicendi, modò ad iracundiam indignationemque ſuccendat, modò lenitate, ac manſuetudine mitiget, amore rapiat, odio inflammet, confidentia trahat, timore retrahat, pudore ſuffundat, miſericordia flectat, æmulatione ſtimulet, deſpicientia retardet, in omnem denique partem moderatus orationi, tanquam laxatis retractiue habenis, impellat inertes, ac deſides, ſimul etiam præferuidos confidenteſque pro arbitratu coerceat. *F. Famianus l. 2. prol. 1.*

Quid

Quid hic tandem leue, quid eſt ludicrum? Ornamus vt delectemus, oblectamus vt iuuemus, iuuamus vt excitemus, excitamus vt priuata temperemus & publica. Acutè ſubtilia diſputamus, acuta ſubtiliter, infima ſubmiſsè, media temperatè, ſubtilia granditer. Senatum habemus, legationes obimus, concionem cogimus: tuemur in foro æquitatem: vtilia ſuademus, honeſta laudamus, ſalutaria decernimus: rationes aliorum perditas conſolatione recreamus: feroces elidimus: placamus iratos: domi militiæque Reipublicæ proſumus: & præſentes coram affamur, & abſentes litteris conuenimus: & habemus cum omni poſteritate rationem: noſtra tranſmittimus ad minores: maiorum exempla trahimus ad nos memoriam in omnes annales, in mundi omnem ætatem effundimus: naturæ infima, media, ſumma primum cogitatione, tum oratione peragramus: animum in cælum inſerimus: ad terras cæleſtia deuocamus. Religionis cauſam tuemur: Superum amicitiam ſanctè colimus: ſanctius ſuademus: aditus obſidemus animorum, intima pectora ſubimus: &, vt ait ille, circum præcordia ludimus: opiniones inueteratas, ac noxias refugimus: infigimus ſalutares: afflictam innocentiam ſubleuamus: contra potentiam venimus: licentiam regnare nolumus: gratiam virtuti concedere iubemus. Vitia quis callidius inſectatur? laudes quis magnificentius euehit? gloriam quis ardentius appetit? infamiam quis vehementius depellit? fabulæ noſtræ ſunt: hiſtoriæ noſtræ: facetiæ noſtræ: noſtra ſermonis elegantia: noſtra vitæ dignitas decori ratio noſtra: motus vehemētia: morū temperatio, feſtiuitas orationis: & cum omni ſale facilitatis, & comitatis vrbanitas.

*P. Stephonius proſa 1.*

Animum ipſum Orato liberum, atque ad diuinitatis ſimilitudinem quandam expreſſum cogit arbitratu ſuo, atque verſat, qui cæteroqui aduerſus cruciatus omnes ferrum, ac facem inuictus ſtare potuiſſet. Sit igitur hac inſtructus facultate, diuinitatis cuiuſdam inſtar Orator, qui tempeſtates in hominum animis excitare poſſit ad arbitrium, ac ſedare, hac opem tulere ſupplicibus eloquentes, excitauere iacentes, dedere ſalutem, liberauere periculis, retinue-

re

vagos in ciuitatibus, triumphauere in iudicijs, plauſum tulere in foro, tranſuerſos egere vi ſua iudices, in circulis, in corona, in congreſſibus, fremitus plauſus, eiulatus, lacrymas excitauere; hac vicerunt, hac regnarunt, hac triumpharunt; hac cælum non tantum tetigerunt.

*Ex Pal. Eloq. exer. 6. in Proem.*

Quis autem vnus ex omnibus eligendus, niſi decus, ac lumen eloquentiæ Tullius? cuius ex ore melle dulcior torrente vehementior, flumine grauior fluit exundat, prorumpit oratio: qui tam ſubtiliter humilia, ita temperatè mediocria, magnificè, ac ſplendidè ſumma pertractat, vt nihil in eo requiras; cuius ad vocem clamores, plauſus, admirationes excitantur, cuius vbique regnat, atque dominatur oratio. Etenim ſi blandum aliquid, ſi lene, ſi pacatum & ſedatum poſtulat oratio; vt ſenſim ad intimos ſenſus audientium irrepit? adeo quidem, vt quæ flagitat, non extorquere dicendo, ſed imperare obſecrando, nec auditor inuitus rapi, ſed quaſi ducentis manum ſequi vltro, ac ſponte videatur. Si conqueri, ſi cõmiſerari, ſi ex clientis inuidia deonerare aliquid, & in aduerſarium trayceere; ſi in aliquam illius criminis quod accuſat, vel ſuſpicionem, vel affinitatem eum vocare potuerit; vt eludit hominem? vt verſat? vt iactat vtraque manu? quas in anguſtias, quos in æſtus, quas in tenebras miſerum conijcit? prorſus vt metuere incipiat, vt vel innocenti periculum facesſerit, vel ſe ipſum nihil minus cogitantem in iudicij laqueos induerit. Quid amplificationes eius? tot procellis, ac turbinibus ferire, tot coruſcare fulguribus, tot fulminibus intonare creditur. Quis altius in intimas auditorum cogitationes penetrat? quis potentius opiniones aut reuellit inſitas, aut nouas inſerit? quis facilius hominum voluntates effundit lætitia mœrore contrahit; expectatione, metu cohibet; inuidia, odio, & iracundia ſuccendit; amore miſericordia, lenitate reſtinguit?

*Ex Pal. Eloq. exer. 1. lect. 3. pun. 2.*

Sacri

## *Sacri Oratoris eloquentia.*

QVis enim elegantiore litteratura excultus? quis in rerum diuinarum myſterijs interius verſatus? quis in implicatarum difficultatum nodis diſſoluendis expeditior? quis in obſcuris quibuſcunque, tenebricoſiſque ſententijs verborum perſpicuitate illuſtrandis lucis quoſdam radios vna cum verbis ipſis clarius, aut copioſius ſpargit, feliciſſimam cæleſtis hic præco in dicendo popularitatem mira temperat maieſtate; idem verborum nexibus volucer, & grauis; incitatus, & ſeuerus; fuſus atque adſtrictus. Videas in eo ſpecioſas quidem rationes videas circuitum, & pompam, ſed ab omni redundantia, atque affectatione prudenter ſeiunctam. Videas theſauros ſapientiæ, ſenſus opulentos, tractus leniſſimos, figuras quà dignitate, quà venuſtate decoras: ſed hæc omnia ab omni oſtentatione aliena. fuit ille incredibilis cuiuſdam eloquentiæ theatrum ampliſſimum, in quo omnium animos quà, & quò volebat ab eodem adductos, traductoſque licebat intueri. Nam quis rogo, quis intimos hominum ſenſus magis explorauit? Iracundiæ faces ſubijceret? illico omnia igneſcebant. furorem blando ſermone deliniret? ſtatim vel immites feras cicurabat. Peruicaces, & refractarios increparet? ſubito tanquam ſagittis confixi ingemiſcebant. Animum commiſeratione tangere niteretur? omnium oculi atque animi colliqueſcebant. Quum verò ei lubet, oratione vtitur adamantina, eaque vel quouis ictu fulmineo potentius ſaxa & marmora, hoc eſt contumaces, & capitones perrumpit, ac domat. Quoties Antiochenum illum populum tam varium, cerebroſum, & reclamantem contente perorando ſubegit? quoties in lacrymas ſoluit? quoties exanimauit ſuſpirijs? quoties in quemdam clamoſi plauſus tumultum exciuit? O prodigium tuæ eloquentiæ Concionatorum eloquentiſſime inſolitum, atque inauditum. Quoties namque tua victi eloquentia Auditores te dicente, ſecunda ad murmuratione atque acclamatione interturbarunt? quoties acriter vrgenti ſe dediderunt?

quoties

quoties toto niſu ne penitus opprimerentur, vociferando, lacrymandoque lacrymantem oppreſſerunt? *P. Alber. de Albertis par. 2. de For. Eloq.*

## *Orator ambitioſus, & plauſum captans.*

HAs verò bullatas nugas dum proijciunt anhelantes iſti Recitatores; auriumque carnifices; quàm ingenti ſpiritu dicunt, Deus immortalis, quàm hiante ore, buccis, inflatis perſonant, perinde quaſi pondus date fumo; quod ait ille, connituntur. Reſiſtunt initio parumper ea quidem ſpecie, vt iam intelligas adornari pompalium fercula: mox verba ſenſim eliquant, proponuntque per otium contemplandas ſententiam circuitumque verborum antequam definiant, ſuſpendunt nonnihil quaſi finiendi ancipites incertique: an quòd hærentem in labris orationem ægrè expediant præ dulcedine: demum expreſſo, quod ſupererat verbo, ambitum illum orbemque ſententiæ feſtino ridentique nutu capitis concludunt: inter hæc ad auditores identidem prouocant oculis, ac mercedis loco plauſum emendicant; quem ſi forte ſibi conſequi videantur, tum verò beatuli per cælum quadrigis inuehuntur Iouis. *P. Famianus lib. 2. prol. 5.*

## *Pronunciatio, & geſtus Oratorius.*

ERgo ille Princeps variabit, & mutabit; omnes ſonorum tum intendens, tum remittens perſequetur gradus: idemque motu ſic vtetur, nihil vt ſuperſit in geſtu. Status erectus, & celſus, rarus inceſſus, nec ita longus, excurſio moderata, eaque rara, nulla mollitia ceruicum, nullæ argutiæ digitorum non ad numerum articulus cadens trunco magis toto ſeſe ipſe moderans, & virili laterum flexione brachij proiectione in contentionibus, contractione, in remiſſis. Vultus verò qui ſecundum vocem plurimum poteſt, quantam affert tum dignitatem, tum venuſtatem? in quo cum effeceris ne quid ineptum, aut vultuoſum ſit; tum oculorum eſt quædam magna

gna moderatio, nam vt imago eſt animi vultus, ſic indices oculi: quorum, & hilaritatis, & viciſſim triſtitiæ modum res ipſæ, de quibus agetur, temperabunt. *Cicero in Oratore ad Brutum.*

*Huius rei longiorem, & vberiorem deſcriptionem vide apud Quintil. lib. 11. Inſt. Orat. c. 3.*

## *Poeſis.*

NEque vlla vnquam formæ elegantia tanta fuit, neque concinnus adeo corporis cultus, quem vel cum forma, vel cum eo cultu conferas, quo vſque ad elegantiarum delicias Poeſim pictor efformauerat. Eius cultus ſtatuſque hic erat. Lyram ſiniſtra ſetis intentum arcum, quem è bellorum terrore ad muſarum voluptates ars tranſtulit, proque plectro eſſe iuſſit, dextra ſuſtinebat. auream à zona perſonam, imitandis ex orcheſtra hominum moribus ſuſpenderat, & quidem orcheſtram ipſam tapete pretioſo inſtratam inſiſtebat.

*P. Bombinus in Veſt. Coll. Rom. par. 1.*

Et verò quid auguſtius aliquando quidue candidius Poeſi fuit, cum ex arcano ſupremi pectoris ſinu delapſa, nec ſine Numinis aſpiratione concepta, venit in hanc pulcherrimam lucem, ſapientiſſimorum infuſa gremio philoſophorum, habitu verecundo, facie virginali, ſacrorum interpres, cuſtos religionis, nuncia diuinitatis. *P. Guiniſius alloc. 8.*

## *Poeticus furor.*

QVid ſapiens ille furor atque entheus, qui quos ſemel aggreditur, ab alienat à ſenſibus, & ad præclara neſcio quæ rerum facinora mouet, ac verſat animos ſe ſe quidem vacuos, & ſucco ſuo, ſed intimè plenos, ac redundantes Deo. Ille voluntarius, ille diuinus, ille magnorum operum molitor innoxius, ſine ſtrepitu vehemens, ſine pompa conſpicuus, ſine vocatu præſens; ille inquam furor; naturæ ventilator acerrimus, familiaris eſt poeticæ facultati, eiuſque perpetuò proprium agnouerunt commédaruntque

runtque ſapientes. Et meritò. ſi quidem hæc amabilis inſania, calorque præferuidus, vbi mentem agit, ac verſat, extemplò ſapientiam in imo pectore torpentem incendit, & percoquit primùm; mox enatare iubet in ſummo: denique ad oram oris, ac linguæ reuocatam, in verba ſententiaſque diſſoluit ingenioſas, admirabiles oratorio ſanè faſtigio quantumlibet celſo grandiores. *P. Guiniſius alloc. 1.*

## *Hiſtoria.*

ATque hæc quidem magnanimitatis in Auaritiam venatica ratio eſt, cuius acta, ne pereant, referuntur in commentarios ab Hiſtoria, quæ non longè abeſt dexteri lateris terreno angulo inſidens. Grandęuam illa Matronæ perſonã gerit, quòd æuum omne cognouerit, corpore quidem non obeſa, cum ſuperfluis non abundet: viſu verò peracuta eſt, quod ipſa etiam principum arcana introſpectet: nuda quoque pectore, quoniam abditiſſima quæque expromit, nihil occultans in ſinu. Verticem illi Sacra Cidaris hebraico formata ritu circumtegit, quod caput, atque initium Hiſtoriarum omnium hebræi ſolum Scriptores attigerint. Zona eius adſtrictior (quippe quæ profuſos eloquentiæ mores non induit) Zodiacum insculptum habet, quod dies, & annos Aduerſarijs, & Annalibus digerat, vti Sol deſcribit itineribus. Scribit autem ad facem prælucentem Horologio, & ſtabili cubo impoſitam. eſt enim Hiſtoria lux temporum, innixa Veritati, quæ vna ſcribendi firmiſſima baſis eſt.

*P. Leo Sanctius lib. 2. flor. ſub. Tit. Ven. Ant.*

## *Politica Virginis habitu.*

VIrgo hæc duas inter vrbes media: pacatam lętis circum agris alteram, alterã bellicoſam denſo milite coronatam; vrbium omnium moderatrix eſt Politice, felicitati humanæ ſocietatis nata. ſceptrum manu eburneum, reſpondente reliquo ad regiam maieſtatem ornatu; geſtat: quia vna hæc reges initio

creauit,

creauit, & nunc etiam, vbi rite regnatur,huius vnius nutu reges viuunt; vt verè Regum Reginam dicas Ciconiam ſummo. Hippopotamium imo in ſceptro inſculpſit;pacis alterum, alterum belli inſigne: quod vtrumque illa tempus ad publlicam felicitatem dirigit. *P. Bombinus in Veſt. Coll.Rom.par.1.*

# ARS MEDENDI.

NEmpe Medicus primò in leuibus vitijs tentat, non multum ex quotidiana conſuetudine inflectere, & cibis potionibus, exercitationibus ordinem ponere, ac valetudinem tantum mutata vitæ diſpoſitione formare: proximum eſt, vt modus proficiat: ſi modus, & ordo non proficit, ſubducit aliqua, & circumcidit: ſi ne adhuc quidem reſpondet, interdicit cibis, & abſtinentia corpus exonerat. Si fruſtra molliora ceſſerunt, ferit venam, membriſque ſi adhærentia nocent, & morbum diffundunt, manus affert; nec vlla dura videtur curatio, cuius eſt ſalutaris effectus.

*Seneca lib. 1. de Ira. c. 5.*

## *Alexipharmacum ſiue Theriaca.*

NAm Alexipharmacum ab Andromacho excogitatum haberi tunc optimum ferunt, cum ex centum propè,iiſque varijs,ac permutatis herbarum ſuccis,ac ceteris rebus vnius medicamenti conficientibus, ad eiuſque poteſtatem, ac vim adornandam ritè ingredientibus, nulla præcipuè ſit, quæ velut emineat,& quaſi ſupernatet, atque olfactui guſtuiq; ſe ſe intrudat, ac fateatur oleatque naturam ipſa ſuam ſed vnum ex omnibus condimentum, atque vnus ſapor; diuerſus tamen à ſingulis enaſcatur. *P. Guiniſius alloc.2.*

*Quæ ad artem medendi ſpectant Vide Corn. Celſum, qui medicamenta deſcribit varijs idonea morbis. Præterea Plinium hiſt. nat. l. 26.& P.Pontanum vol.3 par.2 progymn. 47. & ſequentibus.*

MVSI-

# MVSICA.

HÆc cum de ſecreto naturæ tanquam ſenſuum regina tropis ſuis ornata proceſſerit, reliquæ cogitationes exiliunt: omniaque facit eijci, vt ipſam ſolummodo delectet audiri. Triſtitiam noxiam iucundat, tumidos furores attenuat, cruentam ſæuitiam efficit blandam, excitat ignauiam ſoporantemque languorem, vigilantibus reddit ſaluberrimam quietem, vitiatam turpi amore ad honeſtum ſtudium reuocat caſtitatem, ſanat mentis tædium bonis cogitationibus ſemper aduerſum, perniciosa odia conuertit ad auxiliatricem gratiam, & quod beatiſſimũ curationis genus eſt, per dulciſſimas voluptates expellit animi paſſiones, incorpoream animam corporaliter mulcet, & ſolo auditu ad quod vult deducit, quam tenere non præualet, verbo tacto manibus clamat, ſine ore loquitur, & per inſenſibilium obſequium præualet ſenſuum exercere dominatum.

*Caſſiodorus l. 2. epiſt. 40.*

In muſicis ( ne longius à Muſis abeamus ) in cantu vocum atque neruorum, faſtidit hæc ætas noſtra, quem tamen ſuperior quæ fuit, concentum ſtabilem, & grauem, plenumque authoritatis. modulos neſcio quos amamus, & frequentamenta, quibus concidatur minutim cantus, fractusque diſſiliat, ac plena illa, & ſonora vocum vis, ac poteſtas eneruetur. reuocati promiſſique ex inſperato numeri, coll ſi durius ſoni, ſuſpenſa illico vox, & vbi minimè expectes amputata, attis hodie medulla ſunt, plauſumque multitudinis conſequuntur.

*P. Famianus lib. 2. prol. 5.*

Muſicam hic excellere notius eſt, quàm vt à me lucem expectet. ſanè vocem alio mercare ſub cælo: nam potes vbi fecerit natura tractabilem: eius attollendæ tantum deprimendæque, ac diſpenſandæ per tonos modum, ac moram, quis eſt qui non habeat vbique vænalem? at ſapor atque ſuauitas, argutiæ quædam, & condimenta facultatis huius nuſquam niſi Romæ conficiuntur. In hac ſiquidem Vrbe me-

medulla, & ſuccus artis innaſcitur; quem ſi qui labris admouerint, illuc extemplo canora tanquam apis volat ingenium, vt dulcitudini concentum, & veluti mellificio vocis indulgeat. Et quotus hodie quiſque reperitur, qui ſi forte facultatem cantus à natura ſortitus eſt ceream, mollem, ac melleam, eamque prouehere, ac formare velit ad optimam quippe cenſuram artis, & regulam; is non illicò meditetur Romam? Accipite ſi vacat, ſpecimen aliquod perfectionis huius à viro non tàm muſicis, quàm muſis addicto, & quid demum Roma facultati conferat, atque addat agnoſcite. Principio conſtans plerumque veſtigium auctoritatis inaffectata vox imprimit, adeoque grauem minimèque vacillantem glomerat, & metitur gradum; vt omnem planè ſpeciem gloriamque negligere, nec ſe ſe in inceſſu circumſpicere, ritu ſibi plaudentium videatur. mox vbi genius ille vocalis incaluit, ſenſim in artem incidit, artificij fuga. hic enimuerò concidere minutim ſonos, & canora velut in puncta diſtinguere, pluribuſque momentis, & minimis maxima eorum tempora compenſare: hic argutiolas modulorum, & belle cadentes ad numerum charites, velut artis appendices vltimas, & quoſdam quaſi cincinnulos cōcinnare: hic ductum celerrimè ſpiritum librare veluti pennis, atque in ſublime promittere: mox aut ad ima deuoluere, aut retrorſum à medio curſu reprehendere, protſum, verſum impellere, ante expectatum premere, ſiſtere, reuocare, circumagere veluti turbinem, ac verſare; vt non ore, ſed torno vibratum rotundatumque credideris. hic duritate blandiſſima, dulcitudinis ſatietati conſulere: hic improuiſa demiſſione vocem introrſum flectere, & ſurda quadam titillatione prouehere, ac verè in ſinu ſuo canere: hic exultantem cantus hilaritatem fractis identidem numeris, & quaſi mœſtitia temperare: denique ſonum illidere, implicare, explicare, ſuſpendere, variare, producere: ſuſpirijs, trepidatione, modulatione, minuritione, concentu plenè, grauiter, acutè, ſexcentis modis melicus hic hominum populus ab loci natura nobilitare nouit facultatem ſuam.

*T. Guiniſius alloc. 7.*

*Organum*

## *Organum pneumaticum.*

Æ Nearum fiſtularum ſeriem rectarum continet ad inſtrumentum; quæ numero impares, ac longitudine ita ſunt diſpoſitæ, vt per tubos item æneos aut ligneos inflentur ſpiritu, qui follibus ingentibus collectus valentiſſimi operarij brachijs ad fiſtulas tranſmittitur: tum ictibus digitorum manus vtraque magiſtri ſcientiſſimi prudenter huc atque illuc errans flatum immoderate profuſum, opercula foraminum vel abducens vel inducens, vt fere fit in tibijs, ex arte moderatur: quo fit, vt quod per ſe incondite maximè reſonaret, & prope mugiret iucundum auribus cantum acutis, grauibus, medijs ſonis muſicè temperatum reddat, quo templa tota feſtis diebus alacritate quadam, & ſuauitate complentur.

*P. Nigronius orat. 2.*

*Organi hydraulici longiorem deſcriptionem habes apud Vitruuium lib. 10. c. 13 quæ ex comentario Danielis Barbari maximè illuſtratur.*

## *Cythara tricorpor.*

SEd quando in muſicis ſumus, iniquè facerem cum antiquis, ſtudioſus iunioris Melopææ, ſi Pythagoræ cuiuſdam zacinthij pyramidale machinamentum harmonicum vobiſcum paucis non recognoſcerem. Molem tribus inſiſtentem pedibus, quam proinde Apollinis tripodem vocauit, extruxit. Vnaquæque facies huius ſonoræ pyramidis triplici chordarum ordine diſpoſita, tria illa muſicorum ſyſtematum genera referebat, quorum non niſi vnum Diathonicum hoc tempore ſupereſſe nobis dolendum eſt. Tres ergo veluti cytharas in vnum pſalterium aptauerat; ſupra quod æmulatus hic etiam Delphicum lebetem metallum concauum ſonorum amplificandorum gratia collocauerat. Iamque mollē ab omni parte feliciter abſolutam, ceu ſuſcipiendo Numini aptam Phœbadem, Phœbus ipſe ſedens ad tripodem vno ſpiritu animare volebat. Sed cum

duæ,vel certè vna eius organi facies obuerſa in aliam partem à fidicine diſtaret ſemper, tripartitum illud expugnandis auribus delectationis tormentum ſimul ex plodere, ac tractare non poterat. Igitur ſubiecta ad baſim rota pyramidem verſatilem reddit, pedibuſque auxiliaribus rotatam in gyrum, ita digitis tractantibus offerebat, vt qui aurium iudicio rem examinabat.tres cytharœdos vno eodemque tempore mutuo certamine colludere iudicaret: tanta celeritate mutabat machinæ facies ſonorus ille Vertumnus, aut Proteus, ne dicam Geryonem tricorporis harmoniæ.

*P. Leo Sanctius l. 1. flor. praf. 11.*

# ARCHITECTVRA.

ORdiamur ab illa tectorum machinatrice ſcientia: in quā duplex inuaſit fallacia, duplexque mendacium, vnum ab opere, alterum à diſciplina. Cum enim duo ſint, quæ doctrinam illam omnem facultatemque componunt, ratiocinatio, & fabrica; ratiocinationem, hoc eſt de partium conuenientia, quæ ſymmetria dicitur, iudicandi ſolertiam, & multiplicem rerum cognitionem. qua tam ampla ſcientia prorſus abſoluitur, ita pauci tenent,vt ſi res antiquorum arbitrio permittatur, plerique ne dicam omnes ex Architectorum albo, & numero ſint expungendi. Nam quos illi machinatores, & Architectos nominarunt, niſi ſcientiſſimos viros,& diſciplinis innumerabilibus inſtitutos?aut vnde petebant eos qui templa, qui fora, qui Prætoria, qui theatra, qui thermas, qui priuatorum ædificationes informare, ac perficere deberent, niſi ex ſapientum numero,& ex choro litteratorum.

*P. Tarq Gallutius to. 1. orat. 3.*

Neque tamen minus Architecturam,Sculpturamque Roma perfecit. Teſtes appello tot formas ædificiorum,& modulos, aut ad ſpeciem,& ornatum elegantes,aut ad commoditatem, atque vſum opportunos. Teſtes operum moles aut antiquitati ſuperſtites,aut à Noſtris excitatas,regijs ſemper, & opibus domino-

dominorum, & opificum animis viribuſque perfe- ctas. Teſtes immenſas templorum ſtructuras latiſſimis areis impoſitas, in ſpeciem vrbium aſſurgentes, ac populi non vnius tantummodò capaces: in quibus ſimul delectat oculos pulchritudo, ſimul animos terret immenſitas; ac iure poſſit eſſe miraculo tam elaborata in tanta mole ſubtilitas. Prætereo ſacras in templis ædiculas artificio abſolutiſſimo fabrefactas, in quibus aurum, ac gemmæ, ſuprema naturæ perfectio, cæmenta ſunt.

*P. Guiniſius alloc. 7.*

## *Fabricæ veterum noſtratibus compoſitæ.*

DE ipſa loquar fabrica, deque opere, cuius fraus, & deceptio noſtra ipſorum eſt, qui decipi volumus, atque ab arte petimus non tam moles diuturnas, quam integumenta rerum ſpecioſa, formaſque ad tempus ſanè breuiſſimum apparentes. Quoniam verò intelligi facilè res niſi per contentionem, & comparando non poteſt, eamus per huius Vrbis vbique disiecta membra, & illa veluti magni cadaueris oſſa, miſeras ſtoliditatis ne dicam, an ferocitatis barbaræ reliquias intueamur. Ipſis profectò videbimus oculis huius fallaciam, & fucum artis illicò vel inſcitiam, vel leuitatem, vel incuriam noſtram intelligemus. Illi nimirum antiquæ probitatis antiquiſſimi ciues non dicam è ſolido marmore, ſed è montibus aggeſtis olim compoſuere, quæ nunc ſegmentis, & cruſtulis integimus ædificia. Quæ nos fundamenta vtcumque demum excauato ſolo, vel ruderibus implemus, vel palis, ſublicíſque fiſtucarum adactis machina ſolidamus, illi depreſſis in ingentem altitudinem foſſis, areis deinde latiſſimis in imo ſtratis, ruderatiſque, tum ſtatumine ſuffultis, & teſta; ad extremum quadrato ſaxo, eoque magnitudinis immenſæ ad libellam exæquatis, tanquam ad ſuſtinendum orbem terrarum ſine vllo vitij periculo præparabant. Quos ipſi parietes euanidos, & raros, hoc eſt breui caſuros extruimus, illi ſilice pinſo atque contuſo, illi cæmentis imbricatim diſpoſitis, illi curioſa fartura faciebant ſempiternos. Sed opulentiæ dicet aliquis,

iſta fuere beneficia, quæ nullis parceret impenſis, non artificij ſincerioris,& diligentiæ; quaſi verò vnus omnium ego per inſcitiam crederem, cunctis tum etiam popularibus, & venalitijs Luculli cenſum aut Craſſi theſauros ad domicilij fabricam, & expolitionem fuiſſe; nec intelligerem quantùm demum inter domum Neronis auream,& Suburræ, Carinarumque tabernas intereſſet. Non omnes illæ parietinæ, quas cernimus, Baſilicarum excidia ſunt: etiam ædiculæ priuatorum habuere ruinas ſuas. quarum cum in repaſtinationibus offenduntur aliqua fragmenta corroſa iam, & vetuſtate pene detrita, ipſæ ſentiunt operarum manus, & lacerti, quid habuerint olim ſoliditatis, & operæ. Sed nos vniuersè ( fatendum enim puto quod res eſt ) nos,inquam, ita ſumus,vt infimi, ſummi, medij frontium ſtructuras amemus creta oblitas, & gypſo; intimas mediaſque parietum inſtructiones, quia ſunt ab oculis longè ſubmotæ negligamus:

*P. Tarquinius Gallutius tom. 1. orat. 3.*

## *Ars pingendi.*

FOrte dum præacuto coctilique laterculo manum exercet in ſilice,quo inſtrata erat via,ibiq; pecudis contra paſcentis ex vero ſimulacrum exprimeret; accidit vt Cimabues eius ætatis Apelles ſuſceptum illac iter haberet,oculiſq; in puerum coniectis laborem eius, & conatum obſeruaret. Subſtitit primò tantum ſolertiam in admirationem vſque ſuſpiciens: mòx vt propius rem inſpexit.agnouitq; differentiam linearum alterna ſe vice iuuantium.atque ad expreſſionem imaginis excitantiũ, aptiſſimo inter ſe membra colligata nexu, diſtinctos in membris articulos, receſſus vmbrarum ac depreſſiones,ab his exultantes luminum eminentias. ſymmetriam atque ordinem partium,venuſtatemque totius operis,veritate vſque adeò repreſentata, vt non ſpirare ſolum ouis in lapide ac depaſci ſed ipſam quodammodo ſuporũ allicere, ac deludere poſſe videretur ingluuiem.

*P. Gutniſius alloc.4*

Nimirum duo illa ſæculi lumina Raphael Vrbinas,

& Michael Bonarotus ambitum artis, atque amplitudinem occupauerant: iamque ampliſſima Romæ gymnaſia ſiderum, hoc eſt florentiſſimorum iuuenũ ephebea certatim aperuerant: quibus cum lucẽ ipſi comunicarent ſuam; tabulæ prodibant quotidie in publicum, & artificio, & ipſa etiam copia ſanè mirabiles: quæ non auctorum modò facultatem, quæ tunc eſſet, exprome rent; ſed futuræ incrementa gloriæ pollicerentur. Igitur Andreas Sartius cum ad illorum officinas ſeſe conferret, aut per Vrbem obambularet luſtraturus oculis animoque præclaros artificũ labores; ſuſpiciebat interdũm in figuris ſymmetriam, & ordinem inter ſe ſe partiũ, interdũ argutias vultuum, & varietates: alibi extremorũ finitiones, & terminos admirabatur, figurarum alibi artificioſa compendia, & velut in nodum contracta corpora, quæ vel oculis ipſis imponerent, & plura quàm exprimerent, ſignificarent. animaduertebat colores ſiue fictitios, ſiue natiuos ſuauiſſimè ſemper inductos, ac variè temperatos: & quod expectationem admirationemq; ſuperabat omnem, horum pleraque iuuenũ erant inuenta, & animis concepta magnificè, & pigmentis expreſſa celeritate, ac felicitate pari

*P. Guiniſius alloc. 7.*

Colores fortaſſe nos addidimus, & varios, & meliores: nũquam enim ita multiplices, aut tam floridos vidit ãtiquitas, quæ magis auſteris, & ſurdioribus vtebatur. Sed ne iſto quidem nomine fecimus aliud, niſi fucum atque aſpicientiũ oculis, vt Iuriscõſulti loquũtur, impoſturam. Illi enim priſcorum artifices hebetiora ſanè pigmenta, nec plura quàm quatuor parietibus, ac tabulis inducebant leuiſſimè; ſed tamen immortalia illa fecerunt opera, quibus afferre vitiũ longiſſima ſecula non potuerunt. Nos chryſocolla, nos purpuriſſo, nos Indico limo, & draconum ſanie tabulas inueſtimus, nec tàm coloribus illinimus, quã medicato tectorio parietes incruſtamus. Sed quicquid agimus interea, quicquid eo labore cõfingimus, fugaciſſimũ eſt, fluxum in horas, & breui tẽpore permanſurum. libuit mihi per otium inſpicere picturã antiq; ſuperſtitionis argumentum in pariete vetuſtiſſimo, qui non multis abhinc annis è Mæcenatis effoſſus ſubſtructionibus in Aldobrandinis repoſitus eſt viri-

darijs,ea perfectam diligentia,colotibus ita pertinacibus,ac diuturnis,vt neque tanta præteritorum ætas annorum, neque congeſtitiæ rupes, quæ ſuperuenerunt in dies,neque ſubterranei ſpecus humida tabes, ſituſque teterrimus multum de lumine, ac ſplendore, multum de commiſſura, tranſituque,multum de alia operis dignitate detraxerit. Spirant enim adhuc ea pigmenta, fucuſque minimè fucatus ſpirat,& in carioſa materie, cæmentiſque corruptis apparet artificium integrum, & lineamenta recentia.

*P. Tarq. Gallutius to. 1. orat. 3.*

Verùm vt hominum vultus delinees in tabula, vt colores tam varios ſcienter confundas, rectèque ſecernas,vt vnumquemque cum alio ſuauiter temperes;vt vmbras ſcitè cuique corporis eminentiæ affingas; vt quæ ſub oculis ſunt longinqua ſimules, vt longinqua in proximo ſtatuas; vt in cauo plana metiaris, in plano rotunda,in rotundo directa, in recto obliqua, in arcto ampla,in æquo prærupta adumbres; denique vt ſolerti penicillo, quæcunque arrident, bellè ordinatèq;repræſentes,hic enimuerò diù multùmque hærendum,ac morandumeſt.

*P. Alb. de Albertis par. 2. de Ord. praſt. n. 143.*

Petrus Berrettinus Cortonenſis in ipſo iuuentutis curriculo ſenilem abſolutiſſimæ artis metam adeptus, expingendum argumentum prudenter digerit: extremas inter lineas corporum ſymmetriam, raro alioqui ſucceſſu artis emendatè includit: validè nitidèque colorat: corpora tum graphicè denudat,tum eleganter inueſtit: fucorum argutias, & veneres operum grauitatis nobilitat cothurno: & (quod laudis faſtigium eſt) auguſtum antiquitatis vultum recenti æmulatione ſic præſentat, vt par ſolertiæ merces, nunquam antiquandi nominis æternitas debeatur.

*P. Io: Baptiſta Ferrarius in Proem. Flora.*

Tam graphicè Petrus Berrettinus Cortonenſis herculeam in Heſperidum hortis victoriam repræſentauit,vt ſimul picturæ ſuæ dotes eximias ſine coloribus perfectiſſimæ expingeret. Etenim toroſa & robuſta planèque herculea delineandi, ac pingendi arte ſic valet, vt profligata draconis inſtar mordaciſſima inuidia, immortalis gloriæ ſpolium aureum reportatit.

repoſtarit. Quin etiam herculeo, & lacertoſo pingendi generi adiungit raro alioqui commercio venuſtatem. *P. Io: Baptiſta Ferrarius l. 1. Heſper. c. 1.*

Si mundus græcè, latinèq; merum ornatum ſonat, in Franciſci Albani pictura mundum agnoſcite, quâ nihil eſt ornatius, atque concinnius. Poſſuntne corpora ſymmetria caſtigatiore formari? filo venuſtiore definiri? decentiore poſitu vel cõtrahi, vel extendi? ſuauiore colorum diſtributione diſtingui? Porrò ſic eminent in vnoquoque vultu argutiæ, in capillo elegantia, in ore venuſtas ac dignitas, vt Albani loco ipſe pingere gratia videantur. Vbi pictor corpora denudat, carnem à natura ſuffectam credas: vbi conueſtit, veſtes arte quidem, ſed veſtiaria fatearis inductas. Tantus eſt autem exquiſitiſſima operum abſolutione, vt niſi ſuum ipſe nomen ijs aſcribat, meritò ſubſtitui poſſit illud, Diligentia faciebat.
*Idem l. 1. c. 10.*

O artem natura perſonatam: ò lineamenta animata. Vos viuidæ indolis artificem, vitam coloribus immiſcentem Andream Saccum proditis, dum ſingulari naturam artificio ſimulatis. Cætera picturæ ſumma in eo viro decora præ iſto decolorantur, quod animos pinxit. Quamobrem congruenter varijs animi motibus vegetam fabulam colorauit, vt peculiare hoc artificij ſui miraculum eſſe oſtenderet, altiſſimè colores inducere, qui nempe ad animum vſque peruadant: quique dum pingendo fingunt, ficta in vera commutent. Vt corporum ſymmetria, & elegantia, quæ celebris etiam nominis pictoribus negotium exhibet, ludus illi ſit, qui picturam calleat animorum. Dicite in eius operibus eminere operoſiſſimam diligentiam, diſpoſitionem, ac menſuras, atque adeo corporum lineamenta ex picturę legibus ducta membrorumque naturalem inter ſe competentiam perfectè modulatam: lætam etiam floridamque colorum temperiem: denique artis cothurnum, & dignitatem. *Idem l. 2. Heſper. c. 5.*

Glorioſius in ampliſſimo quà tabularum, quà parietum campo vaſtis corporibus è mortuo colore animam vitamque ducentibus, erudito luminum vmbrarumque diſpoſitu eminentibus, viuidos in geſtus actuoſis, artificioſa nonnunquam contractione

 iuſtam

iuſtam longitudinem mirè oſtendentibus, Gigantæum bellum non ſtolidè quidem cum cælo, ſed ingeniosè cum ipſa natura bellat: de que captis, & captiuis mortalium oculis, animiſque pluribus ſimul locis quotidie triumphat. Quid incredibilis illa in pingendo, & accurata celeritas? nonne diuini potentiam imperij pro arbitratu omnia momento procreantis, quantum homini fas eſt feliciter æmulatur?
*Idem l.4.Heſper.c.18.*

*Pigmenta, pictores, & picturas inſignes deſcribit Plinius l.35.c.4.& ſeq.*

# ARS STATVARIA.

EX hæreditate quæ mihi obuenit, emi proximè Corinthium ſignum, modicum quidem ſed feſtiuum, & expreſſum, quantum ego ſapio Eſt autem nudum, nec aut vitia, ſi quæ ſunt cælat, aut laudes parum oſtentat. Effingit ſenem ſtantem, oſſa muſculi, nerui, venæ, rugæ et am vt ſpirantis appareant, rari, & cedentes capilli, lata frons, contracta facies exile collum, pendent lacerti, iacent papillæ, receſſit venter. A tergo quoque eadem ætas, vt à tergo ipſum quantum vetus color indicat, vetus, & antiquum. Talia denique omnia, vt poſſint artificum etiam oculos tenere, delectare imperitorum, quod me tanquam tyrunculum ſollicitauit ad emendum.
*Plinius iun. lib. 3. epiſt.6.*

## *Cælatum opus è marmore quo Lauretana Ædes ornatur.*

QVadratum eſt ornamentum ſacram vndique Virginis cellam amplectens: totum fermè è candido marmore ſolido, ac mira arte cælato. vniuerſum opus è Carrarienſi marmore candoris eximij conſtat, ſtriatis opere Corinthio diſtinctū columnis, quarum ſenæ longiora latera adornant, quaternæ breuiora. Imam partem faſcia pedalis è marmore

marmore lucullco cingit, ſtereobatę locum obtinens. Surgunt indæ ſtylobatæ coronati, qui aptè ſpatia diſtinguunt. In ſpatijs ſtylobatiſque vel gentilia adſcitaue Leonis Pontificis inſignia, vel virtutum argumenta cælata viſuntur, ſigillis qua pedalibus, quà cubitalibus mirè ſcitè, venuſteque facti s Supra ſtylobatas columnæ diſpoſitæ binæ ad ſingulos angulos: in longioribus autem lateribus etiam binæ in medio, binis videlicet ianuis æquo ſpatio interiectis. In ipſis porrò intercolumnijs bini item ſignorum ſuis loculamentis incluſorum ordines deindè adiecti: vnus infernè ad baſes ſacrorum Vatum: alter supernè ad epyſtilia Sibyllarum Chriſti, aut Deiparæ Virginis ortum vaticinantium Ipſa loculamenta porphyreticis tabulis incruſtata opere magnifico. In maioribus ſcapis inter columnarum ſcapos tabulæ ingentes è candido marmorę ſolido integroq; vbi nobilium B. Mariæ factorum argumenta ſimulacris naturalis fere ſtaturæ eminentibus, pulcherrimè cælata miraculo ſunt. Epiſtylia porrò columnarum egregiè facta opere Corinthio multiplex corona cingit, cui ſubiecta ſpatia binæ aquilæ tenentes mordicus encarpos reſteſque pomorum, ac fructuum egregiè cælatæ interiectis leonum roſtris adornant

*P. Turſellinus hiſt. laur. l. 3. c. 6.*

*Coloſſos, & ſtatuas inſignes deſcribit Plinius hiſt. nat. l. 34. c. 7. & 8.*

# ARS TEXENDI.

ECce Poſſidonius dum vult deſcribere primum, quemadmodum alia torqueantur fila, alia ex molli ſolutoque ducantur: deinde quemadmodum tela ſuſpenſis ponderibus rectum ſtamen extendat quemadmodum ſubtegmen inſertum, quod duritiam vtrinque comprimentis tramæ remolliat, ſeparata coire cogantur, & iungi, textricum quoque artem à ſapientibus dixit inuentam; oblitus poſtea repertum hoc ſubtilius genus, in quo

*Tela iugo iuncta eſt. ſtamen ſecernit arundo:*
*Inſeritur medium radijs ſubtegmen acutis*

*Quod late feriunt inſecti pectine dentes.*

Quod ſi contigiſſet illi videre has noſtri temporis telas, in quibus veſtis nihil celatura conficitur, in quibus non dico nullum corpori auxilium, ſed nullum pudori eſt? *Seneca epiſt. 90.*

Sequitur lanificium, & textrina cuius opus ipſam, vel æquat artificio, vel vincit varietate naturam. Iam enim littora, portuſque iam flumina, iam Euripi, iam ſaltus, & ſiluæ, iam pecora paſtoreſque texuntur. Nihil in floribus eſt, nihil in arboribus, nihil in graminibus herbiſque terrarum, nihil in nauigationibus nihil in prælijs, quod laborioſæ texentium non referant opificio manus. Sed quàm fallax, ſuoque infecta hæc etiam ars adulterio ſit, in frigore ſentimus, experimur in ſumptu. Nihil enim magis oſtendit Aracnem hoc artificium inueniſſe, quam quod textores ipſi tenuitate, ac vanitate operis araneorum telas imitantur. O etiam in hoc genere innocentiam antiquorum incredibilem, atque apertiſſimam animi ſimplicitatem. Tractaui ego ſæpè manu ſerici fruſtulum vel paludamenti, vel pallij ex antiquiſſimo tumulo extra portam Capenam prope monumentum Ceciliæ Metellæ à repaſtinatoribus eruti: quod vt decoloratum aliquantulum eſſet ex tempore, ſincerum tamen illum purpuræ ſuccum, ne in ſepulcretis quidem atque inter cadauerum cineres omnino dimiſerat. In ſumma priſcorum ætas, & ratio ita ferebat. Quæ veſtes aureæ dicebantur, aut argenteæ, aureo verè argenteoque ſtamine fuerunt intextæ: quæ purpureæ, concharum verè, ac muricum ſucco tingebantur. Nunc autem, & holoſerici villos lana mentiri didicimus, & alienam tramam aureis licijs interſerere, & herbis tingere vulgaribus, quod Tyrium aut purpureum appellemus.

*P. Tarq. Gallutius to. 1. or. 3.*

# ARS EQVITANDI.

EQuum impigrum, & generoſum in angulo, aut in crepidine perangusta moderari, ac flectere, negotium eſt viri, qui omnes equitandi norit articulos:

los: ne dum bellua immanis, & ferox aut ſe ſaltu prorſum impellit, aut retrorſum volutatimque reſilit, ac magnæ virtutis ſpeciem in arcto præfert, interea ſolido tantiſper offendat; ſeque agitatoremque ſuum, ſi paulò ſit indiligentior, miſerè deiectum, ac perditum eat. *P. Guiniſius alloc. 1*

Vt enim nihil facilius, nihilq; pronius, quam effrenem veredum, aut ſternacem equum, in ampliſſimo laſciuientem prato, quoquouerſum curſu citatiſſimo ſine vlla lege præcipitem ferri, ſurſum deorſumque per amœnos colles ſpatiari, nonnihil procedere, extemplo repedare, in orbem circumagi, ante, retro, in latus procurrere, recedere, deflectere: ita nihil arduum magis, aut durius quam lupatis coercitū aſtu r conem, ephippijs inſtratum, poſtilena, pectoralique ſuccinctum, habenis, & loris ſuſtentatum, rectoris fræno ſemper parentem, per anguſtiſſimum callem rectà ſemper, ordinatimque pergere, ad virgulæ vmbram, ac ſibilum illicò mobilem celerare iter; iam gradu tolutim explicatò bellè, grauiterque incedere; modò foſſas pernici ſaltu traijcere; nunc poſterioribus arrectum pedibus inſiſtere, iam incitatius glomerare paſſum; mox vaſtam curſura effuſiſſima tranſuolare planitiem; repente fræno monitum curſum abrumpere, ſubito hærere veſtigio; rurſum laceſſitum calcaribus toto impetu ruere; hoſtem in pugna calcibus petere, ferire, proculcare, lacerare morſu hinnitu territare, niſu, preſſuque exanimare.
*P. Alb. de Albertis par. 2. de Tull. or. n 66.*

Vide equitem equo fere indomito inſidentem, recto corpore, & excello, & cruribus compoſitis ad equeſtrem ſpeciem, & elegantiam, cum habenis in manu ad exercendum defatigandumque equum, quem multo curſu ſurſum deorſumque facto, equum defatigare vides, & officium facere tanta peritia, equitandique ſcientia, vt laudent omnes, omnes mirentur. Quem exultantem, & moderatius excurrentem continere, quemadmodum ſolet & coercere, vt habenas cum opus eſt adducit, vt remittit? vt verſat in omnem partem? vt incitat ad curſum vt reuocat? & parere lupato cogit? planè videtur ab incunabulis ad equeſtrium ſcientiam inſtitutus. Sed inter alia, illa ſcientia fræno ſuſtinendi equi in præcipiti etiã, & lubrico

lubrico loco quanto clarior eſt, cum refractarium lupatis adeo refregit ? quàm admiranda illa in equo tractando, & in exercendo virtus, qui indomitum,& effrænatum equum in exiguũ ſæpè gyrum compulit. *P. Melch. de la Cerda in Camp. Eloq. vol. 1.*

## *Ars deſultoria Equitum currentium.*

EXhibita ſpectacula equeſtria, in quibus Ialophi deſultoria arte, & agitandi peritia ita ſe admirabiles præbuere, vt Numidis ipſis ( quorum celeritate motuque corporis præcipua laus eſt ) agilitatis palmam omnium iudicio conſenſuque eripuerint. ſiquidem tanta erant membrorum vel dexteritate, vel robore, vt equi incitatiſſimi ephippijs nulla omnino curſus intermiſſione tum recti inſiſterent,,corpuſque circumagerent; tum repente inſiderent,diſpoſitoſque humi lapillos ad vnum inde colligerent, eum etiam momento deſilirent , reſilirentque.
*P. Maffeius hiſt. I. d. l. 1.*

# ARS IACVLANDI.

ARmorum nullo,ſagittarum vel precipuo ſtudio tenebatur. Centenas varij generis feras ſæpe in albano ſeceſſu conficientem ſpectauere plerique atque etiam ex induſtria ita quarundã capita fingentem.vt duobus ictibus quaſi cornua effingeret. Nonnunquam in pueri procul ſtantis, præbentiſque pro ſcopulo diſpanſam dextræ manus palmam, ſagittas tanta arte direxit, vt omnes per interualla digitorum innocuè euaderent.
*Suetonius in Domit. c. 19.*

Si venatione nuntiata procedit, arcum lateri innectere citra grauitatem regiam iudicat: quem tamen ſi cominus feram, auemque aut venanti monſtres, aut vianti, manui poſt tergum reflexæ puer inſerit, neruo loroue fluitantibus. Igitur acceptum modò inſinuatis è regione capitibus intendit, modò ad talum pendulum nodi parte conuerſa, languentem

chordæ

chordæ laqueum vagantis digito ſuperlabente proſequitur: & mox ſpicula capit, implet, expellit; quid cupias percuti, prior admonet. Eligis quid feriat, quod elegeris ferit. & ſi ab alterutro errandum eſt, rarius fallitur figentis ictus, quam deſtinantis obtutus. *Sid. Apollinaris l. 1. epiſt. 2.*

Sagittarum quæ præcipua Turcis vis, iam neglectus ille vſus, qui olim formidabilis orbi fuit. credo quia ſine longo ſudore, corporiſque ad laborem obſequio, ad hanc artem perueniri non poteſt. & hodie milites fracti otio, & languente diſciplina tanti non emunt fortes eſſe. Breues arcus ſunt, inflectique niſi à peritis difficiles; cæterum multo maiore impetu tela expellunt, quam quo machinæ noſtræ plumbeas glandes eijciunt. Vidimus quidem (& fidem oculis noſtris tardè habuimus) chalybem tres digitos altum ab exigua ſagitta pertranſiri; nec minoris prodigij fuit, deſtitutũ ferro telum in modicæ arboris truncum arcu impelli, & vtrinque defigere. *Io: Barclaius in Icone anim. c. 9.*

# ARS MECHANICA, ET EIVS OPERA VARIA.

## *Horologium Solare.*

QVare cum vos ornet talium rerum prædicanda notitia, horologia nobis publicis expenſis ſine veſtro diſpendio deſtinate. Primum ſit vbi ſtilus diei index per vmbram exiguam horas conſueuit oſtendere. Radius itaque immobilis, & paruus peragens quod tam miranda magnitudo Solis diſcurrit, & fugam Solis æquiparat, quod motum ſemper ignorat. Inuiderent talibus ſi aſtra ſentirent, & meatum ſuum fortaſsè deflecterent, nec tali ludibrio ſubiacerent. Vbi eſt illud horarum de lumine venientium ſingulare miraculum, ſi has, & vmbra demon-

demonſtrat? Vbi prædicabilis indefecta rotatio, ſi hoc, & metalla peragunt, quæ ſitu perpetuo continentur? O artis inæſtimabilis virtus quæ dum ſe dicit ludere, naturæ prævalet ſecreta vulgare.
*Caſſiodorus l.1.epiſt.45.*

## *Horologium rotis circumactum.*

SEd opere pretium eſt, Auditores horologium miri artificij inſtrumentum è ferro, chalybeque conflatum, in quo tanquam in ſpeculo veritatem hanc dilucidius intueamini, veſtris oculis acurata inſpectione luſtrandum ſubijcere. In eiuſmodi machinamento dentatæ aliquot rotæ ſtriato axis verticillo interiecto mutuò commiſſæ, & fœderatæ grauibuſque ſuſpenſæ ponderibus, in orbem ſenſim ſine ſenſu voluuntur. Ferrea in medio columella ſubtili hærens filo, tenuique lamina tranſuerſa in capite interſecta, atque exemptilibus plumbeis glandibus hinc atque illinc ex ea pendentibus librata, totius moderatrix temporis, in ſubiectos orbes incidit; bipinſque ligulis in eorum dentes, quaſi frænis ex interuallo iniectis rotas in gyrum raptas, deſcripta ad numerum mora in ſingula penè momenta ſuſtinet, & relaxat. Tandem vbi princeps rota penitus circumuoluta eſt, cauam in crenam decidente ſufflamine, libramentis ad terram feſtinato decurſu recellentibus illicò ſoluitur machina, malleumque verſatilem incitato verbere in tintinnabulū ex ære campano fuſum impellit, quotque ictus malleus infligit, totidem horas tundendo deſignat. Hoc inſtrumentum ad dimetienda temporum ſpatia excogitatum tot in rotas, ac ferramenta graphicè deſcriptum, magnum ſagaxque artificis, qui id fabricauit, ingenium inſignitè demonſtrat.
*P. Alber. de Albertis par. 2. de Ing. ino. n. 135.*

## *Speculum.*

LAminas duci, & ſpecula fieri non niſi ex optimo poſſe creditum fuerat. id quoque iam fraude

corrum-

corrumpitur. Sed natura mira eſt imagines reddendi, quod repercuſſo aere, atque in oculos regeſto fieri conuenit. Eadem vi in ſpeculis vſu polita craſſitudine, paulumque propulſa dilatatur in immenſum magnitudo imaginum. Tantum intereſt repercuſſu illum reſpuat, an excipiat. Quin etiam pocula ita figurantur. expulſis intus crebris ceu ſpeculis, vt vel vno intuente, populus totidem imaginum fiat. Excogitantur, & monſtrifica, vt in templo Smyrnæ dicata: id euenit figura materiæ; plurimumque refert concaua ſint, & poculi modo, an parmæ Threcidicæ; media depreſſa, an elata; tranſuerſa, an obliqua; ſupina, an recta, qualitate excipientis figuræ torquente venientes vmbras. Nec enim eſt aliud illa imago, quàm digeſta claritas materiæ excipientis vmbram.

*Plinius hiſt. nat. l. 33. c. 9.*

Nihil iudicamus in ſpeculis, niſi fallaciam eſſe, nihil aliud quam alienum corpus mentientibus. Non enim eſt in ſpeculo quod oſtenditur; alioquin nō exiret, nec alia protinus imagine obduceretur: nec innumerabiles modò interirent, modò exciperentur formæ. Quid ergò? ſimulacra iſta ſunt, & inanis verorū corporum imitatio: ſuntque iſta à quibuſdam ita compoſita, vt & hæc poſſint detorquere in prauum. Nam ſunt ſpecula quæ faciem proſpicientium obliquent; ſunt quæ in infinitum augeant, vt humanum habitum excedant modumq; noſtrorum corporum.

*Seneca l. 1 quæſt. nat. c. 15.*

Quippe in omnibus manu faciundis imaginibus opera diutina ſumitur, neque tamen ſimilitudo æquè ac in ſpeculis comparet. Deeſt enim, & luto vigor & ſaxo color, & picturæ rigor, & motus omnibus, qui præcipua fide ſimilitudinem repræſentat. Cum in eo viſitur imago mirè relata, vt ſimilis ita mobilis, & ad omnem nutum domini ſui morigera: eadem ſemper contemplantibus æquæua eſt, ab ineunte pueritia ad obeuntem ſenectam: tot ætatis vices induit tam varias habitudines corporis participat, tot vultus eiuſdem lætantis vel dolentis imitatur. tantum præſtat imaginis artibus ad ſimilitudinem referendam læuitas illa ſpeculi fabra, & ſplendor opifex.

*Apuleius apol. 1.*

Sphæra

## *Sphæra Archimedis.*

VOlubilem illam Archimedis ſphæram, quæſo vos,tot in circulos,minores,maiores maximoſq; deſcriptam,tot in orbes tributam,tam varijs diſcretā figuris intuemini. Illā æquas in partes æquatorę diuiſam, obuerſis hinc atque illinc verticibus, axe intercurrente ſuſpenſam, orbe finiente interſectam in medio, tranſuerſa zona, velut faſcia circumueſtitam contemplamini. Illam labentis cęli circuitus æmulari; illam errantium ſiderum curſum referre; illam pares impareſque planetarum motus exprimere; illam Solis, ac Lunæ vices reddere animaduertite; Quem noſtri tanta orbiculorum multitudo, tam recto compoſita ordine, tam certis terminata finibus, tam iuſtis librata momentis admiratione non impleat? Cui adeo imperito tanta partium congeries, ſibi vbique tam pulchrè conſentiens, ingenioſi artificis perſpicacem mentem non expingat?

*P. Alb. de Albertis par. 2. de Ord. praſt. n. 139*

## *Moles cryſtallyna inſtar cæli elaborata.*

MAchinam è cryſtallo conflauit neſcio quis non tam dolandi, quam adulandi faber egregius. In ea cæleſtium moles orbium meluſit: curſum Solis,ac Lunæ, ſiderum moras conuerſioneſque diſtinxit: cælo ſuppoſuit aerem tenuiſſimè explicatum, cuius ſuperior regio ſalubris atque innocens libera ſemper eſſet à turbis atque turbinibus; inferior mutationibus obnoxia modò amœnitate, ac luce blandiſſima rideret, modò cogeretur in nubes (nam hæc omnia artifex inſeruerat) modò tempeſtatibus ageretur, rigeret modò procellis, imbribuſque diffluerer, tonaret, fulguraret, mentita quoque fulmina contorqueret. In media mole Choſroen inſculpſit è gemma,veluti Deum operi immiſtum ſuo, ac ſupercilio

cilio terrarum domino ſuſtinentem omnia, mouentem, ac dexteræ iubentis imperio moderantem.
*P. Guiniſius alloc. 2.*

## *Circinus.*

ETenim circinus Geometrarum potiſſimum eſt inſtrumentum ſtylis geminis compoſitum ad angulos acutos inter ſe iunctis, circulis in plano rectè faciendis planè neceſſarium: quorum alter ſtylorum ſtabilis figitur in centro circuli faciendi; mobilis alter ducitur in gyrum, & conficit orbem planè perfectum. Neq; hunc vnum habet vſum eo; ſcribimus, delemus, metimur, perforamus, & omnia facimus quæcumque ſtylus ſimplex in erudito puluere Mathematicorum ſolet efficere.
*P. Nigronus Orat. 6.*

## *Crepitaculum papyraceum.*

NEſcio quid grande follicantibus buccis ampullanti, clam à tergo papyraceum ſulphureo oppletum puluere crepitaculum latenter affixit: quod vbi ille ſubſellio ſecurus incubuit, concepto igne, multiplici ſtatim ſclopo ſtrepitare cœpit, furentemq; ac ſufflante retrò flamma excitum è ſella repente Statium, atque in medium ignea cum cauda, ambuſtoque ſago proſilientem riſere primum Patres: poſtea verò oppleta fumo, tetroque odore Curia, exire inde coacti, malam Plauto crucem precati minatique ſunt. *P. Famianus l. 3. prol. 1.*

## *Muſcipula.*

TAbellis plerumque fagineis curioſè læuigatis in capſulæ, ſeu domunculæ oblongæ modum compingitur facie quadrangula. Tabellarum altera pauimenti loco ſuppoſita ternas ſuffulcit erectas in parietes, & nonnihil prominet in gradum; altera lacunaris inſtar ſuperpoſita modicè porrigitur in ſubgrundas.

grundas. Oſtiolum claudit cataracta ſiue foris pendula, quæ geminos vtrinque ferreos annulos tenuiſſimis è ferro clathris inſertans breui lino de longiuſculo vecte ceu tollenone ſuſpenditur. Vectis hic ab ea parte, qua cataractæ adnectitur, craſſior paulatim ita graciléſcit, vt in mucronem deſinat. In media ſuperiore tabella defixus eminet cuneus bifurcus, qui vectem ferreo filo traiectum ideo intercipit; vt ille ſuſque deque verſatilis cataractam attollat, ac deijciat. In eadem extrema tabella ſub extremo vectis mucrone foramen ferream lineam tranſmittit tranſuerſæ foraminis ferreæ lineolæ ad retinaculum circumuolutam, nec non ſumma parte reduncam, ima hamatam; vt ſuperior vncus extremo vecti cataractam attollenti leuiter hæreat, inferior hamus eſcam tenaciter teneat; quam vbi ſubrepens muſculus auidè, ac mordicus arripit, repente reducto ſuperiore retinaculo cataractam in ſuam deijcit ruinam; incautæque gulæ reus popinam ſibi vertit in carcerem mox geniali, ac ludibundo carnifice ſele, ridiculum ſaltuatim ſupplicium luiturus.

*P Ferrarius de florum cult. l. 3. c. 3.*

# ARS, ET PERITIA MILITARIS.

SEd vt hoc omiſſo ad ſtudiorum, atque artium contentionem, reuertamur: qui poteſt dubitare quin ad Conſulatum adipiſcendum multo plus afferat dignitatis res militaris; quam iuris ciuilis gloria? vigilas tu de nocte, vt tuis conſultoribus reſpondeas; ille, vt eò quò intendit maturè cum exercitu perueniat te gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitat tu actionem inſtituis: ille aciem inſtruit. tu caues ne tui conſultores, ille, ne Vrbes, aut Caſtra capiantur: ille tenet, & ſcit vt hoſtium copiæ, tu vt aquæ pluuiæ arceantur. ille exercitatus eſt in propagandis finibus: tu in regendis. Ac nimirum, dicendum

dum eſt enim quod ſentio, rei militaris virtus præſtat cæteris omnibus. hæc nomen populo Romano, hæc huic Vrbi æternam gloriam peperit. hæc orbem terrarum parere huic imperio coegit. Omnes vrbanæ res, omnia hæc noſtra præclara ſtudia, & hæc forenſis laus & induſtria, latent in tutela, ac præſidio bellicæ virtutis; ſimulatque increpuit ſuſpicio tumultus, artes illicò noſtræ conticeſcunt.

*Cicero in orat. pro L. Murana.*

Nec ea tantum militiæ decora putabat, equum flectere, tela ſpargere, caſtris habendis optare campum, locorum diſtantiam, oculorum dimenſione finire, vallum iacere ſcienter, ad certum ictum deſtinato librare tormenta, opportunè vineas agere pubem in aciem educere, inſtructa iam acie ſub ſignis habere paratum militem, ordines diſtributo committere, cæſim, punctim ferire gladijs cominus, eminus iaculis rem gerere, producere, collatare, procurrere, ſubſiſtere, circuire, reſiſtere, inſtare, diſſimulare, mutare in cornu pugnam, demum laceſſere, fundere, vincere. *P. Stephon. or. 2.*

Totum antiquorum apparatum bellicum, & noſtrum per comparationem leuiter inſpiciamus. Illis binæ legiones, totidem ſocij, equites mille, & octingenti iuſtũ octodecim millium faciebant exercitum armatorum· qui vallum, arma, vtenſilia, cibos meſtruos, aut ſeméſtres, etiam interdũ humeris ferrent; qui pari gradu procederent in itinere, qui gradum eundem æqualiter concitarent, qui cum plenis armis, & tanto cum onere decurrerent qui ſua manu foderent, ligna cæderent, aggeres, teſtudines, turres ſtruerent, & quod caput eſt, qui totum terrarum orbem tam exiguo numero debellarent. Nobis colluuio tyronum, & multitudo, ſexagintà millium copias parat, eorum qui oneri ſint, aut pompæ, qui ſarcinas illas innumerabiles; atque impedimenta nouæ militiæ cumulent, qui alterum operarum, calonum, lixarum, coctorum, gregum, atque armentorum exercitum ducant, qui ſolidos annos, & quidem plures tanquam circa Troiam ad repetendam Helenam in alicuius angulo prouinciæ ſedeant; & re infecta plerunque digrediantur.

*P. Tar. Gallutius to. 1. or. 3.*

Diſci-

## *Diſciplina militaris.*

Militem neque à moribus, neque à fortuna probabat, ſed tantum à viribus tractabatq; pari ſeueritate atque indulgentia. non enim vbique, ac ſemper, ſed cum hoſtis in proximo eſſet, coercebat: tum maximè exactor grauiſſimus diſciplinæ: vt neque itineris, neque prælij tempus denunciaret: ſed paratum & intentum momentis omnibus, quò vellet ſubito educeret. Quod etiam ſine cauſa plerunque faciebat, præcipuè pluuijs, & feſtis diebus. Ac ſubindè obſeruandum ſe admouens repentè interdiù vel nocte ſubtrahebat: augebatque iter, vt ſerius ſubſequentes defatigaret Delicta neq; obſeruabat omnia neque pro modo exequebatur: ſed deſertorum, ac ſeditioſorum, & inquiſitor, & punitor acerrimus, conniuebat in cæteris. Ac nonnunquam poſt magnam pugnam, atque victoriam, remiſſio officiorum munere licentiam omnem paſſim laſciuiendi permittebat: iactare ſolitus milites ſuos etiam vnguentatos bene pugnare poſſe: nec milites eos pro concione, ſed blandiori nomine commilitones appellabat: habebatque tàm cultos, vt argento, & auro politis armis ornaret: ſimul, & ad ſpeciem, & quò tenaciores eorum in prælio eſſent metu damni. Diligebat quoq; vſque adeò, vt audita clade Tituriana, barbam capillumque ſummiſerit: nec antè dempſerit, quam vindicaſſet. Quibus rebus, & deuotiſſimos ſibi, & fortiſſimos reddidit.

*Suetonius in Cæſare c. 65 & 67.*

Erant homines inopſi ſimplices, ipſo agreſti habitu aſpectuque propemodum contemnendi: ſed certa animi contumacia, corporiſque duritie, & fide admodum conſtanti: multoque ducum amore, & parendi obſequio, optimorum militum nomine digni; eos Germanicæ militiæ more gladijs, haſtiſque inſtruxerant. Signa ſequi, tympanorum certis pulſibus ſcienter obtemperare, conuertere dirigereque aciem, in cocleam decurrere, & denique multa arte hoſtem ferire, exactèque ordines ſeruare docuerant. Quodque magno vſui ſemper fuit, omnibus eorum

manipulis

manipulis miſcuerant viros militares ſuperioribus bellis exercitatos, ac ingenio maximè valentes, qui multitudinem regerent, & ſubitis caſibus atque periculis ſe primos offerrent.
*Iouius lib. 4. hiſt.*

## *Diſciplina militaris ſoluta, & exercitus contumax.*

QVod ſi fuiſſet, non L. Papyruim, ſed Tribunos, ſed prauum populi iudicium nequicquam poſteros accuſaturos: cum polluta ſemel militari diſciplina, non miles Centurionis, non Centurio Tribuni, nõ Tribunus legati, non Legatus Conſulis, non Magiſter equitum Dictatoris pareat imperio: nemo hominum, nemo Deorum verecundiam habeat: non edicta Imperatorum, non auſpicia obſeruentur. ſine commeatu vagi milites in pacato, in hoſtico errent, immemores ſacramenti, licentia ſola ſe vbi velint exauctorent: infrequentia deſerant ſigna: neque conueniant ad edictum: nec diſcernant interdiu nocte, æquo iniquo loco, iuſſu iniuſſu Imperatoris pugnent: & non ſigna, non ordines ſeruent: latrocinij modo cæca, & fortuita, pro ſolemni, & ſacrata militia ſit. *T. Liuius dec. 1. l. 8.*

Sed vbi in Africam venit, exercitus ei traditur à Sp. Albino proconſule, iners, imbellis, neque periculi, neque laboris patiens, lingua quam manu promptior, prædator ex ſocijs, & ipſe præda hoſtium ſine imperio, & modeſtia habitus. nam Albinus, Auli fratris, exercituſque clade perculſis, poſtquam decreuerat non egredi prouincia, quantum temporis æſtiuorum in imperio fuit, plerunque milites in ſtatiuis caſtris habebat, niſi cum dolor aut pabuli egeſtas, locum mutare ſubegerat. ſed neque muniebantur ea, neque more militari vigiliæ ducebantur vti cuique libebat, ab ſignis aberat, lixæ permixti cum militibus diu noctuque vagabantur & palantes agros vaſtare, villas expugnare, pecoris, & mancipiorum prædas certatim agitare: eaque mutare cum mercatoribus vino aduectitio, & alijs talibus: præterea frumentum publicè

publicè datum vendere, panem in dies mercari: poſtremò, quæcunque dici aut fingi queunt, ignauiæ luxuriæque probra, in illo exercitu cuncta fuere, & alia amplius. ſed in ea difficultate Metellum non minus quam in rebus hoſtilibus magnum, & ſapientem virum fuiſſe comperio, tanta temperantia inter ambitionem, ſæuitiamque moderatum: namque edicto primum adiumenta ignauiæ ſuſtuliſſe dicitur, ne quiſquam in caſtris panem, aut quem alium coctum cibum venderet: ne lixæ exercitum ſequerentur: ne miles gregarius in caſtris, neue in agmine ſeruum, aut iumentum haberet.

*Saluſtius de bello Iugurt.*

Deportarat Appius in Volſcos exercitum, eumque ſuo imperio vexabat, ſed infenſum iam Duci militem nec metus, nec pudor coercebat: ſegniter, otioſè contumaciter omnia agere: ſi Conſul citius agi vellet agmen, tardius, ſedulò incedere: ſi adhortator operis adeſſet, omnes ſua ſponte motam remittere induſtriam: præſenti oculos, atque ora demittere, prætereuntē tacitè execrari. quid multa? productus in aciem Romanus miles turpi fuga petit caſtra, vixque à vallo ſubmouet inſtantem hoſtem: nec ferox Appius, omni nequidquam acerbitate prompta continere ad extremum ſuos potuit, quin caſtris exinde motis, non exauditis imperijs, turbatis ordinibus, effuſo agmine, per ſtragem corporum armorumque Romam euaderent.

*P. Famianus l. 2. prol. 4. ex Liuio.*

## *Ars Imperatoria.*

SEd in ea difficultate Metellum non minus, quàm in rebus hoſtilibus, magnum, & ſapientem virum fuiſſe comperio, tanta temperantia inter ambitionem, ſæuitiamque moderatum: namque edicto primum adiumenta ignauiæ ſuſtuliſſe dicitur, ne quiſquam in caſtris panem, aut quem alium coctum cibum venderet: ne lixæ exercitum ſequerentur: ne miles gregarius in caſtris, neue in agmine ſeruum, aut iumentum haberet: cæteris arte modum ſtatuiſſe: præterea tranſuerſis itineribus quotidie caſtra mouere:

nere: iuſta; ac ſi hoſtes adeſſent, vallo, atque foſſa munire: vigilias crebras ponere, & eas ipſe cum legatis circuire: item in agmine, in primis modò modò in poſtremis, ſæpe in medio adeſſe, ne quiſquam ordine egrederetur: vt, cum ſignis frequentes incederent, miles cibum, & arma portaret. ita prohibendo à delictis magis, quam vindicando, exercitum breui confirmauit. *Saluſtius de bello Iugur.*

Erat autem Philopæmenes, præcipuæ in ducendo agmine, locisque capiendis ſolertiæ, atque vſus: nec belli tantum temporibus, ſed etiam in pace ſe ad id maximè exercuerat. Vbi iter copiam faceret, & ad difficilem tranſitu ſaltum veniſſet: contemplatus ab omni parte loci naturam, cum ſolus iret, ſecum ipſe agitabat animo: cū comites haberet, ab ijs quærebat: ſi hoſtis eo loco apparuiſſet; quid ſi à fronte, quid ſi ab latere hoc, aut illo, quid, ſi à tergo adoriretur, capiendum conſilij foret? poſſe hoſtes inſtructos recta acie poſſe incōditū agmen, & tantūmodò aptum viæ occurrere, quem locum ipſe capturus eſſet cogitando, aut quærendo exequebatur: aut quot armatis, aut quo genere armorū (plurimum enim intereſſe) vſurus; quò impedimenta, quò ſarcinas, quò turbā inermem traijceret: quanto ea, aut quali præſidio cuſtodiret: & vtrum pergere qua cepiſſet ire, via, an ea, qua veniſſet, repetere melius eſſet: caſtris quoque quem locum caperet: quantum munimento amplecteretur loci: qua opportuna aquatio, quà pabuli lignorumque copia eſſet, quà poſtero die caſtra mouenti tutum maximè iter, quæ forma agminis eſſet. His curis cogitationibuſq; ita ab ineunte ætate animum agitauerat: vt nulla ei noua in tali re cogitatio eſſet. *T. Liuius dec. 4. l. 5.*

## *Bellator.*

HÆc tibi apud hoſtes veneratio. Quid apud milites? quam admirationem quemadmodum comparaſti cum tecum inediam, tecum ferrent ſitim, cum in illa meditatione campeſtri militaribus turmis imperatorium puluerem, ſudoremque miſceres, nihil à cæteris niſi robore, ac præſtantia differens

cum libero Marte nunc cominus tela librares, nunc vibrata ſuſciperes, alacer virtute militum, & lætus quoties aut caſſidi tuæ, aut clypeo grauior ictus incideret, laudabas quippe ferientes hortabariſque vt auderent: & audebant iam, cum ſpectator, moderatorque ineuntium certamina virorum arma componeres, tela tentares, ac ſi quod durius accipienti videretur, ipſe vibrares. Quid cum ſolatium feſſis, ægris opem ferres? Non tibi moris tua inire tentoria, niſi commilitonum ante luſtraſſes: nec requiem corpori, niſi poſt omnes dare. Tribunus verò diſiunctiſſimas terras teneris adhuc annis viri firmitate luſtraſti, iam tunc præmonente fortuna, vt diù penituſque perdiſceres, quæ mox præcipere deberes. Neque enim proſpexiſſe caſtra, breuemque militiam quaſi tranſiſſe contentus, ita egiſti tribunum, vt eſſe ſtatim dux poſſes, nihilque diſcendum haberes tempore docendi. Cognouiſti per ſtipendia decem, mores gentium, regionum ſitus, opportunitates locorum, & diuerſam aquarum, cælique temperiem, vt patrios fontes, patriumque ſidus ferre conſueuiſti, quoties equos, quoties emerita arma mutaſti. Veniet ergo tempus, quo poſteri viſere, viſendumque tradere minoribus ſuis geſtient, quis ſudores tuos hauſerit campus, quæ refectiones tuas arbores, quæ ſomnum ſaxa prætexerint, quod denique tectum magnus hoſpes impleueris, vt tunc ipſi tibi ingentium ducum ſacra veſtigia iiſdem in locis monſtrabantur. *Plinius in Paneg. Traiani.*

Ne tùm quidem quum in altiorem prouectus gradum, iubere tantùm, & diuidere negotijs otium, & parta gloria velut repoſito frui poſſes honore, operam remiſiſti: quin omnium caſtrenſium munerum numeros primus aut cum primis obires, ſtare pro ſignis, excubias fortè agere, vallum ferre, locum bello antecapere, ſpeculàtum egredi, caſtrametari, in prælium primus ire, prælio poſtremus excedere, dux conſilio eſſe, miles exemplo, vt iam tum poſſet intelligi alios imperatori pugnare, te tibi. Illud tamen mirum, quòd quum omnia faceres vt imperare deberes, nihil tamen faciebas vt imperares. *Lat. Pacatus in Paneg. Theod.*

Igitur in acerrimo hoc bellatore multæ erant, vt

in

in homine ſemper armatò,litteræ,multi ſales,multæ ſuauitates. Recordari poteſtis ingenium illius acie, ſed in loco: vehemens, ſed compoſitum, docile,comme,ſedatum,iucundum, horarum omnium Nec ea tantum militiæ decora putabat, equum flectere,tela ſpargere caſtris habendis optare campum, locorum diſtantiam oculorum dimenſione finire, vallum iacere ſcienter, ad certum ictum deſtinatò librare tormenta,opportunè vineas agere pubem in aciem educere, inſtructa iam acie ſub ſignis habere paratum militem, ordines diſtributo committere,cæſim,punctim ferire,gladijs cominus, eminùs iaculis rem gerere, producere, collatare, procurrere, ſubſiſtere, circuire,reſiſtere,inſtare, diſſimulare,mutare in cornu pugnam, demum lacefſere,fundere,vincere: non hæc,inquam, tantum decora militis putabat: ſed illa multo magis, ex quibus videlicet, tamquam ex vberibus ſeminibus, hæc ipſa militaris virtutis inſignia in Flaminio felicius extiterunt. *Et infra.* In conflictu ferociam, in victoria modeſtiam vſurpabat: in cognoſcendo diligentiam,in deliberando conſilium, conſtantiam in agendo. Vultus in aduerſis rebus idem non ſecus atque in ſecundis. Eadem conſuetudo rerum: animi tenor idem, ac perpetuus ordo vitæ; curarum tantumodò vices, remiſſionumque diuiſæ. Militum conuentibus, & litibus æſtimandis grauitatem,intentionem,ſeueritatem,ſæpius miſericordiam commodabat: vt officio ſatisfeciſſet, poſita poteſtatis perſona,comitatem, modeſtiam, felicitatemque repetebat. *P. Stephonius orat. 2.*

Quantus es Henrice, cum te velut alterum Martē ex pacatæ vitæ vmbraculis in aciem, apertumque campum generoſa inuictaque fortitudo rapuit. Quātus es,quamque formidabilis; preſto adſunt Ira,Vis, Indignatio, miniſtræ atque adiutrices furoris tui. Ira vultum fingit, vis manum roborat,furorem indignatio ſuſcitat; ardent oculi,frons caperatur,toto ex ore iuſti furoris ignes proſiliunt? Hæc eſt oris Imperatorij ſpecies. Qualis ingreſſus? quacunque ingrederis pauor, & terror præeunt, comitatur horror, ſtrages inſequitur. Quis impetus? ſtricto gladio hoſtem perſequeris, hoſtem oculis petis, voce poſcis, ſupercilio terres, fronte deijcis, manu prehendis,

 gladio

gladio conficis, equo proteris. Quis irruentem reprimat? cuneos rumpis, ordines diſſipas, caſtra penetras, omnia ferro demetis. Cæduntur hi, ſternuntur illi mactantur alij, alij fugiunt, non pauci vociferantur: Ignoſce Imperator, tibi Fortunas, tibi vitam, tibi nos, noſtraque omnia addicimus, tuam miſericordiã ſupplices, ac proſtrati imploramus. Mira res, cuius multorum odia ægrè furorem commouerant, paucorum miſeratio tranquillauit.
*Ex Pal. Eloq. exerc. 4. lect. 7. pun. 1.*

## *Miles Glorioſus.*

SIue bellatoris magnifici, & gloriarum pleni, qui rerum quæ ſunt, quæque non ſunt, centones farciat, qui ſe hàc atque illàc quaſi pompam pancraticè atque athleticè præter ducat: qui ſe omnibus faciat ferocem, nullique niſi vulnera, ac cædem debeat: qui ſe vrbicapum, Martis nepotem Regumque occiſorem dici velit: qui machæram futura hoſtium ſtrage conſoletur: qui hominum animas exorbeat, legiones hoſtiles aſpectu territet, occurſu fuget, ſpiritu difflet quaſi ventus folia. *P. Famian. l. 3. pral. 3.*

# ARMA, ET MACHINÆ BELLICÆ.

ARmamentarium, ſiue inſtrumentum militare, & arma omnia deſcribit. *P. Pontanus vol. 3. par. 2. progymn. 22.*

## *Gladius.*

ORdior autem à gladio qui ex manubrio conſtat, quod capulum dicimus quoniam ab eo gladium manu capimus; & acies ab vna parte, & altera

gladij

gladij acerrima debet eſſe, ſi gladium ancipitem volumus,& mucrone terminatur. Hunc in vaginam condunt homines, & ad ſe defendendos diſtringunt, in vaginam recondentes ſe defenderunt, vel punctim, vel cæſim vulnus aliquod intulerunt; ſed mucrone eſt conto decoratum apice ferreo, nitenti, vel deaurato. *Melch. de la Cerda in Camp. Eloq. tit. Arma.*

## *Clypeus.*

CLypeus rotundus eſt, & ex ære factus, totus maximo nitore ſplendens, & ab ora ſua limbo tornili ornatus. Vmbo medius eminet acuminatus inſertus clauiculis, quaſi emblematis. Quod auerſum concauum eſt nonnihil; quod anſa ferrea capientes milites obijciunt, & opponunt, ad caput, & corpus ab aduerſariorum ictibus propulſandum.
*Idem ibidem.*

## *Haſta præfixa ſecuri inſignis vulgò Alabarda.*

QVarta, fermè eorum pars ingentibus ſecuribus, quarum è ſummo quadrata cuſpis prominebat, erat inſtructa; has cæſim punctimque feriendo ambabus manibus regebant, Alabardæque eorum lingua vocabantur. *Iouius lib. 2. hiſt.*

## *Sagitta.*

VIdeo ſagittam longam, acuminatam illam, vncino ſuo ad figendum acutam, alis ab vtraque parte conſtantem ad ſuam celeritatem ſignificandam crenam habet, vt neruum admittat, inciſam quæ ex arcu emiſſa ſtridore multo, multaque celeritate medium aera præteruolat.
*Mel. la Cerda lo. cit.*

## *Funda.*

CEntum funditores ab Aegio, & Patris, & Dymis acciti. A pueris ij more quodam gentis, ſaxis globoſis, quibus fere arenæ immixtis ſtrata littora ſunt, funda mare apertum inceſſentes exercebantur. itaque longius certiuſque, & validiore ictu quàm Baleatis funditor, eo telo vſi ſunt, & eſt non ſimplicis habenæ, vt Balearica, aliarumque gentium funda, ſed triplex ſcutale crebris ſuturis duratũ, ne fluxa habena volutetur in iactu glans, ſed librata cum ſederit, velut neruo emiſſa excutiatur. coronas modici circuli magno ex interuallo loci aſſueti traijcere, non capita ſolum hoſtium vulnerabant, ſed quem locum deſtinaſſent oris.

*T. Liuius Dec. 4. lib. 8.*

## *Falarica.*

FAlarica erat Saguntinis miſſile telum haſtili oblongo, & cætera tereti, præterquam ad extremum, vnde ferrum extabat. id, ſicut in pilo, quadratum ſtupa circumligabant, linebantque pice. ferrum autem tres in longum habebat pedes, vt cum armis transfigere corpus poſſet. ſed id maximè etiamſi hæſiſſet in ſcuto, nec penetraſſet in corpus pauorem faciebat: quòd cum medium accenſum mitteretur, conceptumque ipſo motu multò maiorem ignem ferret arma omitti cogebat, nudumque militem ad inſequentes ictus præbebat.

*T. Liuius Dec. 3. lib. 1.*

## *Bombarda, ſiue Aheum tormentum.*

PLurimum autem admirationis atque pauoris omnibus intulerunt tormenta curulia ſupra triginta ſex, quæ equorum iugis per æqua pariter atque iniqua loca incredibili celeritate ducebantur: maxima eorum longitudine octonum pedum, pondere

verò ſex millium librarum æris, cannones apellabantur: quæ æquali tubo humani capitis magnitudine ferream pilam emittebant. Secundū cannones erant Colubrinæ, ſeſquialtera longiores, anguſtiore tamen fiſtula, pilæque minoris. Sequebantur falcones adeò certa proportione maiores, ac minores, vt minimis tormentis, pilæ Medico malo perſimiles emitterentur. *Iouius lib.2 hiſt.*

Nondum apparuerant gentibus ijs nouæ ſubtilitatis,& operis admirandi balliſtæ.oblongum in tubum, & æqualiter teretem ex ære fuſili figuratæ:quæ non funibus aut neruis intentæ ſingula mittunt ſpicula; ſed inexcogitata priſcis ratione, ad applicitos tenui ab tergo foramine igniculos, cum incremento multiplici rapiendos certo primum nitrati, ac ſulphurei pulueris modulo temperatæ,inſertos dein ore patente ferreos ex arte globos, catenaſque, & alia obturamenta, fulminum inſtar flammis eluctantibus cum horrendo fragore contorquent. Eiuſmodi tormenta complura Luſitanus de more diſpoſita,& collibrata ad nauium feneſtellas habebat, quare indignatione commotus, extemplò diſploderent, magiſtris edixit ac primò videlicet fumus ater, & fumo intermicantia fulgura, & crebra tonitrua cælo ſereno, attonitos defixoſque rei nouitate barbaros tenuere. *P. Maffeius hiſt. Indic. l.1.*

Quantò igitur notiores ſunt proprietates, atque effectus mirabiles Bombardæ, quàm fulminis,tantò manifeſtior fiet vobis eloquentiæ vis atque poteſtas. Conferte nunc Auditores eloquentiam cum hoc terreſtri fulmine, & intelligetis num oratoriè, an verè dixerim fulmini ſimillimam eloquentiam. Cum Bombarda ſuum fætum extrudit, ſplendet flammis; cum eloquentia ſuum partum effundit. fulget ornamentis; ardet illa igne, feruet hæc affectibus: illa æneam pilam euomit,hæc æream orationem emittit illa cum ſtrepitu; hæc cum clamore: iacitur illa vi ſulphurei pulueris in tormenti fundo ſuccenſis funditur hæc vi ſpiritus in imo pectore calefacti. Sed quid diutius moror? Præſtat eloquentia, præſtat, Auditores, quòd Bombarda ſingulis iactibus vacua redditur, nec valet quidquam, niſi iterum, puluere, globis extrinſecus aſſumptis compleatur:

eloquentia non vna dictione orationis exinanitur, nec extraneis opibus,ſed interioribus ac ſuis referci- tur: illa globos explodendo terret animos timido- rum: hæc eloquendo ſæpè pectora magnanimorum: illa fundit armatos ferro milites in prælijs,hæc pro- fligat ſophiſtas inſtructos argumentis in diſputatio- nibus: illa deniquè concutit muros, & turres,hæc proſternit mentes, & animos.

*P. Nigronius orat. 4.*

Non abſimili ratione fulmen,cum è nube emicat, intra quam cogi non poteſt nube ipſa fracta, colliſo- que aere,aures fragore percellit,ędificia commouet, & quatit. quod item in bellicis machinis, æneiſque tormentis, quæ fulmen ipſum aut æmulantur, aut vincunt, experimento diſcimus: intruſus enim ſul- phureus, ac nitroſus puluis in machinam, & glande obducta admoto ab ima parte extrinſecus igni illicò intus accenditur,ac maius quàm centuplum ſpacium occupat,qui cum in arcto ſit,magna vi primò concu- tit machinam, tum non aliundè faciliorem exitum nactus quàm vbi concluſa glans eſt,eam toto impetu elidit per canalis ſpatium, indè eadem vi foras ex- turbat; tum omnia tumultu miſcentur; conſequitur tectorum commotio, atque concuſſio, quod ita fieri neceſſe eſt, cum ignis ille affatim tanta cum lucta, atque conflictu ex anguſtijs erumpat, aeremque re- pentè diuerberet, atque feriat. ipſa quoque glande, dum hunc findit obiectum,obſtrepente,ac ſtridente.

*P. Maſculus de inten. Yeſu.lib. 3.*

## *Pyloclaſtrum ſiue Pettardum.*

ADmoueri iubet Rhenanā ad portam æneum Py- loclaſtrum,Pettardum vocant,nouum per hæc loca portarum excidium. Quid illud ſit, quoniam in Bonnenſi aggreſſione videndum ſe primum dedit, paucis cognoſcere haud importunum habeo.Eſt hæc machina fuſili ex ære vas forma mortario non abſi- mile: immo in Iuliacenſi bello ad ſubruendam Al- dendorfij portam, adhibitum à ſe fuiſſe ex aromata- ria officina mortarium.Te nſinus talium machinator, & ſcriptor enarrat. Magnitudo illi varia: ea nunc

maximè probatur, quam geſtare, ac pallio tegere miles non imbecillus queat, adeo cuniculos non modò ſub terram fodere, ſed etiam nobiſcum ferre excogitauimus. In latere anſulam habet ad ſuſpendium, & ab imo propemodum fundo palmaris prominet ad inferendum intrò incendium canaliculus. Vbi autem inditum vaſi bellicum puluerem malleo preſſerint, atque ad os vſque conſtipauerint, ſummumque os ſtupeo obturamento, ac cerata ad extremum tela concluſerint: roboreum aſſem latitudine vaſis ampliorem, ac ferrea cruce firmatum eidem ori ſuperaddunt, adſtringuntque eo nempe conſilio, vt per illud additamentum, fracturæ plus fiat in oſtio, quam ſola mortarij latitudo faceret anguſtiorem videlicet, imparemque ſubituris militibus apertionem. Temperatum hoc modo Pyloclaſtrum poſt terebratam quæ impetitur, portam; terebramque ibidem claui loco relictam: ex anſula ad terebram alligata ſuſpenditur ore medias in fores verſo, ac per ſulphuratum fomitem, qui canaliculo eſt inſertus, incenditur. Tum verò flammis, ferratoque aſſe in portam arietantibus ineluctabili planè vi, quantò contumacius obſtatur, tantò impotentius obiectum quodcumque repagulum in fruſta conciditur, oſtiumque hiatu vaſtiore diſpanditur. Sic vna demum reperta eſt clauis, cui (quod nullis fabrum ferramentis, nullis furũ effractariorum ſcalpris adhuc contingit) ſeræ, obiceſque portarum omnes, adapertiles ſint.

*P. Famianus dec. 2. lib. 10.*

## *Incendiaria Bolis.*

SEd è propinquo nihil Indos æquè terrebat, atque incendiariæ, bolides, quod eſt inuentum eiuſmodi. Ollam ex argilla ſemicocta, quod facilius deinde rumpatur; circundatis anſulis tribus quattuorue, ſulphureo complent puluere, & oſculum diligenter obturant, tum ad eas anſulas igniti funiculi è goſſipio, vel ſtupa alligantur. vbi ad coniectum eius teli ventum eſt contorta brachijs olla repentè diffringitur; & ſimul arreptis è fomitè adalligato fauillis, ingenti circumſtantium damno flammas edit ineuitabiles,

tabiles, quod miſſilium genus in prælijs duntaxat naualibus primò vſitatum; ad terreſtria quoque certamina exitiabili commento deindè translatum eſt. Hac maximè pernicie repulſi à mœnibus Indi vſtulati cum inſana trepidatione ſe ſe intra munimenta recepere. *P. Maffeius hiſt. Ind. lib. 8.*

# HOMO ARMATVS.

ARmemus militem, ſuiſque armis muniamus, pugnaturum hodie, ac primum thorace ferreo, vel lorica, ferreis lamellis, quaſi ſquamis, & annulis conſerta, pectorali, humerali, & brachialibus, ac denique ocreis ferreis. Galeam ille ferat in capite cono galeæ apice eminente, ornato ſuis criſtis, plumiſque verſicoloribus. Ac ne qua pars corporis non tegatur, præmuniamus buccula, per quam reſpirare queat, & liberè ſpiritum vitalem ducere Accingamus gladio ab vno latere, ab altero ſica, & dextra gerat haſtam, quam prius, quaſi laceſſens, & prouocans aduerſarios ad pugnandum, venuſtate ſumma vibratam, vi, & contentione brachiorũ iaciat, & immittat ſtridentem, & aera medium magna celeritate ſecantem, quò feratur, quò caſura ſit, multi ſpectent, ac metuant aduerſarij, vitare letalem illius ictum omni ratione conantes.

*Melch. de la Cerda in Campis Eloq. vol. 1.*

At contrà conſtitue tibi ante oculos militem radiantem in armis, criſtato vertice caput quatientem, flagrantibus oculis, trucem aſpectu, imperatoria trutina verba librantem, grauem inceſſu, ſuſtinentem, ac moderantem paſſus, cui fulguret gladius, cui clypeus flammeum Solis orbem laceſſat, qui deniquè prius hoſtem expectatione quam aſpectu feriat: prius præſentia, quam telo vulneret: fac igitur glorioſo militi ferrum detrahatur, &c.

*P. Redemundus orat. 14.*

## Equites Cataphracti.

ERant cataphracti bis mille, & quingenti, & bis totidem leuis armaturæ equites. Illi craſſiore ſtriataque haſta, ſolido mucrone, clauaque ferrea, vti noſtri conſueuere, vtebantur. equi eorum robore, ac magnitudine præſtantes, iubis auribuſque defectis, quod ita decere Galli exiſtimant, ferociores apparebant. ſinguli cataphracti ternos habebant equos, puerum armigerum, & miniſtros duos, quos ſubſidiarios laterones appellabant. *Liuius lib. 2. hiſt.*

Cataphractum equitem contrà mente concipio, inſidentem in forti ac generoſo equo, curſui, pulueri, laboribuſque bellicis aſſuefacto; cui caput, ceruices, pectus, ac cæteros artus pro phaleris graues, & craſſæ ferri laminæ operiant: armatum, ac protectum ocreis, armillis, lorica, galea, clypeo, quæ millies in incude percuſſa, millibus durata ictibus, minime peruia iaculis teliſque reſiſtunt: haſta inſtructum è robore, præcinctum gladio, munitum claua: non illi aurum, non gemmæ, non plumæ, nullus nitor, nulla ſpecies, fulgor nullus, nihil ad pompam: pro his durities aſperitas, horror; omnia ferrum, chalybs, acies, & acumen. Cuius arma ſi fulgerent auro, ſi decoraretur apicibus inſignibus galea, ſi veſtis arte laborata, ſi phaleræ aeu pictæ ferro adderentur, non dubito fore quendam numeris omnibus equitem abſolutum. *P. Nigronius or. 3.*

# MVNITIONES BELLICÆ, LOCA MVNITA.

## Munitio ad oppugnandam Vrbem.

TOta igitur continenti propugnacula iubet excitari, aggeres extrui, vallum duci triumque leu-

rum circuitu, Rupellam foſſis iuxtà, & interpoſitis ſtatiunculis, ad communicationem armorum circumſcribi. Sequuta eſt Ducis imperium celeritas operis inuſitata, hic vallum ferre, ille cæmenta conuehere, lapideſque portare, palum alius defigere, alius humum egerere, cæſpite moliri tectum, fingere, inducere, cumulare, exagerare; ſui quiſque gradus obliuiſci, dignitatem labore metiri, meritum opere, maior ille prædicari qui actuoſior, ille præfici qui plus aliquid perfeciſſet, pro ſe quiſque demum contendere ne illo labore certamine vinceretur. Addebas interim fatigatis alacritatem humaniſſime Princeps, omnium onera vultu portabas, laborem nutibus ſubleuabas, opus laudibus compenſabas. Interea nudata eſt ſuis arboribus, vitibus hortis, ſegete, ſepibus tota quæ ad Rupellam eſt planities; diſtributus in claſſes, & manipulos exercitus, defixa ſigna, obtentæ pelles, ſubſtructa longo ambitu propugnacula duodecim inter ſe foſſis continuata; diſpoſitæ ex interuallo, vigilibus, excubitoriis ſtationes deſcriptione multiplici rotundæ, quadratæ, extantes, depreſſæ, proiectæ, ſubductæ, lunatæ, cyclicæ, hemicyclicæ, triquetræ, quadrangulares, variæ: perduellis denique ciuitas omni à terra aditu prohibetur, cauendum eſt tantum, ne euadat Oceano.

*P. Steph. Periot in Paneg. Ludou. 13.*

Imminebant vrbi per gyrum duodecim horrenda propugnacula, quæ terrerēt aſpectu fulminibus terrerent: cernebantur tumulis impoſitæ longis ſuſpectibus ſpeculæ: ardui foſſarum anfractus deſcenſu ipſo difficiles, aſcenſu inſuperabiles occurrebant: videbant incluſi perduelles enormia ſibi quotidie parari ergaſtula, ſtataria caſtra dies lætos in pellibus ducere diſpoſitas eſſe omni parte excubias: objiciebantur pro lorica caſtrorum munitiones lunatæ, cæmentitiæ gerræ, crudæ opere ceſpititio ſubſtructiones, caſæ ſubterraneæ, valla protuberantia: patebant liliata Galliæ ſigna, quæ vel ſuo candore perſtringerent, rebellium oculos: ſuccedebant ſibi maiori portento, quam fide continuata miracula. Præterea nulli acceſſus, niſi ad pugnam; nulli exitus, niſi ad exitium; nulla colloquia, niſi ad deditionem faciendam; miles vndique, & vndique miles: arcem foſſa, foſſam vallū, vallum

vallium ſpeculæ, ſpeculas ſtatio, ſtationē deſperatio deſperationē furca vnó mortis tenore, ordineq; fatorū excipiebat: tenebantur deniq; foſſis, aggere, vallo, ferro, cuneis, agmine, quid facerent? ſed hæc tantum mali præludia. *Idem ibidem.*

## *Munitio in aquis excitata,*

IAcienda moles erat, quæ totum Oceanum ſuſtineret, ventorum quaſſata turbinibus, nec fluctuum aſſultibus verberata, nec æſtus inundationibus ſuperfuſa, obiutaque titubaret. Mare impatiens operis videbatur, niſi immenſi laboris patientia victum eſſet diſceretque per gradus ſubigi, & ſæuientis freti inclementia imperioſo fræno coerceri. Summa erat altitudo maris, ſed altius adhuc Regis ingenium; rapidus vortex, ſed ſtabile ingenium, & conſilium Ducis; dubij caſus, ſed certus & conſtans militis animus varij vndequaque metus, ſed vna omnium ſpes facilius eſſe noſtro Principi, quæ vellet efficere, quam quæ efficeret velle, qui rerum ſucceſſus ſua voluntate definiens, & ſi maiora quàm cæteri omnes feciſſet in Gallia, fecerat tamen ſemper minora & minora viribus ſuis. Quid? iaci cæpit illius prodigij rudimentum, qua parte fretum erat anguſtius, ſatis longo tamen interuallo ab Vrbe diſſitum, ne ſi remotius eſſet architectorum laborem vinceret profunditas aluei; ſi vicinius, labore hoſtium vinceretur, & noceret propinquitas teli. Principio igitur defixæ ſunt ad continendam futuram ſtruem parte omni trabes ingentes, aliæ tranſuerſæ, & decuſſatæ, vt demiſſos lapides ingenioſis quaſi brachijs amplecterentur, erectæ aliæ vt primos impetus frangerent, vndas ſupercilio deterrerent; quædam in quadrum ductæ, commiſſæque quadrando, ſtabiliendoque operi, quædam in propedem, talumque proiectæ, vt illa machinarum decliuitate, mollique deiectu clementius fluctus exciperentur: ipſoſque inoffenſos inoffenſa molitio refunderet pelago. Ingeſta ſubindè generis omnis ſaburra, maxima vis lapidum temere iacta in profundum, ſuperaddita cumulo, vægrandia pondera, nondū tamen oppleri potuit barathrum, ſed dum helluatur

accepta,

accepta, nouis pabulis inhiat, quin ponderibus attolitur, effunditur, & amplificatur in vinculis; inſaturabilis, nempè quædam eſt fames, inexplebilis alueus, & aluus Oceani, parte omni fauces aperit, quà pabulum obieceris, hac vorabit, & ſaturitate voracitatem accendet. Quis illius intemperantiæ modus ſit, & & finis difficultatum? oppoſita quidem fluctus luctabantur repagula, ſed adhuc ſoluta machinatio ſine compagibus erat ſine commiſſura, ſine cæmento, ſuis tantum librata, firmataque ponderibus; hiabat male materiatus murus, aquas tranſmittens; conferti ſine ordine lapides cum fluctibus voluebantur, & trahebantur in præceps; temeraria demum, & indigeſta illa ſubſtructio, nullo nixa fundamento, hoſti riſus ciebat, metum afferebat militi animos addebat Regi, qui malit cum natura luctari, quàm cum fortuna triumphare. Neque verò diù ſtetit ſine nexu fabrica, ſed ſeipſas aquæ prodiderunt, quæ dum ſe in rimas ſaxorum inſinuant, & crudum parietem interluentes tentant inconditam laxare compagem, ſecum cœnoſam vliginem conuectabant, & luto quouis glutine tenaciori congeriem aridam officiosè adſtringebant: peruium murum repererant, ſed aquis ſuccedentibus limo incruſtatum relinquebant: tranſibant fluctus nunquam redituri, & rimas implebant, qui labes facturi videbantur immanes. Quid porrò? Hactenus ſucceſſerat labor, ſed (vt fert natura magnorum operum) difficultas creſcebat in manibus, & quæ fuerat initio maxima, maior erat in progreſſu: Etenim quò magis ab vtroque littore molitio recedebat, hoc gurges altior erat, & quemlibet aggerem vaſta vorago ſorbebat auidius, æſtus ipſe turbulentius agebatur, inſana fluctuum volumina medio alueo atrocius bacchabantur, noſtraque repagula quaſi ſibilis explodebant, mugitibus indignabantur. Iam deficiebat materia, qua tam ingens charybdis impleretur, & niſi latomiæ fuiſſent ſupra quam credi poteſt vberes, & fœcundæ, periculum erat ne lapidum penuria fabrica noſtra penderet, ſed tam diues vena fuit, vt ipſa ſaxa ſub manum, ferrumque ſoboleſcere viderentur, cæduum eſſe dixiſſes lapidum nemus, quod depaſtum ſylueſceret, grandeſceret imminutum: hac tam fertili, & copioſa officina fretus matu-

ſtre cœpit Imperator obſidionem aquarum, lapidicinas recentes aperiri iubet, nouas rupes exſcindi, omni contentione opus vrgeri, conferri fragmina montium, syluas adhuc ingeri totas, tetras vadis inferri, glebas ſaxis, ſaxa aggere, aggerem nemore, nemus ſcopulis, ſcopulos mōtibus aceruari: obuiam igitur materiam pro ſe quiſque rapere, molaria pondera in mare voluere, terræ penetralibus pelagi viſceraſſaburrare, elementum elemento confundere. Stetit illa tandem vaſta, operoſaque ſubſtructio, veluti porticus eminens pelago, continenti ordine fabricæ, niſi quod in medio ſalo apertus erat tolerabilis aditus, ne omninò maria deſperarent.

*P. Stephonius Petiot in Paneg. Ludou. XIII.*

## *Agger, & Vallum.*

VIs agnoſcere induſtriam Imperatorum in caſtris muniendis, tria hæc mentis oculis complectere, & milites in aggerenda terra, illos in vallis defigendis, alios in aquarum receptaculis defodiendis occupatos intelliges. Aggere enim, vallo foſſaq; caſtra muniebant. Milites enim vallos, ideſt, palos circumferre ſolitos accepimus, & vbi caſtra poſituri erant humi defigere, terramque illis aggerere, vt tuti eſſent ab hoſtium irruptione, foſſaſque in altitudinem aquarum ſæpè perducere, vt tutiores eſſent.

*P. de la Cerda in Campis Eloq.*

## *Arx munitiſſima.*

ERat communis omnium ſenſus, Rupellam temeritate, & audacia tentari poſſe; nulla arte, aut machinis capi poſſe: quæ hinc arduis quidem propugnaculis foſſa præcipiti, pendenti vallo, continuato aggere, lenta palude, molitione multiplici incluſa eſſet; illinc vero latiſſimo, altiſſimoque freto munita, cui proiectæ turres incumberent, & obijcerentur portæ, tranſuerſis cratibus, horrenti ferro, armatis nauibus feralibus tormentis, ineluctabili catena vallatæ, adeò multiplici carcere debuit antequam moreretur,

[illegible] fe [illegible] videri non
[illegible] munitione defen-
[illegible] XIII.

[illegible] eſt,ali-
[illegible] radices ab-
[illegible] vbi ver
[illegible] excreuit
[illegible] ad verticem
[illegible] qua,&
[illegible] à natura pro-
[illegible] Reges
[illegible] oppido,
[illegible] incolebatur.
[illegible] omnis na-
[illegible] aditu,
[illegible] procel-
[illegible] tamè im-
[illegible] nec ſub-
[illegible] quæ à
[illegible] inſulæ
[illegible] aſcendi tanc
[illegible]
[illegible]

[illegible] admotæ
[illegible] ſed ipſis
[illegible] bus;
[illegible] loci eſt
[illegible] ad interio-
[illegible] eſt ductus
[illegible] ad coronam
[illegible] mos tum
[illegible] turris do-
[illegible] ad alte-
[illegible] ſunt, qua
[illegible] altera
[illegible] foſſa
[illegible] Inter
[illegible] cum lorica
[illegible] & præfecto
[illegible] excitant.
[illegible]

PUGNA

# PVGNA DVORVM EXERCITVVM.

## *Pugna qua victus eſt à Cæſare Pompeius.*

Sed noſtri milites, dato ſigno, cum infeſtis pilis procurriſſent, atque animaduertiſſent non concurri à Pompeianis, vſu periti, ac ſuperioribus pugnis exercitati, ſua ſponte curſum repreſſerunt, & ad medium ferè ſpatium conſtiterunt, ne conſumptis viribus, appropinquarent; paruoque intermiſſo temporis ſpatio, ac rurſus renouato curſu, pila miſerunt, celeriterque vt erat præceptum à Cæſare, gladios ſtrinxerunt. Neque verò Pompeiani huic rei defuerunt. nam, & tela miſſa exceperunt, & impetum legionum tulerunt, & ordines conſeruauerunt; piliſque miſſis, ad gladios redierunt. Eodem tempore equites à ſiniſtro Pompeij cornu, vt erat imperatum, vniuerſi procurrerunt; omniſque multitudo Sagittariorum ſe profudit: quorum impetum noſter equitatus non tulit, ſed paululum loco motus ceſſit: equiteſque Pompeiani hoc acrius inſtare, & ſe turmatim explicare, aciemque noſtram à latere aperto circuire cœperunt. Quod vbi Cæſar animaduertit, quartæ aciei quam inſtituerat ex cohortium numero, ſignum dedit. Illi celeriter procurrerunt: infeſtis ſignis tanta vi in Pompeij equites impetum fecerunt, vt eorum nemo conſiſteret, omneſque conuerſi non ſolum loco excederent, ſed protinus incitati fuga montes altiſſimos peterent. Quibus ſummotis, omnes Sagitarij funditoreſque deſtituti inermes ſine præſidio, interfecti ſunt. Eodem impetu cohortes ſiniſtrum cornu, pugnantibus etiam tum, ac reſiſtentibus in acie Pompeianis, circumierunt, eoſque à tergo ſunt ad-

orti.

eeretur, includi rebellio / quæ ſe virtute tueri non potuit, debuit machinis, & quæſita munitione defendere. *P. Steph. Pettot in Paneg. Ludou. XIII.*

Epicte in Panormitanorum finibus mons eſt, aliquot millium ambitum amplexus. Imæ radices abſciſſis præruptiſque rupibus attolluntur; mox vbi per inacceſſas cotes mons in modicũ tumorem excreuit paulatim faciliora latera acclinat, donec ad verticem peruenias, haud modica planitie æquatum: in qua, & tumulus commodè eminet, tanquam à natura productus in arcem. Illud iugum munitionibus Reges firmauerant: reliquus montis vertex iuſto oppido, ſparſiſque prætereа, & amænis ædificijs incolebatur. Quo latere ad mare mons pertinet, capax omnis nauigij portus ſeſe inter ſaxa inſinuauerat, laxo aditu, aqua præalta, & propter montis amplexum, a procellis ſecura. Huic portui oppidum tam opportunè imminebat, vt ijs inuitis à quibus obtinebatur, nec ſubire naues poſſent, neque arcta ſemita teneri, quæ à mari ducebat ad iugum. Qua verò interiora inſulæ mons ſpectat, duobus duntaxat callibus aſcendi tunc poterat, ijſque pari modo impeditis.
*Barclaius in Argen. lib. 2.*

Area dimenſa, confeſtim ad ſtructuram admotæ manus, non fabris tantum, & nauali turba, ſed ipſis etiam militibus, & præfectis enixè rem adiuuantibus. Triquetra, vt pote in promontorium deſinens, loci eſt figura. iactis fundamentis ab aperto mari ad interiorem] tumulum è regione oppidi murus eſt ductus pedum ſeptendecim craſſitudine, altus ad coronam vſque viginti. in eo tumulo rotunda, vti mos tum erat ceſpite ingeſto erigitur ante omnia turris dodrantium nonaginta diametro. inde rurſus ad alterum inſulæ marginem continuata mœnia ſunt, qua rupes abſciſſæ portum attingunt. ibi turris altera extructa diametro dodrantium ſexaginta; muris foſſa circundata quoad cautes, & præcipitia tulere. Inter duas turres medio fermè ſpatio, portam cum lorica in vrbem aperiunt. intra mœnia ſacellum, & præfecto præſidij militibuſque tecta militariter excitant.
*P. Maffeius hiſt. Indic. lib. XI.*

PVGNA

# PVGNA DVORVM EXERCITVVM.

## *Pugna qua victus eſt à Cæſare Pompeius.*

Sed noſtri milites, dato ſigno, cum infeſtis pilis procurriſſent, atque animaduertiſſent non concurri à Pompeianis, vſu periti, ac ſuperioribus pugnis exercitati, ſua ſponte curſum repreſſerunt, & ad medium ferè ſpatium conſtiterunt, ne conſumptis viribus appropinquarent; paruoque intermiſſo temporis ſpatio, ac rurſus renouato curſu, pila miſerunt, celeriterque vt erat præceptum à Cæſare, gladios ſtrinxerunt. Neque verò Pompeiani huic rei defuerunt. nam, & tela miſſa exceperunt, & impetum legionum tulerunt, & ordines conſeruauerunt; pilisque miſſis, ad gladios redierunt. Eodem tempore equites à ſiniſtro Pompeij cornu, vt erat imperatum, vniuerſi procurrerunt: omniſque multitudo Sagittariorum ſe profudit: quorum impetum noſter equitatus non tulit, ſed paulułum loco motus ceſſit: equiteſque Pompeiani hoc acrius inſtare, & ſe turmatim explicare, aciemque noſtram à latere aperto circuire cœperunt. Quod vbi Cæſar animaduertit, quartæ aciei quam inſtituerat ex cohortium numero, ſignum dedit. Illi celeriter procurrerunt: infeſtis ſignis tanta vi in Pompeij equites impetum fecerunt, vt eorum nemo conſiſteret, omneſque conuerſi non ſolum loco excederent, ſed protinus incitati fuga montes altiſſimos peterent. Quibus ſummotis, omnes Sagittarij funditoreſque deſtituti inermes ſine præſidio, interfecti ſunt. Eodem impetu cohortes ſiniſtrum cornu, pugnantibus etiam tum, ac reſiſtentibus in acie Pompeianis, circumierunt, eoſque à tergo ſunt adorti.

ceretur, includi rebellio, quæ ſe virtute tueri non potuit,debuit machinis,& quæſita munitione defendere. *P. Steph. Petiot in Paneg Ludou.XIII.*

Epicte in Panormitanorum finibus mons eſt,aliquot millium ambitum amplexus. Imæ radices abſciſſis præruptiſque rupibus attolluntur;mox vbi per inacceſſas cotes mons in modicũ tumorem excreuit paulatim faciliora latera acclinat,donec ad verticem peruenias,haud modica planitie æquatum: in qua,& tumulus commodè eminet, tanquam à natura productus in arcem. Illud iugum munitionibus Reges firmauerant: reliquus montis vertex iuſto oppido, ſparſiſque præterea, & amænis ædificijs incolebatur. Quo latere ad mare mons pertinet,capax omnis nauigij portus ſeſe inter ſaxa inſinuauerat,laxo aditu, aqua præalta,& propter montis amplexum,a procellis ſecura. Huic portui oppidum tam opportunè imminebat,vt ijs inuitis à quibus obtinebatur, nec ſubire naues poſſent, neque arcta ſemita teneri,quæ à mari ducebat ad iugum. Qua verò interiora inſulæ mons ſpectat, duobus duntaxat callibus aſcendi tunc poterat, ijſque pari modo impeditis.
*Barclaius in Argen. lib. 2.*

Area dimenſa, confeſtim ad ſtructuram admotæ manus, non fabris tantum, & nauali turba,ſed ipſis etiam militibus,& præfectis enixè rem adiuuantibus. Triquetra,vt pote in promontorium deſinens,loci eſt figura. iactis fundamentis ab aperto mari ad interiorem] tumulum è regione oppidi murus eſt ductus pedum ſeptendecim craſſitudine, altus ad coronam vſque viginti. in eo tumulo rotunda, vti mos tum erat ceſpite ingeſto erigitur ante omnia turris dodrantium nonaginta diametro. inde rurſus ad alterum inſulæ marginem continuata mænia ſunt, qua rupes abſciſſæ portum attingunt. ibi turris altera extructa diametro dodrantium ſexaginta;muris foſſa circundata quoad cautes, & præcipitia tulere. Inter duas turres medio ferme ſpatio,portam cum lorica in vrbem aperiunt intra mænia ſacellum,& præfecto præſidij militibuſque tecta militariter excitant.
*P. Maffeius hiſt. Indic. lib.12.*

PVGNA

# PVGNA DVORVM EXERCITVVM.

## *Pugna qua victus eſt à Cæſare Pompeius.*

SEd noſtri milites, dato ſigno, cum infeſtis pilis procurriſſent, atque animaduertiſſent non concurri à Pompeianis, vſu periti, ac ſuperioribus pugnis exercitati; ſua ſponte curſum repreſſerunt, & ad medium ferè ſpatium conſtiterunt, ne conſumptis viribus, appropinquarent; paruoque intermiſſo temporis ſpatio, ac rurſus renouato curſu, pila miſerunt, celeriterque vt erat præceptum à Cæſare, gladios ſtrinxerunt. Neque verò Pompeiani huic rei defuerunt. nam, & tela miſſa exceperunt, & impetum legionum tulerunt, & ordines conſeruauerunt; pilisque miſſis, ad gladios redierunt. Eodem tempore equites à ſiniſtro Pompeij cornu, vt erat imperatum, vniuerſi procurrerunt: omniſque multitudo Sagittariorum ſe profudit: quorum impetum noſter equitatus non tulit, ſed paululum loco motus ceſſit: equiteſque Pompeiani hoc acrius inſtare, & ſe turmatim explicare, aciemque noſtram à latere aperto circuire cœperunt. Quod vbi Cæſar animaduertit, quartæ aciei quam inſtituerat ex cohortium numero, ſignum dedit. illi celeriter procurrerunt: infeſtis ſignis tanta vi in Pompeij equites impetum fecerunt, vt eorum nemo conſiſteret, omneſque conuerſi non ſolum loco excederent, ſed protinus incitati fuga montes altiſſimos peterent. Quibus ſummotis, omnes Sagittarij funditoreſque deſtituti inermes ſine præſidio, interfecti ſunt. Eodem impetu cohortes ſiniſtrum cornu, pugnantibus etiam tum, ac reſiſtentibus in acie Pompeianis, circumierunt, eoſque à tergo ſunt adorti.

ceretur, includi rebellio? quæ ſe virtute tueri non potuit, debuit machinis, & quæſita munitione defendere. *P. Steph. Petiot in Paneg. Ludou. XIII.*

Epircte in Panormitanorum finibus mons eſt, aliquot millium ambitum amplexus. Imæ radices abſciſſis præruptiſque rupibus attolluntur; mox vbi per inacceſſas cotes mons in modicū tumorem excreuit paulatim faciliora latera acclinat, donec ad verticem peruenias, haud modica planitie æquatum: In qua, & tumulus commodè eminet, tanquam à natura productus in arcem. Illud iugum munitionibus Reges firmauerant: reliquus montis vertex iuſto oppido, ſparſiſque præterea, & amænis ædificijs incolebatur. Quo latere ad mare mons pertinet, capax omnis nauigij portus ſeſe inter ſaxa inſinuauerat, laxo aditu, aqua præalta, & propter montis amplexum, a procellis ſecura. Huic portui oppidum tam opportunè imminebat, vt ijs inuitis à quibus obtinebatur, nec ſubire naues poſſent, neque arcta ſemita teneri, quæ à mari ducebat ad iugum. Qua verò interiora inſulæ mons ſpectat, duobus duntaxat callibus aſcendi tunc poterat, ijſque pari modo impeditis.

*Barclaius in Argen. lib. 2.*

Area dimenſa, confeſtim ad ſtructuram admotæ manus, non fabris tantum, & nauali turba, ſed ipſis etiam militibus, & præfectis enixè rem adiuuantibus. Triquetra, vt pote in promontorium deſinens, loci eſt figura. iactis fundamentis ab aperto mari ad interiorem] tumulum è regione oppidi murus eſt ductus pedum ſeptendecim craſſitudine, altus ad coronam vſque viginti. in eo tumulo rotunda, vti mos tum erat ceſpite ingeſto erigitur ante omnia turris dodrantium nonaginta diametro. inde ruſſus ad alterum inſulæ marginem continuata mœnia ſunt, qua rupes abſciſſæ portum attingunt. ibi turris altera extructa diametro dodrantium ſexaginta; muris foſſa circundata quoad cautes, & præcipitia tulere. Inter duas turres medio fermè ſpatio, portam cum lorica in vrbem aperiunt intra mœnia ſacellum, & præfecto præſidij militibuſque tecta militariter excitant.

*P. Maffeius hiſt. Indic. lib. XI.*

# PVGNA DVORVM EXERCITVVM.

## *Pugna qua victus eſt à Cæſare Pompeius.*

SEd noſtri milites, dato ſigno, cum infeſtis pilis procurriſſent, atque animaduertiſſent non concurri à Pompeianis, vſu periti, ac ſuperioribus pugnis exercitati, ſua ſponte curſum repreſſerunt, & ad medium ferè ſpatium conſtiterunt, ne conſumptis viribus appropinquarent; paruoque intermiſſo temporis ſpatio, ac rurſus renouato curſu, pila miſerunt, celeriterque vt erat præceptum à Cæſare, gladios ſtrinxerunt. Neque verò Pompeiani huic rei defuerunt. nam, & tela miſſa exceperunt, & impetum legionum tulerunt, & ordines conſeruauerunt; pilisque miſſis, ad gladios redierunt. Eodem tempore equites à ſiniſtro Pompeij cornu, vt erat imperatum, vniuerſi procurrerunt: omniſque multitudo Sagittariorum ſe profudit: quorum impetum noſter equitatus non tulit, ſed paululum loco motus ceſſit: equiteſque Pompeiani hoc acrius inſtare, & ſe turmatim explicare, aciemque noſtram à latere aperto circuire cœperunt. Quod vbi Cæſar animaduertit, quartæ aciei quam inſtituerat ex cohortium numero, ſignum dedit. Illi celeriter procurrerunt: infeſtis ſignis tanta vi in Pompeij equites impetum fecerunt, vt eorum nemo conſiſteret, omneſque conuerſi non ſolum loco excederent, ſed protinus incitati fuga montes altiſſimos peterent. Quibus ſummotis, omnes Sagitarij funditoreſque deſtituti inermes ſine præſidio, interfecti ſunt. Eodem impetu cohortes ſiniſtrum cornu, pugnantibus etiam tum, ac reſiſtentibus in acie Pompeianis, circumierunt, eoſque à tergo ſunt adorti.

accepta, nouis pabulis inhiat, quia ponderibus attollitur, effunditur, & amplificatur in vinculis; inſaturabilis, nempè quædam eſt fames, inexplebilis alueus, & aluus Oceani, parte omni fauces aperit, quà pabulum obieceris, hac vorabit, & ſaturitate voracitatem accendet. Quis illius intemperantiæ modus ſit, & & finis difficultatum? oppoſita quidem fluctus luctabantur repagula, ſed adhuc ſoluta machinatio ſine compagibus erat ſine commiſſura, ſine cæmento, ſuis tantum librata, firmataque ponderibus; hiabat male materiatus murus, aquas tranſmittens; conferti ſine ordine lapides cum fluctibus voluebantur, & trahebantur in præceps; temeraria demum, & indigeſta illa ſubſtructio, nullo nixa fundamento, hoſti riſus ciebat, metum afferebat militi animos addebat Regi, qui malit cum natura luctari, quàm cum fortuna triumphare. Neque verò diù ſtetit ſine nexu fabrica, ſed ſeipſas aquæ prodiderunt, quæ dum ſe in rimas ſaxorum inſinuant, & crudum parietem interluentes tentant inconditam laxare compagem, ſecum cænoſam vliginem conuectabant, & luto quouis glutine tenaciori congeriem aridam officioſè adſtringebant: peruium murum repererant, ſed aquis ſuccedentibus limo incruſtatum relinquebant: tranſibant fluctus nunquam redituri, & rimas implebant, qui labes facturi videbantur immanes. Quid porrò? Hactenus ſucceſſerat labor, ſed (vt fert natura magnorum operum) difficultas creſcebat in manibus, & quæ fuerat initio maxima, maior erat in progreſſu: Etenim quò magis ab vtroque littore molitio recedebat, hoc gurges altior erat, & quemlibet aggerem vaſta vorago ſorbebat auidius, æſtus ipſe turbulentius agebatur, inſana fluctuum volumina medio alueo atrocius bacchabantur, noſtraque repagula quaſi ſibilis explodebant, mugitibus indignabantur. Iam deficiebat materia, qua tam ingens charybdis impleretur, & niſi latomiæ fuiſſent ſupra quam credi poteſt vberes, & fæcundæ, periculum erat ne lapidum penuria fabrica noſtra penderet, ſed tam diues vena fuit, vt ipſa ſaxa ſub manum, ferrumque ſoboleſcere viderentur, cæduum eſſe dixiſſes lapidum nemus, quod depaſtum ſylueſceret, grandeſceret imminutum: hac tam fertili, & copioſa officina fretus matu-

tare

ſire cœpit Imperator obſidionem aquarum, lapidicinas recentes aperiri iubet, nouas rupes exſcindi, omni contentione opus vrgeri, conferri fragmina montium, syluas adhuc integri totas, terras vadis inferri, glebas ſaxis, ſaxa aggere, aggerem nemore, nemus ſcopulis, ſcopulos mōtibus aceruari: obuiam igitur materiam pro ſe quiſque rapere, molaria pondera in mare voluere, terræ penetralibus pelagi viſceraſſaburrare, elementum elemento confundere. Stetit illa tandem vaſta, operoſaque ſubſtructio, veluti porticus eminens pelago, continenti ordine fabricæ, niſi quod in medio ſalo apertus erat tolerabilis aditus, ne omninò maria deſperarent.
*P. Stephonius Petiot in Paneg. Ludou. XIII.*

## *Agger, & Vallum.*

VIs agnoſcere induſtriam Imperatorum in caſtris muniendis, tria hæc mentis oculis complectere, & milites in aggerenda terra, illos in vallis defigendis, alios in aquarum receptaculis defodiendis occupatos intelliges. Aggere enim, vallo foſſaq; caſtra muniebant. Milites enim vallos, ideſt, palos circumferre ſolitos accepimus, & vbi caſtra poſituri erant humi defigere, terramque illis aggerere, vt tuti eſſent ab hoſtium irruptione, foſſaſque in altitudinem aquarum ſæpè perducere, vt tutiores eſſent.
*P. de la Cerda in Campis Eloq.*

## *Arx munitiſſima.*

ERat communis omnium ſenſus, Rupellam temeritate, & audacia tentari poſſe; nulla arte, aut machinis capi poſſe: quæ hinc arduis quidem propugnaculis foſſa præcipiti, pendenti vallo, continuato aggere, lenta palude, molitione multiplici incluſa eſſet; illinc vero latiſſimo, altiſſimoque freto munita, cui proiectæ turres incumberent, & obijcerentur portæ, tranſuerſis cratibus, horrenti ferro, armatis nauibus feralibus tormentis, ineluctabili catena vallatæ, adeò multiplici carcere debuit antequam moreretur,

ceretur, includi rebellio: quæ ſe virtute tueri non potuit, debuit machinis, & quæſita munitione defendere. *P. Steph. Petiot in Paneg. Ludou. XIII.*

Erigitur in Panormitanorum finibus mons eſt, aliquot millium ambitum amplexus. Imæ radices abſciſſis præruptiſque rupibus attolluntur; mox vbi per inacceſſas cotes mons in modicũ tumorem excreuit paulatim faciliora latera acclinat, donec ad verticem peruenias, haud modica planitie æquatum: in qua, & tumulus commodè eminet, tanquam à natura productus in arcem. Illud iugum munitionibus Reges firmauerant: reliquus montis vertex iuſto oppido, ſparſiſque præterea, & amœnis ædificijs incolebatur. Quo latere ad mare mons pertinet, capax omnis nauigij portus ſeſe inter ſaxa inſinuauerat, laxo aditu, aqua præalta, & propter montis amplexum, a procellis ſecura. Huic portui oppidum tam opportunè imminebat, vt ijs inuitis à quibus obtinebatur, nec ſubire naues poſſent, neque arcta ſemita teneri, quæ à mari ducebat ad iugum. Qua verò interiora inſulæ mons ſpectat, duobus duntaxat callibus aſcendi tunc poterat, ijſque pari modo impeditis.
*Barclaius in Argen. lib. 2.*

Area dimenſa, confeſtim ad ſtructuram admotæ manus, non fabris tantum, & nauali turba, ſed ipſis etiam militibus, & præfectis enixè rem adiuuantibus. Triquetra, vt pote in promontorium deſinens, loci eſt figura. iactis fundamentis ab aperto mari ad interiorem] tumulum è regione oppidi murus eſt ductus pedum ſeptendecim craſſitudine, altus ad coronam vſque viginti. in eo tumulo rotunda, vti mos tum erat ceſpite ingeſto erigitur ante omnia turris dodrantium nonaginta diametro. inde rurſus ad alterum inſulæ marginem continuata mœnia ſunt, qua rupes abſciſſæ portum attingunt. ibi turris altera extructa diametro dodrantium ſexaginta; muris foſſa circundata quoad cautes, & præcipitia tulere. Inter duas turres medio ferme ſpatio, portam cum lorica in vrbem aperiunt intra mœnia ſacellum, & præfecto præſidij militibuſque tecta militariter excitant.
*P. Maffeius hiſt. Indic. lib. 11.*

# PVGNA DVORVM EXERCITVVM.

## *Pugna qua victus eſt à Cæſare Pompeius.*

Sed noſtri milites, dato ſigno, cum infeſtis pilis procurriſſent, atque animaduertiſſent non concurri à Pompeianis, vſu periti, ac ſuperioribus pugnis exercitati, ſua ſponte curſum repreſſerunt, & ad medium ferè ſpatium conſtiterunt, ne conſumptis viribus, appropinquarent; paruoque intermiſſo temporis ſpatio, ac rurſus renouato curſu, pila miſerunt, celeriterque vt erat præceptum à Cæſare, gladios ſtrinxerunt. Neque verò Pompeiani huic rei defuerunt. nam, & tela miſſa exceperunt, & impetum legionum tulerunt, & ordines conſeruauerunt; pilisque miſſis, ad gladios redierunt. Eodem tempore equites à ſiniſtro Pompeij cornu, vt erat imperatum, vniuerſi procurrerunt: omniſque multitudo Sagittariorum ſe profudit: quorum impetum noſter equitatus non tulit, ſed paululum loco motus ceſſit: equiteſque Pompeiani hoc acrius inſtare, & ſe turmatim explicare, aciemque noſtram à latere aperto circuire cæperunt. Quod vbi Cæſar animaduertit, quartæ aciei quam inſtituerat ex cohortium numero, ſignum dedit. Illi celeriter procurrerunt: infeſtis ſignis tanta vi in Pompeij equites impetum fecerunt, vt eorum nemo conſiſteret, omneſque conuerſi non ſolum loco excederent, ſed protinus incitati fuga montes altiſſimos peterent. Quibus ſummotis, omnes Sagitarij funditoreſque deſtituti inermes ſine præſidio, interfecti ſunt. Eodem impetu cohortes ſiniſtrum cornu, pugnantibus etiam tum, ac reſiſtentibus in acie Pompeianis, circumierunt, eoſque à tergo ſunt adorti.

orti. Eodem tempore III. aciem Cæſar, quæ quieta fuerat, & ſe ad id tempus loco tenuerat, procurrere iuſſit. Ita, cum recentes, atque integri defeſſis ſucceſſiſſent, alij autem à tergo adorirentur, ſuſtinere Pompeiani non potuerunt, atque vniuerſi terga verterunt. neque vero Cæſarem fefellit, quin ab ijs cohortibus, quæ contra equitatum in IV. acie collocatæ eſſent, initium victoriæ oriretur, vt ipſe in cohortandis militibus pronunciauerat. ab his enim primum equitatus eſt pulſus: ab ijſdem facta cædes. Sagittariorum, atque funditorum: ab ijsdem acies Pompeiana à ſiniſtra parte erat circumuenta, atque initium fugæ factum.
*Cæſar de bello ciu. l. 3.*

## *Pugna in qua Catilina cæſus eſt.*

POſtquam eò ventum eſt, vndè à Ferentiarijs prælium committi poſſet, maximo clamore, infeſtis ſignis concurrunt, pila omittunt, gladijs res geritur, veterani priſtinæ virtutis memores comminus acriter inſtare, illi haud timidi, exiſtunt, maxima vi certatur. Interea Catilina cum expeditis in primâ acie verſari, laborantibus ſuccurrere, integros pro ſaucijs arceſſere: omnia prouidere, multum ipſe pugnare, ſæpe hoſtem ferire: ſtrenui militis, & boni Imperatoris officia ſimul exequebatur. Petreius, vbi videt Catilinam contra, ac ratus erat magna vi contendere, cohortem prætoriam in medios hoſtes inducit, eoſque perturbatos, atque alios alibi reſiſtentes interficit, deindè vtrinque ex lateribus cæteros aggreditur. Manlius, & Fæſulanus in primis pugnantes cadunt. Poſtquam fuſas copias, ſeque cum paucis relictum videt Catilina: memor generis, atque priſtinæ dignitatis ſuæ, in confertiſſimos hoſtes incurrit ibique pugnans confoditur Sed confecto prælio, tum vero cerneres quanta audacia, quantaque animi vis fuiſſet in exercitu Catilinæ. Nam ferè, quem quiſque pugnando viuus locum ceperat, eum amiſſa anima corpore tegebat.
*Saluſtius in Coniur. Catil.*

## *Pugna Cannenſis.*

CLamore ſublato procurſum ab auxilijs: & pugna leuibus primum armis commiſſa: deindè equitum Gallorum, Hiſpanorumque læuum cornu cum dextro Romano concurrit, minimè equeſtris more pugnę Frontibus enim aduerſis concurrendum erat: quia nullo circa ad euagandum relicto ſpatio: hinc amnis, hinc peditū acies claudebant. In directū vtrinque nitentes ſtantibus, ac confertis, poſtremò turbatis equis vir virum amplexus detrahebat equo. Pedeſtre magna iam ex parte certamen factum erat. Acrius tamen, quam diutius pugnatum eſt. Pulſique Romani equites terga vertunt. Sub equeſtris finem certaminis coorta eſt peditum pugna. Primò, & viribus, & animis pares conſtabant ordines Gallis, Hiſpanisque. Tandem Romani diu, ac ſæpe coniſi obligatanti qua fronte, acieque denſa impellerent hoſtium cuneum nimis tenuem, eoque parum validum à cætera prominente acie. Impulſis deindè, ac trepidè referentibus pedem inſiſtere: ac tenore vno per præceps pauore fugientium agmen, in mediam primum aciem illati, poſtremò nullo reſiſtente, ad ſubſidia Afrorum peruenerunt; qui vtrinque reductis alis conſtiterant. Medijque Galli, Hiſpanique ſteterant aliquantum prominente acie. Qui cuneus vt pulſus æquauit frontem primum deindè nitendo etiam ſinum in medio dedit. Afri circa iam cornua fecerant irruentibusque incaute in medium Romanis circumdedere alas: mox cornua extendendo, clauſere, & ab tergo hoſtes. Hinc Romani defuncti nequicquam prælio vno, omiſſis Gallis, Hiſpaniſque quorū terga ceciderant: etiam aduerſus Afros integram pugnam ineunt: non tantum eò, iniquius, quod incluſi aduerſus circuafuſos, ſed etiam quod feſſi cum recentibus, ac vegetis pugnabant. Iam & in ſiniſtro cornu Romano, vbi ſociorum equites aduerſus Numidas ſteterant: conſertum prælium erat, ſegne primò, & à Punica cæptum fraude. Quingenti fermè Numidæ præter conſueta arma, telaque, gladios occultos ſub loricis habentes, ſpecie transfugarum cum ab

ſuis

ſuis parmas poſt terga habentes adequitaſſent: repentè ex equis deſiliunt: parmiſque, & iaculis ante pedes hoſtium proiectis, in mediam aciem accepti ductique ad vltimos conſidere ab tergo iubentur. Ac dum prælium ab omni parte conſeritur, quieti man-ſerunt. Poſtquam omnium animos, oculoſque occupauerat certamen: tum arreptis ſcutis, quæ paſſim inter aceruos cæſorum corporum ſtrata erant: verſam adoriuntur Romanam aciem, tergaque ferientes, ac poplites cædentes ſtragem ingentem dederunt. *T. Liuius dec 3. lib. 2.*

## *Pugna Alexandri cum Dario.*

IAm ad teli iactum peruenerant, cùm Perſarum equites ferociter in læuum cornu hoſtium inuecti ſunt: quippe Darius equeſtri prælio decernere optabat phalangem Macedonici exercitus robur eſſe coniectans. iamque etiam dextrum Alexandri cornu circuibatur. quod vbi Macedo conſpexit, duabus alis equitum ad iugum montis iuſſis ſubſiſtere, cæteros in medium belli diſcrimen ſtrenuè transfert. Subductis deindè ex acie Theſſalis equitibus præfectum eorum occultè circuire tergum ſuorum iubet, Parmenionique cõiungi, & quod is imperaſſet, impigrè exequi. Iamque ipſi in medium Perſarum vndique circumfuſi egregiè ſe tuebantur: ſed conferti, & quaſi cohęrentes tela vibrare nõ poterant. ſimul erant emiſſa, in eodem concurrentia implicabantur, leuiq; & vano ictu pauca in hoſtem, plura in humum innoxia cadebant. Ergo comminus pugnam coacti conſerere, gladios impigrè ſtringunt. Tum verò multum ſanguinis fuſum eſt: Duæ quippe acies ita cohærebant, vt armis arma pulſarent, mucrones in ora dirigerent: non timido, non ignauo ceſſare tum licuit: collato pede quaſi ſinguli inter ſe dimicarent, in eodem veſtigio ſtabant, donec vincendo locum ſibi facerent. Tum demum ergo promouebant gradum cum hoſtem proſtrauerant. At illos nouus excipiebat aduerſarius fatigatos. nec vulnerati, vt alias ſolent, acie poterant excedere, cum hoſtis inſtaret à fronte, à tergo ſui vrgerent. Alexander non Ducis

magis

magis quam militis munia exequebatur, opimum decus cæſo rege expetens: quippe Darius curru ſublimis eminebat, & ſuis ad ſe tuendum, & hoſtibus ad inceſſendum ingens incitamentum. Ergo Frater eius Oxatres cum Alexandrum inſtare ei cerneret, equites quibus præerat, ante ipſum currum regis obiecit, armis, & robore corporis multum ſuper cæteros eminens; animo verò, & pietate in pauciſſimis, illo vtique prælio clarus: alios improuidè inſtantes proſtrauit, alios in fugam auertit. At Macedones, vt circa regem erant, mutua adhortatione firmati, cum ipſo in equitum agmen irrumpunt. Tum verò ſimilis ruinæ ſtrages erat. Circa currum Darij iacebant nobiliſſimi Duces, ante oculos Regis egregia morte defuncti, omnes in ora proni ſicut dimicantes procubuerant aduerſo corpore vulneribus acceptis. Inter hos Atizyes, Rheomithres, & Sataces prætor Aegypti magnorum exercituum præfecti, noſcitabantur. Circa eos cumulata erat peditum equitumq; obſcurior turba: Macedonum quoque non quidem multi, ſed promptiſſimi tamen cæſi ſunt; inter quos Alexandri dexterum femur leuiter mucrone perſtrictum eſt. Iamque qui Darium vehebant equi confoſſi haſtis, & dolore efferati iugum quatere, & Regem curru excutere cœperant: cum ille veritus, ne viuus veniret in hoſtium poteſtatem, deſilit, & in equū qui ad hoc ipſū ſequebatur imponitur, inſignibus quoque imperij ne fugam proderent, indecorè abiectis. Tum verò cæteri diſſipantur metu, & quà cuique ad fugam patebat via erumpunt, arma iacientes, quæ paulo ante ad tutelam corporum ſumpſerant. Adeo pauor etiam auxilia formidat.

*Q. Curtius lib.* 3.

## *Pugna Cæſaris cum Pompeij filijs.*

SEd in ipſo prælio, quod nemo vnquam meminerat, quum diù pari Marte acies nihil aliud quā occiderent, in medio ardore pugnantium ſubitò ingens inter vtroſque ſilentium, quaſi conueniſſet. hic omnium ſenſus erat. Nouiſſimè illud inuſitatum Cæſaris oculis (nefas) poſt quatuordecim annos,

probata

probata veteranorum manus gradum retrò dedit. Quod, & ſi nondum fugerat, apparebat tamen pudore magis, quam virtute reſiſtere. Itaque ablegato equo, ſimilis furenti primam in aciem procurrit. Ibi prenſare fugientes, confirmare, per totum deniq; agmen oculis, manibus, clamore volitare. Dicitur & in illa perturbatione, & de extremis agitaſſe ſecū, & ita manifeſto vultu fuiſſe, quaſi occupare manu mortem vellet, niſi cohortes hoſtium quinque per tranſuerſam aciem actæ, quas Labienus periclitantibus caſtris ſubſidio miſerat, fugæ ſpeciem præbuiſſent. Hoc aut; & ipſe credidit, aut dux callidus arripuit in occaſionem, & quaſi in fugientem inuectus ſimul, & ſuorum erexit animos, & hoſtes perculit. Nam hi dum ſe putant vincere; fortius ſequi; Pompeiani, dum fugere credunt ſuos, fugere cæperunt.
*L. Florus hiſt. Rom. l. 4. c. 2.*

## *Pugna Theodoſij contra rebelles.*

Ecce lux tandem, omnis campus horrebat, diuiſi in cornua equites; leues ante ſigna velites, diſpoſitæ manipulatim cohortes, & gradu pleno ferentes agmina quadratæ legiones, vniuerſa latè quà viſus agi poterat, occuparant. Nondum ſe virtus experiebatur; iam diſciplina vincebat: at poſtquam intra coniectum teli acies vtraque promouit, & effuſis hinc indè ſagittarum nimbis res venit ad capulos; milites, priſtinæ virtutis, Romani nominis, imperatorum denique memores, cauſam publicam manu agere: hoſtes, venditam operam laceratam Italiam, ſpem in ferro reliquam cogitantes, gladiatoria deſperatione pugnare, & veſtigio ſtare, vel cadere. At vbi impulſa facies, fronſque laxata, & fiducia in pedes verſa eſt, ire præcipites, aut gloriando fugere, & ſe inuicem feſtinando tardare: armati, inermes, integri, ſaucij, primi poſtremique miſceri, miles vrgere eminus, cominus gladijs, haſtis punctim, cæſim ferire: alij populi tibi imminere, alij terga ſconfigere, aut quos curſu non poterant continere, iaculis occupare, arma te ſaque, homines vita perempta, prona ſupinaque corpora paſſim vel in aceruo iacere. Illi inutilibus

inutilibus excisiſque membris reliqua ſui parte fugiebant: hi dolorem vulnerum ſequebantur: iſti mortes receptas in ſyluas, & flumina deferebant: illi poſtremum ſpiritum in admiratione nominis tui, & ſui ducis deteſtatione fundebant. nullus finis cædendi inſequendiq; niſi ſubtraxiſſet aliquãdò victoribus mors hoſtem, & nox diem. At quanto melius manus illa conſuluit, quæ ſubmiſſis precabunda vexillis petijt veniam neceſſitatis, & terram in oſculis premens, calcanda veſtigijs tuis corpora, & arma proiecit, quam tu non ſuperbè, vt victam, non iratè vt ream non negligenter vt parum neceſſariam preteriſti, ſed blandè liberaliterq; tractatam iuſſiſti eſſe Romanã? Iunguntur ſocia agmina, & ſub vno capite diuerſa Reipublicæ membra coaleſcunt: ambo pari gladio feruntur exercitus. hic opera ſua gaudet: hic venia: vterque victoria.

*Lat. Pacatus in paneg. ad Theod.*

## Pugna Gemblacenſis in Belgio.

Indè ſumpto impetu, Alexandro preeunte, tanta vi lanceas impulere in aduerſum agmen, incumbente deìn cum altera equitatus parte Gonzaga, redeunteſq; quos apud ſe habebat, Auſtriaco ſubmittente; vt hoſtilis equitatus, perculſis qui in eo latere erant, non expectata impreſſione equos circumagere illicò pararent: niſi Ducum adhortationibus, minisque, ac meliorum exemplo aliquantulùm reſtitiſſent. Sed pauore ſemel offuſi, animiſque iam victi, vertere demùm terga: inque pedites ſuos, qui ponè adſtabant, præcipiti fuga incurrentes, turbatis ordinibus, obtritis eorum non paucis, omnes ſuperuenienti hoſti trucidandos deſeruere. Et verò nudatas equitũ præſidio legiones, (præſertim quæ in medio locatæ, ſuorum fugam, & hoſtium impetũ excepere primę) aggreſſi à tergo atque à lateribus Regij exercitus equites, inchoataque iam victoria ferociùs incurſantes, miſerabili ſtrage, nequidquam reſtituere ordines Goignio ſæpe conato, deleuere. Rarò alias à paucioribus, minorique iactura plus ſanguinis fuſum, ac celeriùs debellatũ. Rarò melius compertum, quanta

fit

ſit in equitatu vis in vtramque partem. ſiquidem à ſexcentis equitibus (tot enim inexpere, aucti dein ad mille, ac ducentos, confecere pugnam) peditum millia omninò decem partim cæſa, partim capta; ac reliquus exercitus non minor octo Bellatorum millibus, ſeſquihoræ ſpatio, deſideratis ex Regijs tantummodò nouem, profligatus eſt. Relata hoſtium ſigna quatuor, & triginta; captæ campeſtres machinæ: currus atque impedimenta fere omnia: ipſe belli dux Goignius, ac Nobiles aliquot in poteſtatem venerunt.

*P. Famianus dec. 1. lib. 9.*

## *Pugna luſitanorum ad Armuziam.*

ARius erat Antonij Corex frater, ætate ferox, & celebritatis, ac nominis præter modum appetens. hic prior in hoſtem cum nobilibus tendit, raptim Antonius cum reliqua manu ſubſequitur, ac tantus fuit ardor, vt barbaros cũ cęde primũ, vulneribusque intra munimenta compulerint: dein, eodem impetu illati, longè ſummouerint. Ita, penè iam conceſsũ ab ijs de victoria. videbatur; cum effuſo repentè omni equitatu, Mucronius elatum ſucceſſu hoſtem repreſſit; & ſenſim cedentem, vallo, & munitionibus pepulit; Ibi patentiore campo affluente rurſum ex oppido multitudine; recruduit pugna; cuius, non ex numero tantum, ſed etiam ex ipſo genere armorum prorſus erat iniqua conditio: cum Arabes è ſuperiore loco prælongis triginta dodrantium haſtis aduerſa hoſtium ora crebris ictibus foderent, priuſquam ij venabulo, gladioue ſuccedere ad vulnus inferendum poſſent. ac nihilo ſecius obnixi animis Luſitani perſtare; balliſtiſque præſertim, ac fiſtulis equitem ſe ſe audacius inferentem arcere. In eò tumultu dum Arius temere in hoſtium catervas inuehitur, duabus primum ictus ſagittis, dein, aliquot acceptis vulneribus, concidit. eius cladis nuncij mærore pleni, cum ad Antonium aduolaſſent: Vos verò pergite, inquit ille, vt cœpiſtis, nam frater quidem meus, præclare vitam in ſuo munere poſuit. His dictis, accenti rurſus ad prælium animi: ſed laſſitudo, & vulnera degraua-

bant.

bant. Medium fermè erat diei: & feruentiſſimo deſuper ſole, arenaque infra æſtuante, cum intoleranda ſiti mixtus cruore manabat ex artubus ſudor. Quæ cum defatigatio ſimul hoſtem cepiſſet; quaſi tacitis inducijs, paululum vtrinque ſuit quietis, & ſpacij ad ſaucios è prælio ſubtrahendos. Inde, renouato impetu Luſitani priores in pugnam redeunt: ac ſublato pariter clamore Sanctum Iacobum appellant; Audijt Apoſtolus voces, ac ſuis de more propitius, repentinum hoſti metum, ac trepidationem incuſſit. Mocrinus, inter prima ſigna duobus iam equis inſidenti ſuffoſſis; dum tertio arrepto reſtituere pugnam conatur; acerrimè dimicanti femur, plumbea glande traijcitur ex eo demum ictu cum ſanguinis copiam funderet fracta viri ferocia eſt: & elatus ex acie, præcipuis ex amicorum numero proſequentibus, cum ſe ſe deſperatis rebus in latebras abdidiſſet intra tertium diem emoritur, Barbari, vt ſeminecem Regem prælio exceſſiſſe vulgatum eſt; armis paſſim proiectis momento diffugiunt.

*P. Maffeius hiſt. Ind. l. 8.*

## *Pugna Heluetiorum ad Nouariam.*

ITaquè Heluetij ad pontem patenti via procedentes, tormentis hoſtium ex aduerſo peti, ingruenteque per alueum, & vtramque ripam procella equitum vehementer premi cœperunt. Tum verò Mottinus nutantem ſuorum aciem, quæ iam tres falcones amiſerat, ſaucijs in medium receptis componit, & vi facta, magnoque impetu prouectos Epirotas propellit; interfectoque ibi Alexio Boſigio nobili Græco Epirotarum alæ præfecto latè profligat. Eodem quoque impetu defertur ad hoſtium caſtra, cæſiſque lixis, & ſtationis militibus perturbatis impedimenta capit. Paulo ante quam hæc à Mottino fierent, aliud agmen capto per adultæ ſegetis campos longiore itinere, paruoque ob id à tormentis accepto detrimento, in latus hoſtium impetum fecit. Conſtiterat eo loco Gallica acies tripartita: hinc Tramulius, Robertus illinc cornibus præerant; Triuultius medium agmen tuebatur; proximaque inter equitum

acies Germanorum phalanx intra modicam foſſam ſe receperat. In hanc itaque Heluetij circumducta ad dexteram acie concitatis animis ſe conuerterunt, quod victoriam ſibi facilem tum fore intelligerent, quum hoſtilis exercitus præcipuum robur facto cuneo perrupiſſent. Id Galli Duces è proximo conſpicati tormenta ſtatim in confertos dirigi, & lata ſtrage ordines perrumpi; mox in latus fatiſcentis agminis equites cataphractos vehementi impetu procurrere iubent. In eo tumultu Bernenſium tribunus in aduerſum os pila verberatus, & Antius Aman Zuchius pugnantes cadunt: nihil tamen horum milites, vel ducum morte, vel periculo ſuo, vel commilitonū horribili clade perterriti ſe ſe collectis viribus in globum e diſciplina componunt, equites magna vi propellunt, & ſuperata foſſa Germanos adoriuntur. Ibi continuò cruentum, & atrox prælium ſubortum eſt: nullæ tamen vtrinque voces, ſed horrendus armorum fragor, & ſummiſſi cadentium gemitus audiebantur. Intereà dum collocato pede cum Germanis res gereretur, impedimenta capta, trucidatoſque caſtrorum cuſtodes, atque omnia in tergo tumultu, & cædibus compleri nunciatum eſt. Cuius rei fama adeo Gallorum animos turbauit, vt eò magna pars equitum ad recuperandam prædam ſine imperio conuolarint. Parte quoque altera eodem pene temporis momento tertia Heluetiorum acies à fronte ſe ſe oſtendit. Quæ dum tormenta à Gallis in oppoſitam ſyluam fruſtra emitterentur, per obliquum ſenſim irrepſerat inclinatis humi corporibus, & attractis per cuſpides maioribus haſtis, vt præteruolantes globos euitarent. Tanta fuit contemptio incidentium pilarum, & tantus incumbentium impetus, vt Galli, & Cantabri pedites cadente Aloyſio Beamontio ipſorum duce, & cum his cohortes duæ Ligurum, & Salaſſorum celeriter cæſæ fuſæque ſint; & capta inſuper tormenta victores in fugientium terga conuerterint. Quod vbi conſpexere cæteri equites tormenta ſcilicet ab hoſtibus occupata, in quibus Galli ſemper plus fiduciæ, quam in dextris atque virtute omnibus bellis poſuiſſent, deletos iam prope Germanos, tentoria capta, atque hoſtes ſternere omnia, &

campo

campo latè potiri; inter pudorem, & metum terga verterunt. *Iouius hiſt. lib. 18.*

## *Monomachia, ſiue ſingulare certamen.*

ARmant inde iuuenem æquales; pedeſtre ſcutū capit, Hiſpano cingitur gladio, ad propiorem habili pugnam Armatum, adornatumque aduerſus Gallum ſtolidè lætum, & (quoniam id quoque memoria dignum antiquis viſum eſt) linguam etiam ab irriſu exertantem, producunt. Recipiunt indè ſe ad ſtationem cæteri, & duo in medio armati ſpectaculi magis more, quam lege belli deſtituuntur, nequaquā viſu, ac ſpecie æſtimantibus pares. Corpus alteri magnitudine eximium, verſicolori veſte, pictiſque, & auro cælatis refulgens armis. Media in altero militaris ſtatura, modicaque in armis habilibus magis, quā decoris ſpecies: non cantus, non exultatio, armorumque agitatio vana ſed pectus animorum, iræque tacitè plenum, omnem ferociam in diſcrimen ipſum certaminis diſtulerat. Vbi conſtitere inter duas acies tot circa mortalium animis ſpe, metuque pendentibus: Gallus velut moles ſuperne imminens, proiecto leua ſcuto in aduenientis arma hoſtis, vanum cæſim cum ingenti ſonitu enſem deiecit: Romanus mucrone ſurrecto, cum ſcuto ſcutum imum perculiſſet, totoque corpore interior periculo vulneris factus inſinuaſſet ſe inter corpus, armaque, vno, alteroque ſubinde ictu, ventrem, atque inguina hauſit, & in ſpatium ingens ruentem porrexit hoſtem. Iacentis inde corpus ab omni alia vexatione intactum vno torque ſpoliauit, quem reſperſum cruore collo circumdedit ſuo.
*T. Liuius dec. 1. lib. 7.*

Transfuga Satibarzanes Barbaris præerat, qui cum pugnam ſegnem vtrinq; æquis viribus ſtare vidiſſet, in primos ordines adequitauit, demptaque galea, inhibitis qui tela iaciebant, ſi quis viritim dimicare vellet, prouocauit ad pugnam, nudum ſe caput in certamine habiturum. Non tulit ferociam Barbari dux exercitus Erigyu, grauis quidem ætate, ſed & animi, & corporis robore nulli iuuenum poſtferen-

dus. Is galea dempta canitiē oſtentans; Venit, inquit, dies, quo aut victoria, aut morte honeſtiſſima, quales amicos, & milites Alexander habeat, oſtendam. nec plura elocutus, equum in hoſtem agit. Crederes imperatum, vt acies vtraq; tela cohiberent; protinus certè receſſerunt dato libero ſpatio intenti in euentum non duorum modò, ſed etiam ſuæ ſortis: quippe alienum diſcrimen ſecuturi. Prior Barbarus emiſit haſtam, quā Erigyus modica capitis declinatione vitauit. At ipſe infeſtam ſatiſsam equo calcaribus concito in medio Barbari gutture ita fixit, vt per ceruicem emineret. Præcipitatus ex equo Barbarus, adhuc tamen repugnabat: ſed ille extractam ex vulnere haſtam rurſus in os dirigit Satibarzanes haſtam manu complexus, quo maturius interiret, ictum hoſtis adiuuit: & Barbari duce amiſſo. quem magis neceſſitate, quàm ſponte ſecuti erant, haud immemores meritorum Alexandri, arma Erigyo tradunt. *Q. Curtius lib. 7.*

Cæterùm paria arma erant, enſes vtrique. Nec dubitauerat Commindorix ipſo impetu iuuenem proteri poſſe. Itaque ſpernenti viciniet tanquam ad facilem ruebat victoriam. Sed poſtquam aduerſo mucrone depulſus eſt ictus, quem altè parauerat, & Aſtioriſtæ gladium ægrè à iugulo remouit; tunc verò diligentius in illum cæpit inſpicere, & vt in iuſto diſcrimine ſe tueri. Iamque enſis vtriuſqe vanos in ictus bis terque ceciderat, cum tandem Aſtioriſtes prior vulnus accepit in capite, quà in ſupremam frontem capilitium excurrit. Tum verò ſudore, ac cruore formoſior impatienter excanduit. Circuire, accedere, relinquere hoſtem, artiſq; & ingenij mutatione laſſare. Vrgebat nobiliſſimā mentem victoriæ decus, & præmium; gnarus illius mercedem certaminis Gallicum eſſe imperium. Sed omnium maximè pietas inſtabat: vt repertos parentes in dignitatē aſſereret. Ita hoſtem obſidenti tandem dedit ſe fortuna Vt apud nos, de veteri more, cæſim pugnatur, deſtinauerat forte ictū in caput inimici, quē ceruicis deflexio non in totum fruſtrata eſt, Incidit enim enſis in aurem, quam cum modica genæ parte deiecit in terram. Mouit tyrannus cæſariem; horriduſque indignatione, & minis infremuit. Furum pœnam, ac

dedecus ille caſus inflixerat. Manabat, & plurimus ſanguis;adauxitque hoc ipſum inſaniam,quod Aſtioriſtes (tanquam hoſte contempto ſatis iocis vacaret) dati vulneris dolorem cumulauit ludibrio. Recruduit itaque pugna, donec viſus eſt Aſtioriſtes indignari tanto tempore conſtare victoriam. Fælix ictus, & Galliæ ſalutaris, qui Commindorigi lacertum eripuit; Quo prolapſo inſtitit victor, recluſitque adhuc mori dubitantis vitalia.

*Barclaius Argen. lib. 4.*

## *Singulare certamen quatuor iuuenum.*

Conditionem non abnuit Bandinus, dixitque ei ſi Martellius ſibi aſciſceret in eam dimicationem ſocium,ei ſe parem iiſdem inſtructum armis in ſtadium producturum; atque ita Martellius Dantem Caſtellionum præferocem ex tota iuuentute virum delegit, cui à Bandino oppoſitus eſt Albertinus Aldobrandus vix dum pubeſcens immoderati ſpiritus iuuenis. Aurantius iuxta caſtra locum eis ſub publica fide funibus circumſeptum, triumque gentium præſidio vallatum certantibus præbuit, quum pari numero è Germanis, Hiſpaniſque, & Italis delectæ cohortes, pugnantes ſimul, & ſpectantes ab omni iniuria defenderent. Arma fuere ſingulis ſinguli militares gladij, neque aliud tegumentum præter vnam in dextris ex lorica ferrea chirothecam. Dantes cui forte ducta par Aldobrandus obuenerat, quamquam circa brachij dextri neruos primo congreſſu graue vulnus acceperſſet,hoſtem in ſe inſano procurſu ruentem ea impauidi animi firmitate ſuſtinuit,vt ambabus manibus gladium prætendens,in os incumbentis infereret, eumque euomentem cum ſanguine animã extemplo conficeret. Contrario euentu pugnabat Bandinus, nam alternante fortuna Martellio ſupra oculum vulnus inflixerat, admirabilique iudicio, & gladiatoriæ artis peritia hoſtem eludens adacto ſupra coſtas gladij mucrone, victum, & deditum fateri coegerat, *Iouius l. 28. hiſt.*

## *Pugnæ genera varia.*

### *Pugna Elephãtis adhibitis inter milites.*

CVm anceps diu pugna eſſet: Anibal elephantos in primam aciem induci iuſſit, ſiquem inijcere ea res tumultum, ac pauorem poſſet. Et primò turbarunt ſigna, ordineſque. & partim conculcatis, partim diſſipatis terrore, qui circa erant: nudauerant vna parte aciem, latiuſque fuga manaſſet: ni C. Decimius Flauus tribunus militum ſigno arrepto primi haſtati, manipulum eius ſigni ſe ſequi iuſſiſſet. duxit vbi maximè tumultum conglobatæ belluæ faciebant: pilaq; in eas conijci iuſſit. Hæſere omnia tela haud difficile ex propinquo in tanta corpora ictu, & tam conferta turba. ſed vt nõ omnes vulnerati ſunt: ita in quorum tergis infixa ſtetere pila: vt eſt genus anceps: in fugam verſi etiam integros auertere. Tum iam non vnus manipulus, ſed pro ſe quiſque miles, qui modò aſſequi agmen fugientium elephantorum poterat: conijcere. eo magis ruere in ſuos belluæ: tantoque maiorem ſtragem edere, quam inter hoſtes ediderant: quanto acrius pauor conſternatas agit, quam inſidentis magiſtri imperio reguntur. In perturbatam tranſcurſu belluarum aciem ſigna inferunt Romani pedites: & haud magno certamine diſſipatos, trepidanteſque auertunt.

*Liuius dec. 3. lib. 7.*

Magnum belluæ iniecere terrorem, inſolituſque ſtridor non equos modo, tam pauidum ad omnia animal, ſed viros quoque, ordineſque turbauerat. Iam fugæ circumſpiciebant locum paulò ante victores, cum Alexander Agrianos, & Thracas leuiter armatos, meliorem concurſatione, quam comminus militem, emiſit in belluas. Ingentem ij vim telorum iniecere, & elephantis, & regentibus eos Phalanx quoque inſtare conſtanter territis cœpit, ſed quidam auidius perſecuti belluas in ſemet irritauere vulneribus. Obtriti ergo pedibus earum, cæteris vt parcius inſtarent, fuere documentum. Præcipuè terribilis illa fa-

dies erat, cum manu arma, viroſque corriperent, & ſuper ſe regentibus traderent. Anceps ergo pugna nunc ſequentium, nunc fugientium elephantos, in multum diei varium certamen extraxit, donec ſecuribus( id namque genus auxilij præparatum erat) pedes amputare cœperunt. Copidas vocabant gladios leuiter curuatos, falcibus ſimiles queis appetebant belluarum manus. Nec quidquam inexpertum non mortis modo, ſed etiam in ipſa morte noui ſupplicij timor omittebat. Ergo Elephanti vulneribus tandem fatigati, ſuos impetu ſternunt: & qui rexerant eos, præcipitati in terram ab ipſis obterebantur. *Q. Curtius lib. 8.*

## *Pugna militis cum Elephante.*

NOn videtur eſſe prætermittendum de virtute militis veterani V. legionis. nam cum in ſiniſtro cornu elephantus, vulnere ictus, & dolore concitatus, in lixam inermem impetum feciſſet, eumque ſub pede ſubditum, deinde genu innixus, pondere ſuo proboſcide erecta vibrantique, ſtridore maximo premeret, atque enecaret; miles hic non potuit pati, quin ſe armatum beſtiæ offerret. quem poſtquam elephantus ad ſe telo infeſto venire animaduertit, relicto cadauere, militem proboſcide circumdat, atque in ſublime extollit armatum. qui in eiuſmodi periculo cum conſtanter agendum ſibi videret, gladio proboſcidem, quo erat circundatus, cædere, quantum viribus poterat, non deſtitit: quo dolore adductus elephantus, milite abiecto, maximo cum ſtridore, curſuq; conuerſus ad reliquas beſtias ſe recepit. *A. Hirtius de bello Afric.*

## *Pugna vnius contra multos.*

VIdeo armatos nudo ferro intra limen prorumpere, ac quod vnum licuit, grauiſſimè cum Argenide exclamo. At verò Theocrine (accipe rem indignã, quæ poſteritati erepta, inter nos ſic pereat) Theocrine, inquam, noſtra ſe de thoro præcipitat, nec

mitius quam ſi recepto Deo fureret, inuecta eſt in latrones. Dumque illi ad virginis inexpectatam audaciã; incerti quid aut vellet ipſa, vel poſſet, paulisper obſtupeſcunt, Theocrine eum adorta qui primus intrauerat, non modò armati ſiſtit veſtigia, aut occupat ictum, ſed inuolat in enſem, ſubitoq; extorquet. Eadem celeritate, ò Rex (citius enim quã hæc loquor hoſtilibus armis potita eſt) clipeum à victo detractum ſuæ læuæ inſeruit. Circumſpiciebam ego non periculi magis, quam auxilij nouitate attonita; cum illa vnius ceruicem ita ferro præcidit, vt ad me, atque Argenidem cruor de efflante trunco pertingeret. Strenuè deinde hunc clypeo pulſatum, hunc mucrone, hunc capulo turbat. Tũ verò graſſatores, qui primum inſolentia certaminis turbati gradum retulerant, tanquam in iuſto diſcrimine violentius inſurgunt, vt neque iam puderet plures in vnã, & puellam decernere. Exſonabant anguſta in ſede arma quaſſata, ſimulq; miſerabilis clamor mulierum, (iam hæ enim ad nos concurrerant) ſpeciem captæ vrbis maiori, quam pro loco, aut numero tumultu retulerat. Pugnabat illa, ſpolijſque animata hoſtilibus circum ferebat ſimul clypeum, ſimul ferrum. Diceres hanc bellis aſſuetam, illos in gynecæo adoleuiſſe. Duo de prædonibus iam ſtrati; totidem reliqui erant. Nemo integer à vulneribus reſtabat. Nam, & in fronte Theocrines; dum ipſa alterum petit, mucro alterius leuiter ſedit. Illico emicuit ſanguis, & purpura per candidiſſimos vultus errante toruos oculos ſtrinxit, caputq. & arma quaſſando cum minaciter proclamaſſet (adhuc timeo, Rex) aliquid ſupra mortalem fuit. Vix ſauciam videramus; iamque illam, qua violata erat manum ferro deiecerat. Neque mora, auerſos prædones cum vulneribus multis inualidi fugerent, nihil noctem, nihil inſidias verita, extra triclinium ſequuta eſt.

*Barclaius Arg. lib. 3.*

OBSI-

# OBSIDIO, OPPVGNATIO, DEFENSIO EXPVGNATIO.

PAulò ante tertiam vigiliam eſt animaduerſum, fumare aggerem, quem cuniculo hoſtes ſuccenderant. eodemque tempore clamore ſublato duabus portis ab vtroque latere turrium eruptio fiebat. alij faces, atque aridam materiam de muro in aggerem eminus iaciebant. Picem, reliquaſque res, quibus ignis excitari poteſt, fundebant; vt, quò primum curreretur, aut cui rei ferretur auxilium, vix ratio iniri poſſet. tamen, quod inſtituto Cæſaris duæ ſemper legiones pro caſtris excubabant, duæque partitis temporibus in opere erant, celeriter factum eſt, vt alij eruptionibus reſiſterent, alij turres reducerent, aggeremque interſcinderent, omnis verò ex caſtris multitudo ad reſtinguendum concurreret. cum in omnibus locis, conſumpta iam reliqua parte noctis, pugnaretur, ſemperque hoſtibus ſpes victoriæ redintegraretur, eo magis, quod deuſtos pluteos turrium videbant nec facile adire apertos ad auxiliandum animaduertebant, ſemperque ipſi recentes defeſſis ſuccederent, omnemque Galliæ ſalutem in illo veſtigio temporis poſitam arbitrarentur; accidit inſpectantibus nobis, quod, dignum memoria viſum, prætermittendum non exiſtimauimus. Quidam ante portam oppidi Gallus per manus ſeui, ac picis tranſditas glebas in ignem è regione turris proijciebat: ſcorpione ab latere dextro tranſiectus exanimatuſq; concidit hunc ex proximis vnus iacentem tranſgreſſus, eodem illo munere fungebatur: eadem ratione ictu ſcorpionis exanimato altero, ſucceſſit tertius, & tertio quartus. nec ille prius eſt à propugnatoribus vacuus relictus locus, quam reſtincto aggere, atque omni parte ſubmotis hoſtibus, finis eſt pugnandi factus. *Cæſar de bello Gall. l. 7.*

Hæc precatus ſuperante multitudine ab omnibus

locis vrbem aggreditur, quò minor ab cuniculo ingruentis periculi ſenſus eſſet. Veientes ignari ſe iam ab ſuis vatibus, iam ab externis oraculis proditos, iam in partem prædæ ſuam vocatos Deos, alios votis ex vrbe ſua euocatos hoſtium templa nouaſque ſedes ſpectare, ſeque vltimum illum diem agere nihil minus timentes, quam ſubrutis cuniculo mœnibus arcem iam plenam hoſtium eſſe, in muros pro ſe quiſque armati diſcurrunt: mirantes quidnam id eſſet, quod cum tot per dies nemo ſe ab ſtationibus Romanis mouiſſet, tum velut repentino icti furore improuidi currerent ad muros. Cuniculus delectis militibus eo tempore plenus in æde Iunonis, quæ in Veientana arce erat, armatos repente edidit & pars auerſos in muris inuadunt hoſtes: pars clauſtra portarum reuellunt: pars, cum ex tectis ſaxa tegulæque à mulieribus, ac ſeruitijs iacerentur, inferunt ignes. Clamor omnia varijs terrentium, ac pauentium vocibus, miſto mulierum, ac puerorum ploratu complet. Momento temporis deiectis ex muro vndique armatis, patefactiſque portis, cum alij agmine irruerent, alij deſertos ſcanderent muros, vrbs hoſtibus impletur, omnibus locis pugnatur. Deinde multâ iam edita cæde ſeneſcit pugna, & dictator per præcones edicere iubet, vt ab inermi abſtineretur. Is finis ſanguinis fuit, dedi inde inermes cœpti, & ad prædam miles permiſſu Dictatoris diſcurrit. quæ cum ante oculos eius aliquantum ſpe atque opinione maior, maioriſque pretij rerum ferretur: dicitur manus ad cælum tollens precatus eſſe, vt ſi cui Deorum Hominumque nimia ſua fortuna, populique Romani videretur, vt eam inuidiam lenire quàm nimio ſuo priuato incommodo publicoq; Romani Populi liceret. *Liuius dec 1. lib. 5.*

Poſtera die Sabinus exercitum æquo loco oſtendit ſi barbari ſucceſſu mortis alacres prælium auderent, & poſtquam caſtello aut coniunctis tumulis non digrediebantur: obſidium cœpit per præſidia, quæ opportunè iam muniebat. dein foſſam loricamque contexens, quatuor millia paſſuum ambitu amplexus eſt. tum paulatim vt aquam pabulumque eriperet, contrahere clauſtra, arctaque circundare, & ſtruebatur agger, vnde ſaxa, haſta, ignes propinquum iam in

hoſtem

hoſtem lacerentur. ſed nihil æquè quam ſitis fatigabat, cum ingens multitudo bellatorum imbellium vno reliquo fonte vteretur. Simul æquè armenta (vt mos Barbaris) iuxta clauſa, egeſtate pabuli exanimari; adiacere corpora hominum. quos vulnera, quos ſitis peremerat: pollui cuncta ſanie, odore, contactu. Igitur firmatę ſtationes denſioribus globis, & ingruebat nox nimbo atrox. hoſtiſque clamore turbido modo peruaſtum ſilentium incertos obſeſſores effecerat: cum Sabinus circumire, hortari, ne ad ambigua ſonitus aut ſimulationem quietis, caſum inſidiantibus aperirent, ſed ſua quiſque munia ſeruarent immoti, teliſque non in falſum iactis. Interea barbari catervis decurrentes, nunc in vallum manualia ſaxa, præuſtas ſudes, deciſa robora iacere: nunc virgultis, & cratibus & corporibus exanimis, complere foſſas: quidam pontes, & ſcalas ante fabricati inferre propugnaculis, eaque prehenſare, detrahere, & aduerſus reſiſtentes cominus niti, miles contra deturbare telis pellere vmbonibus, muralia pila, congeſtas lapidum moles prouoluere. nox aliis in audaciam, aliis ad formidinem opportuna: incerti ictus vulnera improuiſa: ſuorum atque hoſtium ignoratio, & montis anfractu repercuſſę velut à tergo voces adeò cuncta miſcuerant, vt quædam munimenta Romani quaſi perrupta omiſerint, neque tamen peruaſere hoſtes, niſi admodum pauci. cæteros deleto promptiſſimo quoque aut ſaucio, appetente iam luce truſere ad ſumma caſtelli, vbi tandem coacta deditio & proxima ſponte inimicorum recepta.

*Corn. Tacitus annal. l. 4.*

Dirempto colloquio Aragonij indignantes, quod oppidum muro debile, & facultatibus modicum tantæ claſſis vim atque impetum morari auderet, confeſtim arma expediunt. Triremium proras admouent: cohortes euectæ maioribus ſcaphis ſub ſignis in proximū littus diſſiliunt, atq; oppidū, terra, mariq; vno tēpore expugnare adoriuntur. Contra oppidani mixti militibus frequentes in muro eſſe, egregiè omnes propugnare, in claſſem è propugnaculis faces, ac tela omnis generis iaculari, in ſubiectos quiſcalis aſcēdere conabātur ingētia ſaxa prouoluere; ipſę mulieres ſingulari

ſingulari audacia in murum arma, tigna, lapides comportare, ſolari ſaucios, ac deffeſſos, ac demum cuncta nullo virili officio prætermiſſo laborantibus ſubminiſtrare. Ipſe Balbus ingenio velox, & manu promptus, huc, & illuc pugnando, adque adhortando ferebatur. Tormenta minora pro ea copia quam nactus erat, idoneis in locis, vnde hoſtium milites, qui deſcenderant, & turbæ nauales deſtinatò feriri poſſent, induſtriè collocabat; neque interim tormenta maiora nauibus emiſſa ceſſabant; Aragoniíque admotis triremum proris certatim in terram deſilire conabantur. Sed oppidani nouo aſtu authore Frandaia prædone inſigni à quo demum ſene locus littoris cum riſu nobis oſtentatus eſt, ſcopulos, ſaxaque de induſtria, ad exiliendū in littore antiquitus collocata, multo ſeuo conſperſerant; itaut milites ſaltu incitati, deſilire properantes, labentibus ex templò veſtigijs in mare, interque eminentes petras cum ſumma propugnantium voluptate, & multo omnium riſu præpedientibus armis laberentur. Pugnatum eſt continenter horis ſeptem pari vtrinque virtute.

*Iouius lib. 5. hiſt.*

Ergo vbi deſtinata oppugnationi affuit dies prima luce Cananorius terreſtribus copijs magno ſublato clamore, quam tumultuoſiſſimè vallum aggreditur, haud dubius fore, vt ad eam partem tuendam ex omnibus locis Luſitani concurrerent; ita ex altera parte libero nauium acceſſu expoſitis repentè militibus, nullo prope certamine arcem in poteſtatem eſſe venturam. Sed eum longè fefellit opinio. Siquidem vnde victoriæ principium putabat futurum, inde fugæ turpis initium extitit. Quippe claſſiarij primò audacter ad terram appulſi, vbi ſecus, ac promiſſum fuerat, frequentes in portus valloque armatos viderent ſubito pauore perterriti, & miſſilium variæ magnitudinis nimbo diſiecti, diſſipatique, multis paronibus, ac lembis momento dilaceratis aut depreſſis, vix tentata deſcenſione terga vertterunt, ac tum denique à Luſitanis ad terreſtres aditus tuendos omni ex parte concurſum eſt. Ibi atrox prælium fuit; ſcandenteſque iam vallum pluribus locis audaciſſimi quique Malabares cominus trucidati; tormentis verò eminus longè atrocior edita cædes eſt, inde turbati hoſtes

ſtes, & nequicquam increpante ignauiam Rege ducibuſque, acies vniuerſa fugam arripuit. Cæſorum ea pugna hoſtium numerus relatus non eſt: magnum procul dubio fuiſſe conſtat. E Chriſtianis (quod vix credibile videatur) planè deſideratus eſt nemo.
*P. Maffeius hiſt. Ind. l. 3.*

## *Oppugnatio, & expugnatio.*

TVm ſigno dato, animatiſque militibus non tam à gloria prædaue, paruo ex oppido non magna vtique expectanda, quam ab ira in præpoſteram confidentiam, atque à dedecore victoris exercitus, ſi apud Sichemium hæſiſſe diceretur; ſumma vtrinque contentione pugnari cæptum. Dumque hi nullo ſuorum iuxta cadentium metu in muros emicant: illi ruinis ſuperſtantes, obiectu corporum morantur ſubeuntes; dubio parumper euentu concertatum eſt. ſed qua parte curabant Hiſpani, amiſſis duobus centurionibus; tanta eos ex dedecore indignatio, ac furor inceſſit, vt acuente vires ira, coniectis in fugam defenſoribus, in oppidum penetrauerint primi. Simul alibi non vltra ſuſtinentes inuadentium vim oppidani, exauditoque Vallonum ex aduerſo ſcandentium muros rumore perculſi, defenſionem vna omnes omiſere. Et oppidani quidem milites, poſitis armis plerique dedidere ſe: è præſidiarijs verò intendente ſe iam nocte alij (hi fuere circiter ducenti) recepere ſe protinus in arcem: alij fermè centum quinquaginta, per eas tenebras, ac ruinas elapſi, in equitatum trans fluuiũ propterea ab Alexandro diſpoſitum incidere, omneſque, ne vno quidem ſuperſtite, contrucidati ſunt. Oppidum prædæ militum, vti hoſtibus minatus erat, tradidit Alexander: ſaluo fœminarum pudore, ſacrarumque Virginum Gynecæo, præſentia ſua cuſtodito. In oppidanos veniam, aut gladium adhiberi voluit, prout ipſi cedendo, aut repugnando alterutrum eligerent.
*P. Famianus dec. 1. lib. 9.*

Nunquam ab vlla memoria tantum tormentorum ad vnam oppugnationum collatum fuit: nam à terra quatuordecim, à mari verò centum, & quinquaginta

ginta muralibus tormentis vno vndiq; tempore murus eſt vehementiſſimè verberatus: minorum verò tanta vis fuit, vt neque proſpici quicquam, neque exaudiri facile poſſet fumo ſcilicet in craſſiſſimæ nebulæ morem latè diffuſo, & crepitu reboatuque tormentorum cuncta quatiente. Apud Sarnenſem Itali magno animo, ſed irrito incæpto ad præruptum murum ſcalas apponere, & ſcandere conantes, ter à Turcis acerrimè propugnantibus inſigni detrimento accepto ſunt repulſi. Neque enim tantum muri dirutũ fuerat, vt attingere ſcalæ poſſent, & vndique ab latere minoribus tormentis ſternebantur, nec Turcæ è muro ſaxa, ignes, feruentem arenam, calcemque, & picem liquefactam prouoluere, ac infundere ſubeuntibus ceſſabant. At nauales ſocij felicius, quum Auria ſubeundi, & ſcalas afferendi, vti anteà edixerat, tuba ſignum dediſſet, in Inſulam peruaſerunt, cedentibus muro Turcis metu pontium, quos ſuperſtantibus armatis appropinquantes, continuò apprehenſuros murum omninò crediderant. Primus ex naue Grimaldia imberbis Ligur genere humilis, ſed eo ſaltu ſatis clarus vexillum in hoſtili muro defixit, proximi ei ſucceſſere Hidruntino è Galeone miles, ac demum Lamba Genuenſes, atque ita multis interfectis Inſula capta, direptaque eſt refugientibus infrà oppidum per ferratam portam Turcis, qui ex eo, quem diximus turrito muro, noſtros prædæ occupatos, vaganteſque ſclopetis, & ſagittis vulnerabant. At primis tenebris Sarnenſis ſuos, qui ſub muro conditi protectique multis horis ſubſtiterant, incolumes ad ſe recepit, & tota nocte laboratum eſt in erigendis munitionibus, quibus in oppugnando oppido ipſi milites, tormentaque ab hoſtium ictibus tegerentur. Sequenti die plures Turcarum equitum manus, vt Coronæis opem ferrent, in conſpectum ſe dederunt, namque ſingulos ferè proximorum oppidorum præfectos, & fama Aurianæ claſſis, & auditus tota Peloponeſo tantus tormentorum ſtrepitus, exciuerant. *Iouius hiſt. l. 31.*

Oppu-

## *Oppugnatio irrita.*

EOdem tempore apud Zamam magna vi certabatur: vbi quiſque Legatus, aut Tribunus curabat, eo acerrimè niti, neque alius in alio magis, quam in ſe, ſpem habere, pariterque oppidani agere, oppugnare, aut parare omnibus locis: auidius alteri alteros fauciare, quam ſemet tegere, clamor permiſtus hortatione, lætitia, gemitu: item ſtrepitus armorum ad Cælum ferri: tela vtrinque volare. Sed illi, qui mænia defenſabant, vbi hoſtes paululum modo pugnam remiſerant, intenti prælium equeſtre proſpectabant. Ita illis ſtudio ſuorum aſtrictis, repentè magna vi murum aggrediuntur: & iam ſcalis egreſſi milites, propè ſumma cæperant, cum oppidani concurrunt, lapides, ignem, prætereà alia tela ingerunt, noſtri primò reſiſtere: deindè vbi vnæ, atq; alteræ ſcalæ comminutæ, qui ſuperſteterant afflicti ſunt: cæteri, quoquomodo potuere, pauci integri, magna pars confecti vulneribus abeunt. denique vtrinq; prælium nox diremit. Metellus poſtquam videt fruſtra inceptum, neque oppidum capi, neque Iugurtham, niſi ex inſidijs, aut ſuo loco pugnam facere, & iam æſtatem exactam eſſe ab Zama diſcedit.

*Saluſtius de bello Iugur.*

Hæ cauſæ cum Fabium tenerent, Sempronius in obſidione erat: & iam operibus oppugnabatur. Aduerſus ligneam ingentem turrim admotam vrbi, aliam turrim ex ipſo muro excitauit. Conſul Romanus aliquanto altiorem quia muro ſatis per ſe alto ſubiectis validis ſublicijs pro ſolo vſu erat. indè primum ſaxis, ſudibusque, & cæteris miſſilibus propugnatores mænia, atque vrbem tuebantur. poſtremo vbi promouendo adiunctam muro viderunt turrim, facibus ardentibus plurimum ſimul ignem coniecerunt, quo incendio trepida armatorum multitudo cum de turri ſeſe præcipitaret: eruptio ex oppido ſimul duabus portis facta ſtationes hoſtium fudit fugauitque in caſtra: vt eo die obſeſſo, quam obſidenti ſimilior eſſet Pœnus. Ad mille quadringenti Carthaginenſium caſi: vnde quadraginta viui captis

qui

qui circa muros, & in ſtationibus ſolutè, ac negligenter agentes, cum nihil minus, quam eruptionem timuiſſet, ex improuiſo oppreſſi ſunt. Gracchus prius quam ſe hoſtes ab repentino pauore colligerent, receptui ſignum dedit, ac ſuos intra muros recepit. Poſtero die Annibal elatum ſecunda re conſulem iuſto prælio ratus certaturum, aciem inter caſtra atque Vrbem inſtruxit. cæterum poſtquam neminem moueri ab ſolita cuſtodia vrbis vidit: nec commiti quicquam temerariæ ſpei: ad Tifata redit infecta re. *T. Liuius dec. 3 lib. 3.*

*Alias huiuſmodi deſcriptiones videre eſt apud Liuium dec. 3. l. 1. Sagunti obſidionem, & expugnationem ibidem l. 4. Syracuſarum obſidionem. eiuſdem expugnationem l. 5. expugnationem Capuæ ibid lib. 6. vbi etiam Carthaginem nouam à Scipione captam deſcribit. Tarenti expugnationem habes ibid. l. 7. Ambraciam expugnatam dec. 4 lib. 8.*

*Apud Corn. Tacitum vide oppugnationem irritam Placentiæ l. 2. hiſt. obſidionem, & oppugnationem Capitolij lib. 3. hiſt. Caſtra Romana à Batauis oppugnata lib. 4. hiſt. Gazam obſeſſam, & captam deſcibit. Q. Curtius lib. 4. Petram Aornin lib. 8. Oxydracarum oppidum expugnatum vbi extremum vitæ periculum adijt Alexander lib. 9.*

*Vide obſidionem, & deditionem Brixiæ apud Iouium l. 18. hiſt. Corones expugnationem l. 31. Guletæ arcis obſidionem, & expugnationem l. 34.*

*Apud P. Maffeium lib. 8. hiſt. Ind. arcem Ceilani fruſtra oppugnatam. lib. 12. Dienſis arcis irritam oppugnationem.*

*Apud P. Famianum oppugnationem Valencenæ dec. 1. lib. 6. obſidionem, & expugnationem St. hemij lib. 9. Limburgi oppugnationem l. 10. Traiecti ad Moſam dec. 2. lib. 2. Tornaci lib. 4 Aldenardæ ibidem; Antuerpiæ toto lib. 6. Couenſtenij aggeris aggreſſionem ibidem; Grauiæ expugnationem l 7. Venlonæ ibidem; Noueſii l. 8. Sluſæ lib. item 8. & 9. Bonnæ lib. 10.*

*Oppugnatio maritima Maſſiliæ deſcribitur a Cæſare l. 2. de bello ciu. Syracuſarum à Liuio dec. 3. l. 4. Tyri à Curtio l. 4. Caſtronoui à Iouio l. 37. Dienſis arcis à P. Maffeio lib. 13. hiſt. Ind. expeditio maritima in Zelandiam, & expugnatio Dunelandiæ à P. Famiano dec. 1. lib. 8.*

Direptio

## Direptio, Euerſio, Præda.

VErùm arce inexpectata fælicitate in poteſtatem redacta, & iam diripientibus cuncta ſeruis, miles diutius contineri non potuit, quin agminatim intraret vrbem, & per cunctas regiones ad prædam diſcurreret Tunetanis nihil ferè hoſtile expectantibus, & magno eiulatu edito Muleaſſis fidem fruſtra implorantibus. Primus inhiantium prædæ impetus, vti inuadentium, & effringentium fores varij caſus tulerunt, promiſcua cæde cruentus fuit; ſed Hiſpanis, atque Italis in auaritiam pronioribus, Germani ab inſita animi feritate Mahometano cruore ſitim explere properantes, ita cadaueribus cuncta compleuerunt, vt imbellem omnis ſexus, & ætatis turbam ad inanium Deorum templa confugientem ſine diſcrimine trucidarent & pauimenta damnatis in templis multo inermium ſanguine inundarentur. In eo cadentium miſerorum ſtrepitu, lugente, obteſtanteque Muleaſſe. Cæſar ſæuitiæ modum impoſuit, pronunciarique iuſſit capitale fore ſi quis Tunetanum violaret ciuem, aut in ſeruitutem adduceret. Fieri tamen nequijt, quin multi, adoleſcenteſque præſertim, & formoſiores feminæ ad claſſem raperentur, nam ſocij nauales fama diripiendæ vrbis exciti ad vrbem conuolabant. Quamobrem Muleaſſi licuit, quos nouerat è manibus prædantium in libertatem exiguo pretio vendicare, ſicut vnam ex vxoribus eius, quæ antea inter cariſſimas fuiſſe dicebatur, binis redemptam aureis conſtat. Cæſar ingreſſus arcem ſeruos, qui clariſſimo facto ſummæ parandæ victoriæ occaſionem præbuerant, collaudauit; diuiſaque viritim certa pecunia, qua ſe ſe alerent, liberos fore dixit pollicitus nauigia, & commeatum, quibus in ſuas terras transportarentur.

*Iouius lib. 34. hiſt.*

Intulerat iam ſe ſe in vrbem Othomanicus exercitus, & ſuopte ingenio ferox, & victoriæ licentia, conceptaque populationis ingenti ſpe furens, ac præceps, cum ad illatam Chriſtianæ rei cladem omnium maximam, ne quid miſeriarum deeſſet vltrà Muſtaphi

Ducis indulgentia, ſubijciuntur ciuium bona mili-tum prædæ, atque libidini. Diripiebatur vrbs Inſulæ caput, in quam Regni opes, atq; arma confluxerant: deliciarum ſedes, & quondam hoſpitium gratiarum, voluptuaria, ac beata hominum natio, immani ho-ſtium truculentiſſimorum furore, ac rabie cædeba-tur: fluebat per fora, ac vias cadaueribus oppletas interfectorum ſanguis: non ætati, non generi parce-batur: & quod ſine commiſeratione dici nequit, aræ paſſim, ac templa, Cælitumque imagines indignis ſanè modis polluebātur: matronæ nobiles, puellæq; ac ſacræ Deo Virgines è gynæceis, ac penetralibus ad omnem barbarorum libidinem fœdiſſimè rapie-bantur: ciuium fortunæ, templorum ſuppellex, cap-tiuorum corpora, ſacra, profanaque omnia, rapina, cæde, ludibrio diſtrahebantur, conculcabantur, vio-labantur. Muſtaphus ad augendum ijs, qui ſupere-rant, ciuibus terrorem, circumduci per vrbem ſuper-bè iubet Danduli Prætoris caput, mox ad Salaminæ Præfectum deportari. Ipſe interea quantum erat to-ta vrbe, ac Regno gemmarum, quantum auri, argen-tique cum cælati, tum rudis, veſtem præterea opere vario, ac ſigna complura, demum præcipuos quoſque captiuorum, & præſtantium forma puellarum, pue-rorumque greges duabus onerarijs, ac Myonaroni impoſita Selimo Imperatori Byzantium dono glo-rioſè mittit. *P. Famianus l. 5. prel. 3.*

Verum multo adhuc plura per vrbem patrauere ſacrilegi prædones, aucta ex ſucceſſu audacia. Raptis enim e templo funalibus foras erumpunt, ſolenniq; & tanquam triumphali carmine, viuant Gheuſij, per-ſtrepentes, excipiuntur ab alijs, qui iuxta templum opperiebantur, ex euentu eadem auſuri. Ergo con-iuncto celeriter agmine (nam præda inuitabat) pro-xima quæque templa inuadunt, valuas ſubruunt, Sa-cra omnia diſperdunt, aut abripiunt, in Religioſorũ cænobia conſcendunt, in interiores ædium partes, in apothecas penetrant, in cibaria inuolant, vino inun-dantur, pecuniam, vaſa, veſtem, ſeu ſacra, ſeu profana perinde auferunt: tanta ſuper ſcelus impudentia, atque impunitate, vt profecto haud ſciam, an eorum animos, qui hæc legent, indignatio ſubitura ſit maior aduerſum nefarios Ganeones, qui nulla Dei, homi-

numque

numque reuerentia, per ædes ſacras, atque aliena tecta debacchantes, templorum ſupellectilem. Cænobiorumque bona pro libidine conſumerent, aſportarentque; an aduerſum ipſos Sacrorum cuſtodes, Religioſaſque familias, quibus inſpectantibus, homines abiectiſſimi, pollutis omnia manibus violarint. Quare adulto iam die, quum viderent, nihil aduerſum ſe parari à Ciuitate repentino metu attonita, Catholicisque, ac Hæreticis æque latitantibus: nempe quod illi timerent ſibi ab Hæreticis, quos victores opinabantur: hi autem gnari referendam in ſe ſe inuidiam facti Magiſtratuū iram, Catholicorumque impetum vererentur: omnes vero eam vilis plebeculæ licentiam altius habere principiū ſuſpectarent; hinc ſacrilegi, effractariiique alieno pauore ſecuri, luce palam redintegrant populationem: ad templa, ad cænobia ferociores redeunt: Sacras veſtes turpificatis ipſi animis, corporibuſque indignè, ac ſpurcè fædant: bibliotecharum libros butiro inunctos incendunt: in Diuorum Statuas armis per ludibrium indutas haſtis incurrunt, ac deiectis inſultant: vbique ceu victores capta non minus pietate, quam vrbe, prædas agitant. *P. Famianus dec. 1. lib. 5.*

Videor mihi videre hanc vrbem, olim lucem orbis terrarum, atque omnium gentium, oppreſſam, atque extinctam, verſantur mihi ante oculos infeſtæ illæ, ac funeſtæ faces in pulcherrimas domos, & antiquiſſima tecta coniectæ, fortunarum direptiones, militum concurſationes, fuga puerorum, vexatio virginum: cæduntur per vias exacta ſenes ætate, infelicia viuentium cadauera: diuelluntur, ac diſtrahuntur liberi è complexu parentum: matres familias ad prædam, atque ad libidinem abducuntur; infantium ploratu, fæminarum lamentatione, morientium gemitu, clamore barbarorum, tectorum fragore, ac ſtrepitu concidentium, omnia perſonant: perſtringit oculorum aciem diſtrictorum acies gladiorum, & fulgor multa cæde rubentium. cerno animo ſepultam patriam, inſepulta corpora ciuium in ſuo cruore natantium: armis, flammis, cinere, cadaueribus, ſanguine, luctu omnia complentur. nimirum illa vrbs, quæ totius orbis terrarum erat extructa victorijs,

ita corruebat, vt ſuis ipſa populis, & exitium fie-ret,& ſepulcrum. *P. Bencius or. 1.*

At ſi aperias hæc,quæ verbo vno incluſa erant,ap-parebunt, & fuſæ per domos, & tecta flammæ, & ruentium tectorum fragor, & ex diuerſis c amori-bus vnus quidam ſonus, aliorum fuga incerta,alij in extremo complexu ſuorum cohærentes & infantium fœminarumque ploratus, & male in illum diem ſer-uati fato ſenes: tum ſacrorum profanorumque di-reptio, efferentium prædas repetentiumque diſcur-ſus,& acti ante ſuum quiſque prædonem catenati,& conata retinere infantem ſuum mater,& ſicubi ma-ius lucrum eſt pugna inter victores.

*Quintilian. Inſt. or. l. 8. c. 3.*

# INSIDIÆ, CVNICVLI.

## *Inſidiæ.*

Excitus Romulus (neque enim dilationem pati tam vicinum bellum poterat) exercitum edu-cit: caſtra à F. denis mille paſſuum locat.ibi mo dico præſidio relicto, egreſſus cum omnibus copijs, par-tem militum locis circa denſa obſita virgulta obſcu-ris ſubſidere in inſidijs iuſſit.Cum parte maiore atq; omni equitum profectus, id quod quærebat, tumul-tuoſo, & minaci genere pugnæ obequitando, ipſis prope portis hoſtem exciuit. Fugæ quoque quæ ſi-mulanda erat,eadem equeſtris pugna cauſam minus mirabilem dedit.Et cum velut inter pugnæ fugæque conſilium trepidante equitatu, pedes quoque refer-ret gradum, plenis repente portis effuſi hoſtes im-pulſa Romana acie, ſtudio inſtandi ſequendique tra-huntur ad locum inſidiarum.Inde ſubito exorti Ro-mani tranſuerſam inuadunt hoſtium aciem. addunt pauorem mota è caſtris ſigna eorum qui in præſi-dio relicti fuerant. Ita multiplici terrore perculſi Fidenates, prius pene quam Romulus,quique cum eo equites erant circumagerent frænis equos, terga vertunt: multoque effuſius, quippe vera fuga, qui

ſimulantes

ſimulantes paulo ante ſecuti erant oppidum repetebant: non tamen eripuere ſe hoſti, Hærens in terga Romanus, prius quam fores portarum objicerentur velut agmine vno irrumpit.

*T. Liuius dec. 1. lib. 1.*

Transfugæ agreſtes, & captiui quidã pars forte pars conſilio oblati, cõgruentia ad conſulẽ aſſerentes, quæ & vera erant, pecoris vim ingentem in ſaltum auium compulſam eſſe, perpulerunt vt prædatum eo expeditæ ducerentur legiones. ibi ingens hoſtium exercitus itinera occultus inſederat: & poſtquam intraſſe Romanos vidit ſaltum, repente exortus cum clamore, ac tumultu incautos inuadit. Et primo noua res trepidationem fecit, dum arma capiunt, ſarcinas coegerunt in medium; dein poſtquam; vt quiſquam liberauerat ſe onere, aptaueratque armis, ad ſigna vndique coibant, & notis ordinibus in veteri diſciplina militiæ, iam ſine præcepto vllius ſua ſponte ſtruebatur acies: Conſul ad ancipitem maximè pugnam aduectus, deſilijt ex equo; *Et infra.* His accenſus miles omnium immemor difficultatum vadit aduerſus imminentem hoſtium aciem, vbi paulum laboris fuit, dum in aduerſum cliuum erigitur agmen; cæterum poſtquam prima ſigna planitiem ſummam cæperunt ſenſitque acies æquo ſe iam inſtitiſſe loco, verſus extemplo eſt terror in inſidiatores: easdemque latebras, quibus ſe paulo ante texerant, palati atque inermes fuga repetebant; ſed loca difficilia hoſti quæſita, ipſos tum ſua fraude impediebant.

*T. Liuius dec. 1. l. 9.*

## *Cuniculi.*

IS procul à conſpectu duxerat cuniculi caput, nocte, vti fit, occultandæ foſſioni delecta Ac principio certus interualli ab eo loco ad Tungrenſis portæ molem, in quam ea pernicies deſtinabatur; (quod facile potuit ſcalę altimetræ beneficio) direxit illuc iter, non opera tantummodò magnetis: quippe lapides qui intra terram per ea loca ſæpius offenduntur, ferri aliquid admixtum habent, atque adeo magnetem aliò, quam quo verſus erat, auertunt; ſed vſus

regula ad libellam, ac perpendiculum extra foueam ad deſtinatum locum directa, eademque directione in ſcrobis fundo pariter adnotata. atque eius ceu fili ductu, per cæcum illud ſpecus perpetuò tenentes cunicularij dum porro pergunt, terram quam præfodiunt, ad foueæ oſtium aſſiduè regerentes ſtructuramque ſicubi opus fuerit, ſuſtentantes, acceſſere ad marginem foſſæ, qua præmunita moles erat. tunc depreſſa ſcrobe infra foſſæ fundum, ſubter eum commeantes, libellæ ac magnetis, tanquam pixidis chartæque nauticæ beneficio, in portu denique, ac ſub deſignato, quod excutiendum erat propugnaculo conſtitere. Ibi excauatam altius cameram (furnum vocant) ſulcriſque ligneis ſubnixam, prælongis capſis ſulphureo confertis puluere oppleuerunt, aliquanto etiam pulueris conſperſo ſolo, ac poſt applicitum loco funem ex goſſipio, nitro maceratum, ac puluere oblitum, cauernæ os quam arctiſſimè obturarunt, præcluſo omni ſpiramento, inde ductam humi pulueris lineam canali coopertam alicubi per forato, ne ſumus ignem excæcaret, ad caput vſque cuniculi, vnde incendi mox debuit, extenderunt. Ergo Alexander, quando in expedito rem eſſe nunciabatur, acceſſitis contra Tungrenſis portæ molem centurijs aliquot Hiſpanorum, iubet ad cuniculi fomitem admoueri ignem: qui perpetua illa ſemita ſeſe raptim euoluens, ac furno inferens, ingenti tonitru eluctatus, roſtrum molis violenter abrupit, eubrauitque non ita magna hominum ſtrage, quod pauci in ea anguli protectura conſtiterant.

*P. Famianus dec. 2. lib. 2.*

Quum enim Rennebergiani obſeſſores, præter apertas aggreſſiones, cuniculis actis in ipſam interdum vrbem improuiſò emergerent: obſeſſique Regij tranſuerſis cuniculis cuniculos, hoſtium excipientes præſente vbique animo obuiam irent: verſa ſub terram pugna, illic quaſi ex condicto dimicari cœptum eſt. Eratque perquam atrox pugnæ genus, intra eas anguſtias, ac ſubterraneos ſpecus repente occurrere ſibi milites cunicularijs immixtos, atque oblongis haſtili bus, mox cominus gladijs, non fallente ictu inferre vulnera, & coaceruatis impedito cæcoque in loco cadaueribus, nec fugæ ſpatium reperire, nec

quidquam

quidquam reliqui habere, præter effoſſa iam humo ſepulturam. Quibus in congreſſibus nec illud omiſſum eſt, quod olim ad Ambraciam inter Ætolos, ac Romanos mirè excogitatum legimus. non enim magis Ambracienſes fumo ex leni pluma cuniculum opplentes, nidore fœdo Romanos expulere, quam Germani ad cæteras artes, excitato e peſtilente venenataque materia intra eas latebras fumo, ſimulque obſtructo cuniculorum aditu, hoſtem inde ſæpius fugarunt, ac propè iam ad deſperationem potiundæ vrbis redegerunt. *P. Famianus dec. 2. l. 2.*

# SEDITIO, ET REBELLIO.

ERupit deinde ſeditio, poſtquam reprehendere, atque improbare tribunos ea quæ fierent, & conari obuiam ire, & propalam abnuere furoris eorum ſe futuros ſocios, ſenſerunt. fugatis itaque ex principijs, ac paulò poſt è caſtris Tribunis, ad principes ſeditionis gregarios milites C. Albium Calenum, & C. Atrium Vmbrum delatum omnium conſenſu imperium eſt. qui nequaquam tribunitijs contenti ornamentis, inſignia etiam ſummi imperij, faſces ſecureſque attrectare auſi: neque ijs venit in mentem ſuis tergis, ſuis ceruicibus virgas illas ſecureſque imminere, quas ad metũ aliorum præferrent. *T. Liuius dec. 3. lib. 8.*

Cæterum vt cognitum eſt alios mitti domum, alios retineri, perpetuam eum regni ſedem in Aſia habiturum, rati vecordes, & diſciplinæ militaris immemores, ſeditioſis vocibus caſtra compleat, Regemque ferocius quam alias adorti, omnes ſimul miſſionem poſtulare cæperunt, deformia ora cicatricibus, canitiemque capitum oſtentantes. nec aut Præfectorum caſtigatione, aut verecundia Regis deterriti tumultuoſo clamore & militari violentia volentem loqui inhibebant, palam profeſſi nuſquam inde niſi in patriam veſtigium eſſe moturos Tandem

ſilentio

ſilentio facto, magis quia motum eſſe credebant, quam quia ipſi moueri poterant, quidnam acturus, eſſet, expectabant. *Q. Curtius lib. 10.*

Sub idem ferme tempus Viennæ militaris ſeditio exarſit, non modo propinquitate hoſtium periculoſa & pene exitialis, ſed diſiunctione animorum, & diſciplinæ conturbatione grauiſſima. Rochandolfus regiæ familiæ Magiſter, quum in aduentum Cæſaris, totque Regulorum, & Legatorum hoſpitia præpararet, Hiſpanos qui in Pannonia militarant, vrbe excedere, & in proximis campis extra tendere iuſſerat; illi id ſe facturos pernegabant, niſi merita ſtipendia præberentur, quod Viennenſium hoſpitijs aſſueti, omni caſtrenſi ſupellectile, pecuniaque carerent. In hos Rechandolfus contumacius hærentes impetum fecit, excitiſque more militiæ ad arma Germanis, tormenta curulia prouexit; nec ſe deſerunt Hiſpani quamquam numero inferiores, & in oblongam ſeriem conglobati ſenſim pedes referunt, portamque occupant, quæ in caſtra deferebat, admiſſuri in auxilium Hiſpanos, qui dudum ab Italia veniſſent, atque item Italos, qui vt in aliena terra viribus eſſent firmiores, antea cum Hiſpanis cohortante Vaſtio, priuatum fœdus inierant. Res eò perducta eſt, vt cum Rochandolfus vir admodum iracundus, & ferox, armatus in equo vehementius vrgeret, & tormenta producerentur, contraque Hiſpani obuerſa ſclopetariorum cohorte conſiſterent, penè crudeli prælio certaretur: tantus erat vtrinque furentium ardor ad conſerendas manus, vt deprecantibus ſummis ducibus, qui aderant, non modo non parerent, ſed promiſcuè omnibus minarentur.

*Iouius hiſt. lib. 30.*

Eminuerò miles, & à victoria, & à cauſa ferocior, quã prõptus antea ſubierat pugnæ aleã, tam deinde mercedũ pactiones implacabilis expoſcebat. Ergo in centuriones inſurgere, miſcere manipulos, Auilæ occurrenti increpantiq; minaciter obſtrepere. Tum collatis inter ſe capitibus tria fere veteranorum millia nouum ſibi Ducem (electum vocant) ex ſeditioſorum more creant: nouam ordinant ipſi Rempublicam, ac partiti inter ſe belli munia inſtructo agmine Antuerpiam petunt melioribus nequidquam obſiſten-

obſiſtentibus: quin etiam ſpretis, quos re audita, cum certa ſtipendiorum ſpe obuiam miſerat Requeſenius. inde infeſtis ſignis Antuerpiam ingrediuntur: partitique ſibi ex militari deſignatione opulentiores domos, Requeſenio ſuperbè denuntiant, niſi ab eo ſtipendia illicò ſoluantur, ſe ſibi ſuo arbitratu ſoluturos. Quumque promiſſa in certum diem adhuc differrentur, nouo furore quaſi ludificarentur, impulſi, ante curiam, vbi Electus agebat, armati conueniunt: ibi ſubitariam attollunt Aram, peractoque in ea ſacrificio, omnes iure iurando ſe obſtringunt. Electo ſeſe obtemperaturos, nec quieturos ante, quam ſtipendia ad aſſem vſque numerarentur.

*P. Famianus dec. 1. lib. 8.*

## *Coniuratio, & Proditio.*

IGitur Vaccenſes, quò Metellus initio Iugurthæ pacificante præſidium impoſuerat, fatigati Regis ſupplicijs, neque antea voluntate alienati, principes ciuitatis inter ſe coniurant: (nam vulgus, vti plerumque ſolet, & maximè Numidarum, ingenio mobili, ſeditioſum atque diſcordioſum erat cupidum nouarum rerum, quieti, & otio aduerſum) dein compoſitis inter ſe rebus in diem tertium conſtituunt, quod is feſtus celebratuſque per omnem Africam, ludum, & laſciuiam magis quam formidinem oſtentabat. ſed vbi tempus fuit, centuriones tribunoſque militares, & ipſum Præfectum oppidi T. Turpilium alius alium in domos ſuas inuitant: eos omnes præter Turpilium inter epulas obtruncant: poſtea milites palantes inermes, quippe in tali die, & ſine imperio aggrediuntur. idem plebs facit pars edocti ab nobilitate. alij ſtudio talium rerum incitati, queis acta conſiliumque ignoranti bus, tumultus ipſe, & res nouæ ſatis placebant. Romani milites perculſi improuiſo metu incerti ignarique quid potiſſimum facerent, trepidare ad arcem oppidi vbi ſigna, & ſcuta erant præſidium hoſtium, portæ ante clauſæ fugam prohibebant. ad hoc mulieres puerique pro tectis ædificiorum ſaxa, & alia, quæ locus præbebat, certatim mittere. ita neque caueri anceps malum neque

à fortiſſimis infirmiſſimo generi reſiſti poſſe. iuxta boni maliqué, ſtrenui, & imbecilles obtruncari.
*Saluſt ius de bello Iugurt.*

Damocles erat Argiuus, adoleſcens maioris animi quam conſilij: qui primò iureiurando interpoſito, de præſidio expellendo cum idoneis collocutus, dum vires adijcere coniurationi ſtudet, incautior fidei æſtimator fuit. colloquentem eum cum ſuis ſatelles à præfecto miſſus cum acceſſeret, ſenſit proditum conſilium eſſe: hortatuſque coniuratos qui aderant, vt potius quàm extorti morerentur, arma ſecum caperent: atque ita cum paucis in forum ire pergit, clamitans vt qui ſaluam rempublicam vellet, autorem, & ducem ſe libertatis ſequerentur. Haud ſanè mouit quenquam, quia nihil vſquam ſpei propinquæ, nedum ſatis firmi præſidij cernebant. Hæc vociferantem eum Lacedæmonij circumuentum cum ſuis interfecerunt.
*T. Liuius dec. 4. lib. 4.*

# TRIVMPHVS, ET TROPHÆVM.

Ferebant ſe obuiæ tripudiantium cateruæ, cuncta cantu, & crotalis perſonabant. Hic tibi triumphum chorus. ille contrà tyranno funebres nænias, & carmen exequiale dicebat: hic perpetuum victis abitum, ille victoribus crebrum optabat aduentum. iam quocumque tuliſſes gradum, ſequi, circumcurſare, præcedere, vias denique quibus ferebaris obſtruere, nullus cuiquam ſui, tuine reſpectus blandam tibi faciebat iniuriam. quid ergo referam pro mœnibus ſuis feſtum liberæ nobilitatis occurſum? conſpicuos veſte niuea ſenatores? reuerendos municipali purpura flamines? inſignes apicibus ſacerdotes? quid portas virentibus ſertis coronatas? quid aulæis radiantes plateas, accenſiſque funalibus auctum diem? quid effuſam in publicum turbam domorum, gratulantes annis ſenes, pueros tibi longam ſeruitutem

vouentes

ꝑ uenentes, matres lætas, virginesq; ſecuras? Nondum omne confeceras bellum, iam agebas triumphum.
*Lat. Pacatus in Paneg. Theod.*

Nec eſt quod Marcellos, Scipiones, Lucullos, Pompeios, aliosq; huiuſmodi Roma mihi iactet Imperatores, qui eo ſæculi more, gentium à ſe deuictarum nominibus ſua nomina onerarunt. Iſti parta victoria, rebusque pacatis, conuerſas in omnium aures titulorum tubas inflabant. auditio cogebat moras pati, dum longo tractu inſonarent Africani, Aſiatici, Parthici, Germanici, atque alijs captiuis appellationibus inſigniti. Terrarum orbis ſe ſe ad ambitionis cognomenta lacerabat. attamen oppido ſi ad rationem facta reuocemus, poſito calculo, palleſcet triumphantium purpura, fides non conſtabit auditu. In te verò Franciſce Xaueri exornando titulorum ſe ſe turba implicat, ſe vexat magnitudo, certamq; fidem maior veritas criminatur. Te Goanum, Malacenſem, Ternatenſem, Comorinenſem (quid minutius partior terras?) te Indicum ac Iaponicum, tam diuerſarum vna linguarum vox, animorumque conſenſus appellat. Te gentium effuſæ legiones, ac ruentium populorum globi ad rectæ vitæ ſemitas lucem, facem ad diuinos amores, ſuum te ſolatium, delicias, perfugium, columenque concelebrant. Vndique repercuſſi montes verba multiplicant, remugit Oceanus, littora perſonant: vt cum parum ſit quidquid de te dicitur, mutorum taciturnitas loquentium linguæ ſuccurrat. Hic virtutibus iò triumphe canitur: illic exequiale vitijs carmen egeritur. Iacent ę orientalium vrbium portæ quo feras gradum, tui deſiderium exploratorem in excubijs habent. Illo poſt ſpem aduentus impatiente valuis effractis ciues erumpunt foras, prouolant venturo, ne tardè occurſent venienti. At vbi vota expectationis tua præſentia non feſellit, præcedunt, ſequuntur, circumcurſant, adeptoque bono, penè dicam amentes nunc proferunt, mox referunt pedem. Sua quiſque veſtigia relegit, ſibi obuiat, confundit errores, conturbat delicias. vaga, hærens, circumacta voluptas ſuo laborat in gaudio; expleri non poteſt, quia non poſſe videtur.
*P. Remondus Paneg. or. 21.*

Nam primò quidem ſi ſellam illam curulem in-

 tuearis,

tuearis, qua nouus hic Ductor exemplo triumphat inaudito; non auro conſpicua, non ebore diſtincta, non ſingulari aliquo artificio ſpectabilis eſt, ſed ea in qua nondum quiſquam poſitus erat, hoc eſt ea, quæ ſignificaret veluti ſymbolo quodam abdito ac retruſo, Chriſtum Seruatorem omnium gentium, ac populorum occupaſſe iam animos, quos nemo imperio ſimili elapſis ante temporibus occuparat. ſi comitatum, quis eo videatur illuſtrior, quis glorioſior aut eſſe vnquam, aut cogitatione fingi, & comprehendi potuit? cum illos prudentiſſimos, clariſſimoſque Reipub. Chriſtianæ Senatores haberet, eos ſanctiſſimos viros, atque iuſtiſſimos, eos fortiſſimos milites eos duces ſapientiſſimos, quos ad omnes terrarum prouincias debellandas, quos ad nationes vniuerſas populoſque in ſuam ditionem imperiumq; redigendos, cum mandatis ampliſſimis allegauit. ſi ſpectatorum frequentiam, & nobilitatem: ea fuit quæ non modo populis principem ſolis orientis vrbem, ſed quæ aerem ipſum cælitibus ad ſpectaculum vndique circumfuſis expleret. Nulla hic inimicorum ſpolia cernuntur, nulli currus vel muneribus, vel præda prouinciarum onuſti, nullæ captarum vrbium, aut oppidorum imagines, nulli captiui Reges, aut populorum Principes triumphantem imperatorē antecedentes: quia pompa illa nō tam verus erat triumphus, quam veri triumphi efficta quędam ſpecies, ac ſimulacrum. Tum profectò cæleſtis hic Imperator verè triumphaturus eſt, cum è Caluariæ monte in patibulum elatus, nouo illo triumphali curru cælum ipſum quaſi capitolium ingredietur.

*P. Tarq. Gallutius to. 2. or. 27.*

O ſi mos ille vigeret adhuc, quo ſolemni pompa victores portabantur in vrbem, quantus foret Imperatoris noſtri triumphus, quæ gentium acclamationes, quæ monumenta victoriarum! Iret ante currum depreſſo collo, ſubiectis ceruicibus, ſubacto vultu condemnata rebellio: currum traherent ſimul vincti, ſimul victi cū Rupellenſibus Angli, frontibus famulari iugo coniunctis: ſuccederent agmina vitiorum vno ſimul omnia loro deuincta, cæſaque flagello virtutum. Hic tractus ſonanti compede liuor ringeret: fremeret audacia ſine telo: iaceret arrogantia ſine

ſine

ſupercilio: morderet inuidia ſine dente. debacchaietur impietas ſine voce: mæſta hæreſis ſine viribus agmen clauderet. Qui plauſus interea, quæ in te laudes à circumfuſis militibus conferrentur? Tu Benearnus, tu Ciſalpinus, tu Tranſalpinus, tu Aquitanicus, tu Britannicus, tu Gallia dignior, tu patre felicior, tu Henrico Magno maior Ludouicus feſtis vocibus diceteris. Splendidi præterea tituli, laureati lemniſci, ſublimes imagines præferrentur. Ebore redderetur infelix Rupella pretio maiori, quam merito; viuerent adhuc in adamante, quos in campo iugulaſti, cælatura quam vita nobiliores: topazijs, & amethyſtis ſplendorem adderent virtutum tuarum inſculpta miracula: emineret in auro ſublime propugnaculum Ludouiceum: aſſurgerent iuxta in argento Aurelianenſe. Mirilliacenſe, cæteraque tam nunc pretioſo, quam antea preſſo molimine firmamenta; præirent de coniuratorum manibus extorta ſigna ſuperbiæ: toties victi BuKincamij ſimulacrum ferreum domito collo catenam trahens, pedibus manibusque reuinctis ſplendidum fieret pompæ ludibrium. Nectare ſpumaret artefactus Oceanus, vallo non iam ceſpititio, ſed adamantino circumcluſus, lapillorum obijcibus ambroſij fluctus allidentur, imbres gemmeos frangeret moles in auro, erudito labore ſudata. Alij denique Ludouico ponerent obeliſcos, vt Ceſoſtri: alij columnas erigerent vt Traiano: tabulas illi figerent, vt Alexandro: arcus iſti flecterent, vt Conſtantino: Pyramides quidam excitarent, vt Niro: quidam currus iungerent, vt Cæſaribus: plurimi ſtatuas erigerent, vt victoribus innumeris. Sic Ludouice iuſtiſſime triũphares. Quamquã vt fatear, hæc minora ſunt meritis, neque vlla reperiri poſſunt emblemata, quibus tanta maieſtas exæquetur. Non obeliſci in metam efformati; Regis gloria metas neſcit: non columnæ quæ deorſum baſi nituntur; cælo nomen illius innititur: non tabulæ quæ pigmentis collucent; virtus iſta factis non coloribus illuſtratur: non arcus qui curuantur, atque flectuntur; recta hic diſciplina militis, inflexa conſtantia ducis: non pyramides quæ puncto terminantur; Ludouici victoriæ terminos nullos agnoſcent: non currus qui præterlabuntur; non præteribit hoc factum: non ſtatuæ

demum quæ obmuteſcunt, tanta prodigia non ſilebunt. *P. Steph. Periot in Paneg. Ludou. XIII.*

## *Trophæum.*

ERat hæc armata eius effigies, nudo capite, dextero brachio inermi, & in vrbem intento: pede ſtatuas ex ære duas premens, hoc eſt duos ex tribus Belgij ordinibus, Nobilitatem, Populumque. his verò geminis ſignis manus inerãt plurimæ libellis crumenis, ſecuribus, facibus armatæ: ora laruis tecta: aures & colla pendentibus grauata caliculis, manticulisque Gheuſiorum ſupellectili. In baſi marmorea Elogium inſcriptum: Ferdinando Aluarez à Toledo Albæ Duci, Philippi Secundi Hiſpaniarum Regis apud Belgas Præfecto: Quod extincta ſeditione, rebellibus pulſis, Religione procurata, Iuſtitia culta prouinciis pacem firmauerit, Regis optimi miniſtro fideliſſimo poſitum. *P. Famianus. dec. 1. lib. 7.*

# AGRICVLTVRA.

VEnio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector: quæ nec vlla impediuntur ſenectute, & mihi ad ſapientis vitam proximè videntur accedere; habent enim rationem cum terra, quæ nunquam recuſat imperium, nec vnquam ſine vſura reddit, quod accepit: ſed alias minore, plerumq; maiore cum fœnore. quamquam me quidem non fructus modo, ſed etiam ipſius terræ vis, ac natura delectat; quæ cum gremio mollito, ac ſubacto ſparſum ſemen excepit, primum id occatum cohibet ex quo occatio quæ hoc efficit nominata eſt; deinde tepefactum vapore, & complexu ſuo diffundit, & elicit herbeſcentem ex eo viriditatem, quæ nixa fibris ſtirpium ſenſim adoleſcit. culmoque erecta geniculato, vaginis iam quaſi pubeſcens includitur: è quibus cum emerſit, fundit frugem ſpicæ ordine ſtructam, & contra auium minorum morſus munitur vallo ariſtarum. *Cicero in Catone maiore.*

Atque

Atque hoc illud eſt, quod agrorũ cultores iaciendis ſeminibus meditantur primum, vt ſoli naturam liquido teneant, non ſecus ac ſuam; diligenterq; diſquirant, pingue ne ſit an macrum, ſpiſſumne an vero diſſolutum,calculoſum,cinericium,glareoſum. neq; enim omnis fert omnia tellus;& ſuum eſt vt hominibus ſic etiam agris ingenium: vſuque frequenter venit, vt campus, qui nimium diu multumq; ligonibus exercetur, aratro proſcinditur,iteratur,tertiatur, ad extremum quod idoneus frumentationi non eſt, conſeneſcat miſere, ac nullo fructu fatigetur. & ſementem, quam ingenti ſuo, & agricolarum labore ſuſceperat, non modò non comprehendat, non a ſe met, non promittat: ſed vim atterat, extinguatque gignendi, & tanquam nutrix aliena foucado nocet.

*P. Vinc. Guiniſius alloc.4.*

## *Agri cultor ineptus.*

HOmo ex vltima barbaria,ruris colendi inſolens, cum in terras cultiores humanioris vitæ cupidine commigraſſet: fundum mercatus eſt oleo atq; vino conſtitutum: qui nihil admodum ſuper vite aut arbore colenda ſciret; videt forte vicinum rubos latè atque altè obortos excidentem,fraxinos ad ſummum propè verticem deputantem,ſoboles vitium è radicibus caudicum ſuper terram fuſas reuellentem, ſtolones in pomis aut in oleis proceros amputantem acceditque propè, & cur tantam ligni atque frondiũ cædem faceret,percontatus eſt. vicinus ita reſpondit: vt ager, inquit, mundus puruſque fiat eiusque arbor atque vitis fæcundior. diſcedit ille à vicino gratias agens,& lætus,tanquam adeptus rei ruſticæ diſciplinam. tum falcem, ac ſecurim capit: atque ibi homo miſer,& imperitus vites ſuas ſibi omnes,atque oleas detruncat,comaſque arborum lætiſſimas,vberrimoſque vitium palmites decidit,& fruteta,atque virgulta ſimul omnia pomis, frugibuſque gignendis felicia cum ſentibus,& rubis purificandi agri gratia conuellit, mala mercede doctus audaciam, fiduciamque peccandi imitatione falſa eruditus.

*A. Gellius Noct. Att. l.19.c.12.*

*Arandi*

*Arandi ratio deſcr. à Plinio l. 18. nat. hiſt. c. 19.*
*Arborum culturam Vide apud Plin. l. 17.*
*Hortorum culturam apud P. Ferrarium in flora.*

# PERSONÆ, ET ACTIONES SACRÆ.

## *Sacerdos Hebræorum.*

TEnetis haud dubie memoria, quot quibuſq; diſtingueretur coloribus Pontificis Maximi multiplex illa veſtis apud Hebræos. fuerunt nimirum quemadmodum accepimus omnino quatuor: byſſinus, purpureus hyacinthinus, coccinus: quos ſymbola quædam, & rerum argumenta pulcherrimarum fecere ſapientiſſimi noſtræ Religionis interpretes. byſſino quippe terram, vbi gignitur; purpureo mare vbi legitur ex cochleolis; hyacinthino aerem qui cæruleus eſt coccino ignem, & ætherem propter ſimilitudinem ſignificari voluerunt. Atque vt intelligeremus nullum hic eſſe commentum, id præterea confirmarunt: hyacinthinam veſtem à capite ad talos vſque demiſſam, ac fluentem fuiſſe propterea quod aer à cælo eſt ad terram vſque perpetuo ductu diffuſus: eidem velut appendiculas, & fimbrias acceſſiſſe mala illa punica, & ex ære tintinabula, quæ fulgura tonitruſque aeris, quæ concentum, & harmoniam elementorum omnium demonſtrarent. colores illos quatuor interiectos, & diſtinctos auro fuiſſe ſingulos, quia vitalis calor, & diuini ſenſus prouidentia peruagatur, & permeat vniuerſa. Veſti, quæ tegeret humeros, impoſitos fuiſſe lapides magnij pretij duos: vt dimidiatas illas cæli partes, quas Græci vocant hemiſphæria præſeferrent. diſpoſitam in medio byſſinam, quia terra intermedia eſt, & rerum elementis omnibus circumuallatur. zonam denique additam eſſe, quæ Sacerdotis pectus, & byſſinam ipſam coerceret, vt Oceanus exprimeretur, quo terra

tota

tota veluti fluenti quodam balcheo tam multis inſulis ſcopuliſque bacchato perfunditur.

*P. Tarq. Gallutius to.2. or.1.*

## *Sacerdos Chriſtianus.*

QVanta eſt Deus bone, quam ſtupenda, quam pene incredibilis Sacerdotum poteſtas! quę non vno contenta munere, duas eaſque omnium ampliſſimas diuinæ virtutis dotes amplexa eſt, Euchariſtiæ conſecrationem, & integram peccatorum condonationem. Quid ego iam mirer ad vnam Moſis virgam, modò cruentos amnes fluxiſſe, modò diſceſſiſſe, maria, modò in ſe reſoluta coaluiſſe, modò largas aquarum venas è ſaxis exiluiſſe. Hæc Sacerdotis poteſtate ſuperata videmus. Verba quippe ſacroſancta cum pronunciat, continuo aut fit ſanguis Chriſti; aut cum inhibet, peccatorum pelagus exareſcit, aut cum retinet, inſanæ veluti fluctuum attolluntur moles; aut cum ſaxo, & adamante duriora ferit pectora lachrymarum copioſum imbrem elicit, perenneſque diuinę gratię riui in animos influunt. Proh fidem! quales, & quantas oportet eſſe manus iſtas, quam præclaras, quam innocentes, quam pudicas, quam venerabiles, quæ Deum cęlitus excipiunt, Deum tangunt, Deũ tractant. Quid de reliqua poteſtate licet mihi dicere? mihi vero licet quod eſt libere pronunciare. Hæc Sacerdotes, veſtris genibus terrarum Principes aduoluit: hęc miſerorum catenas diſſoluit: hæc inferorum vectes, & repagula diffringit: hæc veterem draconem cruoris humani ſiti rabidum conterit: hæc æſtus, & flammas extinguit: hæc os putei furialis occludit: hæc cæli fores aperit: hæc ad omnipotentis Dei mortales contubernium introducit.

*P. Cauſinus de Eloq. l. 14. c. 12.*

## *Sacra preces, & ſupplicationes.*

QVoties è ſomno vigilantibus excitata curis, ſeminuda membra abijciebat humi, gemenſq;

 grauiter

grauiter cum fletu, & lacrymis magno animi dolore atque ſenſu, miſericordiam, & auxilium diuinum implorabat? quoties erecto vultu tendebat in cælum ſupplices manus quoties rurſus ad pedes imaginis Chriſti ſuffixi cruci iacebat ſine mente atque ſenſu? quoties ſe ipſa, quoties ſuos, quoties Luſitaniæ regnum, quoties Regis animam verberans pugnis ſenile pectus, atque eiulans, Creatori, & parenti Deo commendabat? quoties legendo, quoties precando ſomnum vrgentem repellebat, donec defatigata labore membra, etiam inuito animo multumque reluctante, ipſa ſponte ſua collapſa quieſcerent? quoties verò poſt diuturnum eiulatum, & mæſtiſſimas querimonias, exultare ſibi videbatur inter choros Angelorum, & incredibili voluptate perfuſa, & diuina ſuauitate liqueſcens tacita clamabat: Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.

*P. Perpinianus or. 2. de S. Eliſab.*

Perpetuam quæſo conſuetudinem illius, & in orando Deo contentionem mentis aſſiduam recordamini, quantum illi cum Deo, quam intimæ neceſſitudinis vſum interceſſiſſe dixerim, cui nihil eſſet acerbius quam ad humanas non dico voluptates, ſed neceſſitates à diuinarum rerum cogitationibus auocari! Satis conſtat Agnetem, vt diuini congreſſus iucunditate, qui ſaluberrimus eſt paſtus animorum, in quam longiſſimum tempus extracto cum Deo ſermone, frueretur; omnem penitus abieciſſe mollitiem & ab indulgentia corporis longiſſimè receſſiſſe. *Et infra*. Hæc inter quoties illi nox, cum orare mane cœpiſſet; quoties lux, cum cœpiſſet veſperi ſenſum integerrimæ dulcedinis interpellabat! quoties ab alienatam à corporis ſenſibus tantus amoris æſtus abſorbebat vt animi celeritatem in cælum emicantis ex humo ſublata corporis moles in ſublime ſequeretur! quoties accenſum Virginis pectus tantis colliqueſcebat gaudijs vberrimæ, liquidiſſimæque voluptatis, vt ſatis intelligi poſſet nihil illi neque præſentius, neque iucundius eſſe quam Deum.

*P. Stephonius or. 2. de B. Agn.*

*Suppli-*

## *Supplicatio publica.*

IAmque agri Picæni nulla vrbs, oppidum, pagus, vicus eſt, quin quotannis cateruatim, populaque Lauretanam Virginem interuiſat. Præeunt alitates ſuis quæque inſignibus vexilliſque diſtinplerique enim præter Chriſti crucifixi effigiem, paræ, alio:umque Diuorum imagines pulcherè pictas præferunt. Agmina claudunt Sodalitatū deratores, Sacerdoteſque cum ſua cuiuſque agiis ſymphonia. ſequuntur dona, argenteæ coronæ, ces, cerei nummis obſiti, præcioſę veſtes, vrbium, ɔidorumue argentea ſimulacra votiuæ tabellæ, inorum beneficiorū B. Mariá deprecante partorū ices. Interponuntur ſæpe Angelorum ſępe ſacrorū um Sibyllarumq; de B. Virgine vaticinantiū, aliæq; ione habitu veſtis inſignes. Sæpe etiam excipit ondita, & promiſcua cuiuſque populi turba. In icere carmina Deo, Dei parenti, Diuiſque per interla inuicem canunt. Simul ac verò Ædes Lauretain conſpectum ſe dedit (ea quia in edito colle ſita procul conſpicitur) extemplo vniuerſi proſternt corpora, & obortis præ gaudio lacrymis Deitam conſalutant. inde in ord nes abeunt, inſtructiſe agminibus procedentes canunt litanias hymſque nec deſunt qui exuti properè veſtibus, paraad id ſaccos induunt, comiteſque ſubſequantur da ſibi terga cædentes. Ad Laureti portam perenis ſodalitatibus Lauretani Sacerdotes linteati ocedunt obuiam, eaſque in templum deducunt m egregia ſymphonia, feſtoque campanarum, tubarum ſono.

*Turſellinus hiſt. laur. lib. 5. c. vlt.*

# ECCLESIA CATHOLICA.

ETiamne parum maieſtatis habere videtur Ecclesia ſanctiſſimo Domini cruore fundata, & ad hoc vſque diem locupletiſſima opuam, priorum cra-

nium acceſſione propagata? At quibus initijs ad hanc gloriam effloruit? duodecim homuli, qui? auctoritate graues? nihil illis contemptius: opulentia copioſi? quid nudum magis aut deſtitutum? eloquentiæ gloria celebres? nihil infantius. iam tamen illi è fluuiorum ripis, & piſcatu recentes calloſis ex diurno labore manibus longa macie torridi, & omnis conciliatriculæ illius vrbanitatis experres, ruſtici è tugurijs, & mapalibus educti, triumphos Regum meditantur, partiuntur inter ſe orbem terrarũ, victorias & ſpolia definiunt per abrupta montium, & diſiunctiſſima quæque regionum, igneis veluti quadrigis euecti volitant, feruntur penè extra ſolem, & ſidera per ſquallentes arenarum tractus, per teſtas vehementiſſimo ſolis appulſu regiones, per æterno frigore rigentes plagas, in quibus nullum humani cultus veſtigium. Perueniunt deinde ad numeroſiſſimas gentes, pugnant nudi, laceri, inermes, contra Reges, Satrapas, Præſides, iuriſperitos, fluentis in ſuos humeros totius mũdi aciem excipiunt, perſuadent impijs religionem, auariſſimis paupertatem, omni libidine inquinatiſſimis caſtimoniam, & quod ſtuporis plenum eſt, contritis Dæmonum ſimulacris, templiſque falſorum numinum exciſis, cruciarij vexilla in clariſſima luce terrarum defigunt: fulgurent deinde mucrones in iugulum exerti, tonent minæ, ruant, qua parte volent armorum fulmina, præſto ſunt qui excipiant, qui toto pectore mortem induant, & vincant moriendo.

*P. Cauſinus de Eloq. l. 14. c. 10*

At noſter Auctor Chriſtus, idem homo, Deus idem, cum depreſſo cælo delapſus ad terras, nobis aperuit immortalitatem ſuam, ciuitatem dignam tanto Deo, dignam tanta felicitate conſtituit in æterna ſuæ virtutis firmitate ſtabilitam ſic, vt neque ſanctitatem à veritate ſeiunxerit, nec veritatem diſtraxerit à ſanctitate. Huius imperij domicilium ſi quærimus, mundum omnem eſſe reperiemus: ſi dominatorem, Deum: ſi firmamentum, veritatem: ſi diuturnitatem ſuperiorum quidem temporum, ætatem mundo parem: conſequentium verò, mundo longiorem æternitatem: ſi gloriam amplitudinem virtutis omnis: ſi ſpeciem, ſanctitatem: ſi vim auctoritatis,

quicquid

quicquid licet: ſi licentię facultatem, quicquid ſanctè libet: ſi opes, communionem ſacrorum: ſi vires, præſentiam amici Numinis: ſi moderationem, decori modum: ſi ſocietatem, cæleſte commercium: ſi functiones munerum, in omnes vitæ partes intentum Iuſtitiæ ſumma cum dignitate dominatum. At cedo ſummam. Mutuam officiorum fidem, conſpirationem animorum, ſententiarum conſenſionem, publicæ ſapientiæ fructum, rerum humanarū diuinarumq; ſocietatem, vitalem in medio poſitæ Diuinitatis vbertatē vnico verbo, voluntariam duplicis in Deū, & homines beneuolentiæ neceſſitatem, & vim. At quo conſilio, Deus immortalis, ad hanc vitæ conſuetudinem inſtituti ſumus? nempe præclaro, nempe diuino, vt ſacroſancto hoc beneuolentiæ fœdere coniuncti nihil inter nos cauſæ reſidere pateremur, quin idem ſentiremus, omnes vellemus idem, quod ipſe vellet, & ſentiret Deus. Vt ſummi magiſtri monitis, & exemplis ad indolem priſtinæ gratiæ refecti, quoad eſſemus in terris prægustare poſſemus vitæ beatæ ſuauitatem ex his quaſi venis communium ſacrorum: quam deinde repoſitis ad immortalitatē corporibus, illati cælo, multis atque adeo infinitis partibus copioſius ex ipſo bonorum omnium capite quam longè patet æternitas duceremus. Sit igitur hoc poſitum, vniuſq; domus vnum ſit fundamentum, vna Veritas: domeſticum inſtrumentum infinita Christi beneficentia: lumen, & ornamentum Deus. Detur vnius Patris vnā eſſe familiam, vniuſque familiæ ſit color vnus indolis vnius hauſtus ex Deo. concedatur huiuſce familiæ, tamquam ex membris, multis hominibus vnum conſtare corpus, eiuſque corporis eundem eſſe ſpiritum, eundemque ſenſum, ſed functiones munerum, & officia partium diuerſa: ſicut eius caput aurum Chriſtus ſit, quemadmodum Chriſti Deus. Non negetur ex multis ordinibus vnam confici ciuitatem, illiuſque cuſtos æternus idem dominus, qui dominator hominum optimus Chriſtus Deus. Huius porro ciuitatis arcem auguſtiſſimam, infinitum Chriſti principatum eſſe fateamur: licæum doctrinæ, veriſſimam Chriſti vocem: Conſilij Senatum, diuinam Chriſti ſapientiam: templum æternum Chriſti Sacerdotium: perfugium aſyli, duplicis naturæ

in Chriſto coniunctionem; ſummum ipſum Sacerdotem, ipſum victimam, ipſum expiationem, eundē ipſum qui Dei legatus, & filius, qui parens hominum, & conſeruator, qui virtutis author, & veritatis interpres, qui ſempiterni fœderis, & cauſa fuit, & copula. *P. Stephonius Proſa 5.*

# HÆRESIS.

Taceo cæteros, qui iam dum veræ pietatis ſtudium contemnunt, cuiusdam ſcientiæ puerilis opinione cæci, ſtatum reipublicæ Chriſtianæ vehementer perturbarunt. Illos ipſos, ne nimis antiqua repetamus, ſacrorum, ac religionum hoſtes infeſtiſſimos, qui noſtra fere memoria in Germania extiterunt, recordamini, qui cum tantam ſibi diuinarum litterarum ſcientiam adepti eſſe videantur, tantam rerum humanarum cognitionem, tantam occultiſſimorum myſteriorum notitiam, vt non ſolum eorum hominum, qui nunc ſunt, gloriam, ſed etiam antiquitatis memoriam ſe ſapientia ſuperaſſe arbitrentur, euertunt omnem morum ſanctiorem diſciplinam, labefactant non doctiſſimorum hominum modo ſententias, quorum, & litteræ quondam, & religio plurimum enituit, verum ipſius etiam Eccleſiæ vniuerſæ ſanctiſſima decreta, ſacra profana omnia habent promiſcua, ſe tandem primos rectè, ac perfectè libros ſacros intellexiſſe, & eorum abditiſſimas ſententias perſpidiſſe credunt, cæteros fuiſſe plerumque grauiter allucinatos: nullius neque hominis, neque concilij, tam acre vnquam extitiſſe iudicium, vt cum ſuo debeat vlla ex parte comparari: ita harum furiarum, & peſtium humani generis amentia atque ſcelere, tantam fecit Eccleſia Chriſti iacturam, quantam vix multis ætatibus complurium pietas ſingularis, cum admirabili quodam doctrinæ genere coniuncta ſarcire queat. *P. Perpinianus or. 3.*

Mitto quod verbum iſtud, vt ipſi vocant, diuinum; vt ego ſentio, commentitium; contemptum ordinum religioſorum parit; quod primum obedientiam tollit, quæ principibus Eccleſiæ debetur, quod maledi-

**cendi licentiam immoderatam affert, & intempeſtiuam atque importunam loquacitatem; vt qui ſectam iſtorum perſequuntur, publicè, priuatim in concionibus, in vicis, in plateis, in tabernis diuerſorijs, in circulis, in conuiuijs omne acerbitatis ſuæ virus in eos effundant, quos obſeruare, & colere debuerunt; & in medijs etiam poculis impia Euangelij noui myſteria impuris ſermonibus eructent. Hæc, & alia prætereo, quæ, ſi quis colligere velit, ac ſecum ipſe cogitare tacitus, facilè adducetur, vt credat, iniuriam Deo facere, qui dicat, in iſtis hominibus quidquam ſpiritus diuini reſidere.** *P. Perpinianus or.* **11.**

## *Hæreſis mala.*

Recordamini quod ſine lacrymis recordari non poſſumus acerbiſſimum illud totius Germaniæ vulnus; quo miſerè ab infami deſertore nobiliſſima prouincia confecta, rectum ſalutis iter, à quo ſemel aberrauit, inuenire vix poteſt. Illud ego loquor vulnus, quod non plurimis ante annis Martinus Luterus fœdiſſimi buſti cadauer extremum Chriſtianæ Reipublicæ grauiter impoſuit, cũ noua proſeminata ſuperſtitione ab auita, caſtaque pietate plurimorum iudicia voluntateſq; diſtraxit, cum nouã in longinqua prouincia diuini cultus formam, & rationem inſtituit Romani Pontificis auctoritate non eleuanda ſolum, verum etiam conuellenda, tantoſque habuit in illa peſte circumferenda progreſſus, vt nimium deploranda videantur eſſe, quæ ſunt poſtea conſecuta. Quid enim? in errorem longè pernicioſiſſimum implicati etiam viri Principes: ſublatæ tum Dei, tum Sanctorum effigies: inuolatum repente in opes religione maiorum Eccleſijs aſſignatas: expilatę aræ: templa, qua direpta, quà diſturbata: rerum ſacrarum procuratio, vel vſurpata vitio, vel neglecta: deprauati mores atque peruerſi; dubius ſanguis, peruerſum genus: matrimonia vagari permiſſum ijs, qui cælibem vitam Deo cum Sacramento addictam agerent, vxores ducere ac ne illa res cuiquam in religionem venire poſſet, idem ipſe tam ſinctę doct[illegible] ſ[illegible]nitator, idem ipſe [illegible] Tragœdia primarum partium

tium ſector, abductam è ſancto contubernio Virginem habuit peſſimo publico concubinam. Ne multa, intra omnia tam diuina, quam humana perturbata: in opiniones ridiculè pugnātes diductę ampliſſimę prouinciæ, & in eodem cœtu quot capita, tot ſententiæ.
*P. Tarq. Gallutius to. 1. or. 1.*

Sed quid ego perfugium nominaui? Propugnaculum dicere volebam, arcemque perfidiæ collocatam, non in oculis modo, ſed inter latera duorum religioſiſſimorum Regum: ad ſuperſtitionem mordicus defendendam, ad labefactandam pietatem, ad bonos mores deprauandos, ad Deum, atque homines per ſummum ſcelus, & impudentiam oppugnandos. Nimirum vix eo ſe ſe exonerauit tempeſtas illa pacis, atque otij: cum peſſum pietas paſſim data, antiquati maiorum cultus, aræ afflictæ, templa vel funditus euerſa vel impie ſpoliata, Religionis Antiſtites, & cultores ad vnum omnes exacti, horum bona nefarijs ſcelerum miniſtris, & adiutoribus attributa: vno verbo, Deus vndique profligatus, ſua cuique cupiditas ſuus genius loco Numinis innectus; cui ſacra palam fierent, atque ipſis animarum victimis litaretur.
*P. Guiniſius alloc. 14.*

## *Hæreticorum crudelitas.*

QVis ſuperſtitionibus, & Idolis, Chriſtianorumque ſanguine ſemper ebriam hæreſim ſatis deteſtetur? Etenim quis Deum piè, religioſèque colentibus tutus in vrbibus locus fuit? non forum, plenum ſicarijs: non templa, ferro flammaque violata: non priuatæ domus, inſidijs expoſitæ, dominorumque cruore redundantes. Quoties in Senatu per calumniam? quoties in platea per vim? quoties in ſuis ædibus? quoties in ipſis lectulis necati ſunt? furoris, & amentiæ torrens nullis coercitus repagulis deſæuijt impotenter, & efferatus in Chriſti fideles, illos exuit opibus, & honore, bona proſcripſit, afflictauit carcere, damnauit exilio, mactauit ſupplicijs, ſcholis, & concionibus interdixit, inuolauit in ſacra cultus, & cęremonias abrogauit. Diuorum templis ferrum, & immane molitus eſt incendium, &

quod

quod in religione Catholica ſemper fuit auguſtiſſimum, hominum pedibus, ac pecudum attritum.

*Ex Palatio Eloq. exerc. 2. lect. 3. pun. 13.*

Quis clades publicas poſſit ſine lachrymis recordari? quis infelicem Galliam ſuorum ſanguine fædatam, vexatam, laceratam, diſcerptam ab hoſte importuniſſimo, ſiccis oculis poſſit intueri, & non ad eius defenſionem armari? quid coniunctis in communes hoſtes animis, & potentia non illorum audaciam, impietatem, rebellionem profligamus? Veſtram fidem commilitones appello; credi ne poteſt an hiſtoria præteriti cuſtos temporis nobis impoſuit, hæreticos non pridem viua, atque ſpirantia Sacerdotum corpora humi fodiſſe, capita reliquiſſe prominentia, quæ diſcum verſantibus metam ſignarent; duo commiſiſſe viuos homines arctiſſimis vinculis, hæreticorum in Catholicos crudelitate colligatos, vt vrgente fame alter alterum in rabiem actus voraret ſuris interceptorum alligaſſe nefrendes. quorum importuno clamore ſues matres excitę inſontes diſcerperent; ferreas calces ſubdidiſſe pedibus, vt equis; ignem inſtillaſſe, vt poculis; euiſceraſſe ventres, in quibus equi pabulum ſumerent, vt in præſepio; interfectorum exta adhuc calentia, per humeros traduxiſſe, vt baltheum; vel inuoluta baculo prætuliſſe, vt trophæum; truncas Catholicorum nares per ludibrium pileis prætexuiſſe, vt laciniam; vel abſciſſas aures circumduxiſſe, vt cingulum; capita rotaſſe, vt globulos; oculos acu diſſreuiſſe, vt telas: in molendinis aquarijs membra omnia rota vertente eliſiſſe, triuiſſe, vt triticum; in ventilatis piſtrinis leuiter agitaſſe, vt turbinem; multos è ſummis arcibus, è cacumine prærupti montis, præcipites egiſſe in ſubiecta ſaxa, vel in lacunoſas conualles; templa ſpoliaſſe, aras incendiſſe, Sanctorum imagines truncaſſe, & quod eſt in Catholica religione auguſtiſſimum, modò pedibus attriuiſſe, modò equis, canibuſque appoſuiſſe eademque crudelem impietatem latrocinij, ſacrilegiorumque veſtigia impreſſiſſe, quæ non ad exigui horrorẽ temporis, ſed ad execrationem poſteritatis ſempiternam extent.

*Ex Palat. Eloq. exrec. 9. lect. 4. pun. 4.*

# ECCLESIÆ SACRAMENTA.

## *Baptiſmus.*

EX Sacramentis primum, quod ſponte cordis,& nulla meritorum anteceſſione confertur,quodque propterea donum antonomaſticè vocant Patres, Baptiſmus eſt.Huius ſi rem ſubiectam ſenſibus,quod Impreſiæ corpus appellant,& verba quæ animi loco ſumuntur, velis ad normam exactam penicillo deducere; pinge ſi placet: Aquæ lauacrum, cui ſuperſcribe. *Ad nitorem.* deformabis enim periocham ingenioſam Amoris,nitelam, ac ſplendorem non tam ſignificantis per aquas, quam re ipſa per gratiam exhibentis. hic enim ipſam amoris diuini facem ita aura Spiritus genialis accendit, vt meritò Baptiſmus Sacramentum illuminationis ab antiquis Religionis noſtræ Vatibus nuncupetur. Verum candidare velle Aethiopem abluendo,ſtulta procuratio videri poteſt & nos quotquot ex Adami crimine trahimur naſcentes in pœnam, proles nigella de matre Tartari ſumus, Aethiopũ infuſcata medullitus natio. Ita ſanè, ſed ad Aethiopiſſam iſtã propterea (Bernardo teſte) filius Dei de longinquo venit, vt quamuis Moyſes Aethiopicæ vxoris ſuæ mutare colorem non potuerit; Chriſtus tamen Eccleſiam,quam adamauit fœdã, exhibuerit non habentem maculam.

*P. Leo Sanctius l. 1. flor. præf. 7.*

## *Sacramentum Pœnitentiæ.*

SEdet attonito in ſolio Dei,& hominum quaſi arbiter Sacerdos,& ſtupet, & ſe non capit, & ſe ita circumſpicit, vt ſuam inuenire perſonam non poſſit, dum ſuſtinet alienam.Cælum,terra,inferorum ſedes

illius

illius vultum cauſæ,ac iudicij momenta ponderantia intuentur: quà quà ſe intulerit ſententia rata,fixa eſt. Pendent ab vno vniuerſa iudicio nutum auſpicantur, vocem expectant: quidquid ille annuat, quidquid loquatur,nutus oraculum eſt,& vox imperium. O quātum inſtar in illo eſt.Habet auctoritatem pro throno clauem pro ſceptro, pro regia veſte iuſtitiam, prudentiam pro diademate, pro corona ſapientiam, ſecretum pro cuſtode,pro defenſore conſtantiam. Habet homines pro regno, cacodæmones pro ſatellitibus,pro miniſtris beatas mentes,pro impiorum æterno ſupplicio inferos, pro expiandis debito tempore animis aliam pœnarum ſedem, pro victorum prẽmio cælum. Nutāt eius decreto ſuperni,& inferni poſtes: dictū factum,eius voluntate obſerantur,pateſcunt arbitrio. Iubeat,velit,interpretetur, abſoluat,illaqueet,nullæ hic interceſſiones,appellatio nulla,nulla rogatio.Dei,& hominis vnum idemq;decretum eſt.Vt hoc tantum Sacramentum, tam nouum, tam inauditum,meritò dici debeat forum ſalutis,tribunal miſericordiæ, iudicium vitæ ſententia libertatis.

*P. Remondus orat. 16. de Pœnit.*

## *Sacramentum Euchariſtiæ.*

NEſcias in hoc Sacramento quid admirere magis, an eius auctoris potentiam, an amorem. Hic enim ardet felici quaſi nubecula incluſus amor, hic ſedet præpotentis maieſtas. latent illa quidem, ſed ſuo fiunt integumento maiora. niſi enim ita vt ſunt, abdita eſſent, profectò neque tanta eſſe crederetur amoris vehementia, neque tanta potentiæ magnitudo. Stant attonita accidentia illa nulli adnixa ſubſtantiæ, diuino ſolum firma imperio: vt ſigna rebus reſpondeant, Sacramenta ſecretis Quemadmodum enim humana Chriſti natura ſuo priuata ſuppoſito,Verbi diuini ſubſiſtit hypoſtaſi ſic par fuit,vt eo Sacramenti quaſi amictu tegeretur, qui nulli adhæreſcens, ſola Dei ope conſiſteret. Quid quod ſub his ſpeciebus,vt Theologorum more loquar,nulla ineſt panis,ac vini ſubſtantia, & tamen ita ſenſus afficitur, ac ſi vero pane vinoque reficeretur.Et quiſquā dubitabit

tabit

tabit quin propriè Chriſti corpore verè præſenti paſcantur animi,cum vel corpora noſtra,dum falluntur, dum eluduntur, ipſa panis, ac vini abſentia nutriantur?O diuinæ bonitatis exigua ſumma, ò breue compendium poteſtatis. Deum immortalem, infinitum, dominum gloriæ, vitæ imperatorem, cui vniuerſitatis amplitudo anguſtiæ, Deum inquam verum,atque hominem tantula ſpecie contineri. Perge porrò: non minus eſt quod ſubijciā.Deus Opt.Max.ſolo verbo ſemel omnia procreauit : at Sacerdos Dei miniſter ſolis etiam verbis, quoties lubet, ex pane Chriſti corpus,& ſanguinem ex vino conficit : an non tibi videtur, quanto rebus omnibus maior eſt Chriſtus, tanto plus eſſe Chriſti corpus,& ſanguinem diuina virtute conficere, quam omnia condidiſſe? Sed quid tam ſingulare,quam Chriſti corpus integrum,ac perfectū Euchariſtiæ quantitati ſubeſſe , nulli tamen illius parti dimenſione reſpondere? Eſt, ſi placet, totus Chriſtus in toto; eſt, ſi manis in qualibet parte;vt te neque pars inopem reddat, neque totum ditiorem; nec de toto ſolicitum te eſſe oporteat,cum poſſideas in parte totum. Iſte eſt, niſi fallor, diuini ludus quidam amoris, latet nimirum cæleſtis ſponſus, tui amore ita captus,vt quamcumque in partem Sacramenti oculos conuertas, tuo aſpectu carere non poſſit;vtcumq;Sacramentum diuidas,locum habet vnde ex occulto ſua tela iaculetur, vnde te vulneret, vnde te rapiat in amorem ſui.Quin etiam nunquam relicta Patris dextera,inaudito miraculo vnus idemque pluribus terrarum locis ad Sacerdotis arbitrium adeſt, ne ſe à te ſubtrahere quodammodo poſſit, neque tu illum amatorem fugere poſſe videaris.

*P. Remondus or. 15. de Sacr. Euch.*

O rem admirandam! antea Verbum Dei humanos artus induit, nunc in hoſtiam induitur:antea cernebatur in ſinu Virginis, nunc cernitur inter manus Sacerdotis: antea niueo lactis rore paſcebatur, nunc purpureo paſcit ſanguine: antea corpus noſtrum aſſumpſit,nunc ſe in noſtrum corpus infundit: antea ſe abiecit ad humilitatem carnis, nunc ſe tranſmittit in ſpeciem exigui panis.Quid, quod ſub tam paruis inuolucris totus eſt ; quid, quod in minima particula totus;quid quod non illapſus à cælo quod nunquā deſerit,

deſerit,ſed cum hoſtia modo prorſus mirabili repen-te coniunctus exiſtit; quid quod vt diuinitas replet mundum,& tamen vna eſt,ſic innumerabilibus locis conſecratur, & tamen vnum corpus eſt. Quid dicam de ipſius Sacramenti copioſis fructibus,qui in totam Chriſtianorum vitam ex eo fonte latiſſime diffunduntur? Deo agglutinari: quid dulcius? Deo veſci: quid ſuauius? Deo ſaginari: quid lautius? Dei ſanguine in venas admiſſo irrigari,liqueſcere,perfundi: quid fæcundius? Hoc libidinis fomites præfocantur, hoc ſagittæ Dæmonis infringuntur. hoc aſperſę medullis, & viſceribus cupidinum faces intepeſcunt, hoc caſtiſſimæ flammæ ardores reuiuiſcunt,hoc omnis ſanctitatis decor effloreſcit.

*P. Cauſinus de Eloq. ſacra lib. 14. c. 13.*

# PÆNÆ VOLVNTARIÆ PIETATIS CAVSÆ SVSCEPTÆ.

TEſtare Minoreſſa abſorptas ab illo,nulla prorſus re in ſtomachum immiſſa,aut inſtillata, totas hebdomadas. Teſtare cætera in eius faſtis quotidiana ſolo aridi panis fruſtulo, & quidem oſtiatim mendicato, & vulgaris aquæ pugillis celebrata ieiunia lacrymis tantum additis ad condimentum. teſtare nudam humum aut ſcrupea pauimenta delicato, & exangui ſubiecta corpori: noctes aſſiduis illius delaſſatas, & ſopitas vigilijs. teſtare non dico cæſos intortis,ac nodoſis funibus humeros, ſed ter quotidie furentibus terga laniata catenis, ad ſonitum crepitumque plagarum toto tremefacto, & miſerante tugurio. O noſter Imperator,in te ipſum facte, & laniſta, & pugnator, quale tibi de te, imo, & cæleſti amphitheatro ſpectaculum exhibes. etiamne conſumpta carne ſemiuiuum cadauer exoſſabis? quid fruſtra

fruſtra ad nouas plagas locum ſcrutaris in plagis? niſi forte inſaturabile vulneribus corpus noua ſemper deuorat, & abſumit vulnera: aut quandoquidem nulla fere in eo amplius ſpecies, & figura corporis totum ipſum quantum eſt, vna plaga eſt, quæ paſcitur plagis. *P. Remondus in Paneg. orat. paneg. 6.*

Certè tam modico, & tam tenui victu vtebantur, vt nunc eorum continentia propter homines magis, quam propter rem incredibilis eſſe videatur, elixum aut aſſum aliquid capere, luxuriem intolerabilem ducebant: alij tertio, aut quarto quoque die, ſucco herbarum, aut paucis caricis ſemimortuum corpus reficiebant: alij pane tantum, & ſale ſe ſe tolerabant; alij perpaucolis caryotis alebant frigida membra: alij hebdomadarum inedia carnis laſciuiā, & appetitus furorem ſuperare contendebant; atque omnes eodem ſtudio, & ardore in exercitu Chriſti militantes, ſimulacrum corporis magis quam corpus ægrè trahebant. *P. Perpinianus orat. 2.*

Supplicationes ferè per menſem quotidie repetitæ, tam multæ diebus ſingulis, vt ſæpe vna pluribus occurreret, inter viarum anguſtias implicatæ ad pietatem. Iam forum, plateæ, compita, non alijs vocibus, quam gemitibus, ſuſpirijs, precibus reſonabant. adeò vt Vrbs tota vnius templi faciem redderet. Chori Virginum paſſis crinibus ad commiſerationem; turbæ virorum, ſiue ſe loris acriter diuerberantium, manante iam è laceris humeris ſanguine Veſuuij incendia reſtincturo; ſiue capite coronam ſpineam, humero crucem, collo funem geſtantium, argumenta concepti doloris; agmina religioſorum animo ad pietatem, vultu ad modeſtiam compoſito. Deiparæ, ac Sanctorum ſuffragia implorantium, quotidiana per hos dies Vrbis fuere ſpectacula.
*P. Recupitus de Veſuuio.*

Nihilo minor cæteris in rebus, quam in ieiunijs rigor tenuit; cuius ipſe neque ſomnum adeò paſſus eſt eſſe immunem. Ter hebdomade quauis ſuper duros, rudeſque afferes inſueuit acquieſcere: reliquis noctibus informes ligni ſtipites, aut libros grandiuſculos, capiti puluinum ſubſternebat; eo quidem poſitu, vt incumbenti haud multo plus quietis, quam doloris gigneretur. Latera nuda ſetoſis funibus con-

ſtringere

ſtringere iam ludus erat,niſi aculeis etiam ferratis,& aheneis muricibus aſperarentur.Et iſtis quidem tunc impenſius ſæuiebat,cum aut foras ambulandũ feriatis diebus,aut accumbendũ eſſe lautioribus epuleis prævideret. Ea nimirũ tempora,quod inſidijs eſſent opportuna,arctioribus cenſuit excubijs munienda. Intumuerant ex caſu genua, lectoq;affixũ retinebant; Nihilominus vt primum excipere ſe pedibus valuit, (quamquam neque tumor adhuc nec dolor reſediſſet) per ſublimium ſcalarum difficiles gradus repatando genibus, ſæpe enitebatur,eo ſolum vt à quæſitis cruciatibus corpus nunquam integrè vacaret. Cæterum ſi vſquam alibi ſeuerus, certè in voluntaria ſui verberatione cum primis fuit: qua noctibus alternis, donec vltima ægritudo obnuntiaret,corpus omne lacerare perſeuerauit; vſus eam ad rem aut nodoſis funibus,quos prius intexti radijs, hamiſque ferreis armaſſet, aut rigente catena,quam ipſe ſibi ad dolores ciendos haud rudis faber confeciſſet. Et hanc corporis lanienam,per horæ quadrantem plerumque ad ſemiſſem ſæpè, quandoque ad horæ menſuram producebat;tanto conniſu,vt vires interpoſita quiete fuerint re ſumendæ. Inde magna vis effuſi ſanguinis eaque corpori inflicta vulnera,quæ poſt obitum magno numero inuenta indicium fecere diſſimulati doloris. *P. Bidot manuſcr. in Vbald. cap. 23. & 24.*

# IVDEX, TORMENTA, SVPPLICIA.

## *Iudicum, & Patronarum fraudes.*

ADuocati, Patroni, Scriptores, (nam Iudices, quia eos conſtitutis vereor nominare) adeò numerum ſuperant, vt pauciores ſint agricolæ, pauciores qui in mercatura vertuntur, regnumue cuſtodiunt. Vnde verò tanta illa gens viuit,niſi ex iniuria populi,ex clade, & ſanguine miſerorum? Ita hæc peſſi-

ris non modò malorum eſt rea, quæ infert,ſed bonorum præterea quæ adimit. At excuſabis multitudinem comitialium hominum (permitte ſic vocari hos iurgiorum præceptores) ex litigantium numero,quibus omnia fora ægrè ſufficiunt. Per pauciores enim agi tot cauſas,tot explicari negotia non poſſe. Imò verò ex Iudicum, & patronorum numero creſcunt lites, aut ſubſident. Adde noua tribunalia,non deerunt quibus placeat recens equuleus, quod ſi de veteribus adimes,ita cadet pars litium,ac de morbo decedet,ſi de hodierna medicina detraxeris.forenſis huius æſtus cauſa eſt, quia Iudices (ne infrequentia cauſarum lucello ſublato etiam deſpectam dignitatem faciat) in ſummo iure ſemper inueniunt, quos ſubmittant faſcibus ſuis: nec rabulæ deſunt, & his quoque deterius genus homines, quidam ſcientes formularum, omniſque ad litigandum articuli, qui vel alios inter ſe committant,vel ipſi reperta litigandi materia huius ludi ignaros exerceant.

*Barclaius Argen. lib. 3.*

## *Equuleus.*

EQuuleus principem torquendi vim obtinere dicitur. eius forma eſt eiuſmodi. Tigna iuſta craſſitudine, longitudine humanam ſtaturam excedente humi in longum proiecta ſtatuuntur tanto inter ſe interuallo, quantum laxè capere iacentem hominem queat: duobus à ſummo imoque iunguntur ligneis cilindris,qui extenuato vtrinque capite tignorum iacentium aptis immiſſi foraminibus facilem habeant circumactum. Præſertim cum æquis medio eorum ſcapo ſpatijs inſerta manubria radiorum more hinc atque hinc emineant, quibus connisi tortores facile liciũ ferale circumuoluunt. Medio inter tigna ſpatio iacere iuſſum reum ſummis manuum pedumque articulis conſtrictum alligant diuerſas ad vtriuſque cilindri partes quatuor. Ibi manubriorum radijs ſubinde perpetuo circumductu commutatis,vincula conuoluendo, alligatum in diuerſa corpus ſuſpendunt,modò mollius, vehementius modò,ſæpe tanta vi, vt omnibus luxatis artubus vitæ vſum ſemper,

vitam

vitam ipſam non rarò miſeris per ſummum cruciatum eripiant. *P. Bombinus in Vita P. Campiani c. 42.*

## *Homo tormentis excruciatus.*

TVm corripitur, dum obligantur oculi, dum veſtis exuitur, deos patrios, gentium iura nequicquam apud ſurdas aures inuocabat. Per vltimos deinde cruciatus vt pote, & damnatus, & inimicis in gratiam Regis torquentibus, laceratur. Ac primò quamquam hinc ignis, illinc verbera iam non ad quæſtionem, ſed ad pœnam ingerebantur, non vocem modò, ſed etiam gemitus habuit in poteſtate. Sed poſtquam intumeſcens corpus vlceribus, flagellorū ictus nudis oſſibus incuſſos ferre non poterat: ſi tormentis adhiberi modum eſſent, dicturum ſe, quæ ſcire expeterent, pollicetur. Sed finem quæſtioni fore iurare eos per ſalutem Alexandri volebat, remouerique tortores. Et vtroque impetrato, Cratero inquit dic me quid velis dicere. Illo indignante ludificari, rurſuſque reuocante tortores, tempus petere cœpit, dum reciperet ſpiritum. Illi rurſus tormentis admotis, cum ipſis quoque haſtis os oculoſque eius euerberarent, expreſſere vt crimen confiteretur. *Q. Curtius lib. 6.*

## *Quæſtionum, & tormentorum ritus apud Sinas.*

COgnitores capitalium rerum, amplianda toties cauſa, per ſpeciem lenitatis, diram crudelitatem exercent, quippe rei, quorum magna ſemper eſt multitudo interim onuſti catenis, noctu præſertim arctiſſimèque inter ſe conſtipati, & conſtricti, adeò ſæua, ac terra cuſtodia detinentur, vt dilatam à iudicibus mortem haud pauci quotannis accerſant, ſibique ipſi afferant vim. Interea in cōſpectu comeſſantis, ac ludibundi ſæpe iudicis, ſeriæ quæſtiones per tormenta exercentur: quorum cum alia ſunt genera tum illud quotidianum. Pro virgarum faſcibus cu-

ris non modò malorum eſt rea, quæ infert,ſed bonorum præterea quæ adimit. At excuſabis multitudinem comitialium hominum (permitte ſic vocari hos iurgiorum præceptores) ex litigantium numero,quibus omnia fora ægrè ſufficiunt. Per pauciores enim agi tot cauſas,tot explicari negotia non poſſe. Imò verò ex Iudicum, & patronorum numero creſcunt lites, aut ſubſident. Adde noua tribunalia,non deerunt quibus placeat recens equuleus, quod ſi de veteribus adimes,ita cadet pars litium,ac de morbo decedet,ſi de hodierna medicina detraxeris. forenſis huius æſtus cauſa eſt, quia Iudices (ne infrequentia cauſarum lucello ſublato etiam deſpectam dignitatem faciat) in ſummo iure ſemper inueniunt, quos ſubmittant faſcibus ſuis: nec rabulæ deſunt, & his quoque deterius genus homines, quidam ſcientes formularum, omniſque ad litigandum articuli, qui vel alios inter ſe committant,vel ipſi reperta litigandi materia huius ludi ignaros exerceant.

*Barclaius Argen. lib. 3.*

## *Equuleus.*

EQuuleus principem torquendi vim obtinere dicitur. eius forma eſt eiuſmodi. Tigna iuſta craſſitudine, longitudine humanam ſtaturam excedente humi in longum proiecta ſtatuuntur tanto inter ſe interuallo, quantum laxè capere iacentem hominem queat: duobus à ſummo imoque iunguntur ligneis cilindris,qui extenuato vtrinque capite tignorum iacentium aptis immiſſi foraminibus facilem habeant circumactum. Præſertim cum æquis medio eorum ſcapo ſpatijs inſerta manubria radiorum more hinc atque hinc emineant, quibus connixi tortores facile liciū ferale circumuoluunt. Medio inter tigna ſpatio iacere iuſſum reum ſummis manuum pedumque articulis conſtrictum alligant diuerſas ad vtriuſque cilindri partes quatuor. Ibi manubriorum radijs ſubinde perpetuo circumductu commutatis,vincula conuoluendo, alligatum in diuerſa corpus ſuſpendunt,modò mollius, vehementius modò,ſæpe tanta vi, vt omnibus luxatis artubus vitæ vſum ſemper,

vitam

vitam ipſam non rarò miſeris per ſummum cruciatum eripiant. *P. Bombinus in Vita P. Campiani c.42.*

## *Homo tormentis excruciatus.*

TVm corripitur, dum obligantur oculi, dum veſtis exuitur, deos patrios, gentium iura nequicquam apud ſurdas aures inuocabat. Per vltimos deinde cruciatus vt poteſt, & damnatus, & inimicis in gratiam Regis torquentibus, laceratur. Ac primò quamquam hinc ignis, illinc verbera iam non ad quæſtionem, ſed ad pœnam ingerebantur, non vocem modò, ſed etiam gemitus habuit in poteſtate. Sed poſtquam intumeſcens corpus vlceribus, flagellorū ictus nudis oſſibus incuſſos ferre non poterat: ſi tormentis adhibituri modum eſſent, dicturum ſe, quæ ſcire expeterent, pollicetur. Sed finem quæſtioni fore iurare eos per ſalutem Alexandri volebat, remouerique tortores. Et vtroque impetrato, Cratero inquit dic me quid velis dicere. Illo indignante ludificari, rurſuſque reuocante tortores, tempus petere cœpit, dum reciperet ſpiritum. Illi rurſus tormentis admotis, cum ipſis quoque haſtis os oculoſque eius euerberarent, expreſſere vt crimen conſiteretur. *Q. Curtius lib. 6.*

## *Quæſtionum, & tormentorum ritus apud Sinas.*

COgnitores capitalium rerum, amplianda toties cauſa, per ſpeciem lenitatis, diram crudelitatem exercent, quippe rei, quorum magna ſemper eſt multitudo interim onuſti catenis, noctu preſertim arctiſſimèque inter ſe conſtipati, & conſtricti, adeò ſæua, ac terra cuſtodia detinentur, vt dilatam à iudicibus mortem haud pauci quotannis accerſant, ſibique ipſi afferant vim. Interea in cōſpectu comeſſantis, ac ludibundi ſæpe iudicis, feriæ quæſtiones per tormenta exercentur: quorum cum alia ſunt genera tum illud quotidianum. Pro virgarum faſcibus cu-

bitali arundine vtuntur, cuius ante meminimus, latam digitos quatuor, craſſa vnum; & quidem igne toſta, quo grauiorem faciat plagam. hoc ſæuitiæ inſtrumento humi ſtratorum, ac ſæpe inſontium artus, ac plantæ adeò acriter, & acerbè cæduntur, vt qui non robuſtiſſimo ſunt corpore, vel fracti, ac debilitati diſcedant; vel etiam inter ipſa verbera nonnunquam expirent. *P. Maffeius hiſt. Ind. l. 6.*

## *Cruciatus immanes è nimio frigore.*

SEd cum illi conſtantiſſimè detrectarent imperiū, frigidiſſima hyemis tempeſtate in proximum vrbi ſtagnum, glacie concretum, & gelu, compulſi ſunt: vt ibi ſub dio pernoctantes, paulatim, hoc eſt miſerandum in modum interimerentur. Quod quidem ſupplicium quam graue, quam immane, ac barbarum fuerit, haud facile poſſumus intelligere, niſi nobis ipſis ob oculos ponamus aliquem frigore atq; algore obrigeſcentem grauiſſimo. Principio enim coacto ſanguine; ſuccoque corporis exhauſto, ipſo deficiente paulatim calore quo tenetur vita protinus expalleſcit. Deinde turbatur, & conuellitur totus eiulatur, ac fremit, dentium conflictu ſtridorem edit tum contractis venis, ac neruis, membris penè aridis, ac exanguibus, incipit in medio frigore etiam reliquo calore cruciari: qui è viſceribus, ac præcordijs, quò receptum habuerat, ad extimam cutim excitatus, eam non aliter amburit, ac ignis, cum leuiter ac ſenſim virgultorum ſumma depaſcitur. Hæc ſi acerbum eorum fuiſſe supplicium oſtendunt, quos inſana illa Imperatoris crudelitas frigore iuſſit interfici, multo ſanè illud acerbius exiſtimetis neceſſe eſt ſi etiam animo repetatis, quanta ſit in ijs regionibus hyemis, ac frigoris acerbitas, vbi tam grauibus, atque inſolentibus pœnis illa Chriſtianorum libera capita ſunt adiudicata. Et tamen ita conſtanter hunc ipſum cruciatum, inuicti milites pertulere, vt ante ſibi articulatim è corpore membra defluere, quam ab animo religionem, ac fidem excidere paterentur. *P. Tarq. Gallutius to. 2. or. 21.*

Homo

## *Homo obiectus canibus ad lanienam.*

PRæſidem verò brachijs poſt tergum reuinctis, in littore deſtitutum, ferociſſimis duobus moloſſis obiecit, quorum impetum, ac dentes varia corporis declinatione, aliquandiu fruſtrà euitare conatus; horrente ſupplicij fœditatem effuſa ex oppido multitudine; circumſpectare primò cœpit fugam: dein cum terreſtres omnes exitus milite obſeſſos cerneret; in mare ſe (quod ſupererat vnum) ad incertam ſpem ſalutis immiſit, neque canes, quippe iam ineſcati, ab inſequendo abſtitere, pedibus tantum nantis, pone cum adhærerent; dolore, ac deſperatione in rabiem actus repente ſe ſe conuertit; dentibuſque, horribile dictu, certare cum belluis inſtitit: atque ad extremum, vnius aure mordicus apprehenſa, cum iam ſanguis vireſque deficerent; moribundus, moloſſum vna ſecum ad ima detraxit.

*P. Maffeius hiſt. Indic. lib.* 10.

## *Supplicium attrociſſimum, & plus quam barbarum.*

ILli nudum, & catenis vinctum in equuleo conſtituunt, & corona candenti ex vomere conflata vt regum mos eſt, coronant, venisque diſſectis profluentem ſanguinem potandum Lucatio præbent. Deinde ad viginti agreſtes, qui in exercitu ordines duxerant, tridui inedia maceratos ad id crudelitatis cogunt, vt dentibus ſpirantis ducis artus dilacerent, atque deglutiant. Ille mira conſtantia, neque gemitum edere, neque in miſerabili mortis genere quidquam horreſcere, vnum tantum deprecari, ne inſontem Lucatium quem ipſe renitentem ad id bellum perduxiſſet, his cruciatibus dignum exiſtimarent. Poſtremò laniatis omnibus membris, quum diutius grauiſſimos dolores, vel immani ſpiritu ſuſtinere non poſſet extractis viſceribus exenterant in fruſta ſecant, atque ahenis, & verubus coctum comedea

dendum militibus ſuis opponunt. Eos verò talibus epulis ſatiatos cum Lucatio omnibus ſupplicijs dilaceratos interficiunt; horrendum ſanè ſpectaculum, & ante memoriam noſtram inauditũ Barbarici ſupplicij genus, à quo tamen, & ſi Georgius extrema quæque meruerat, viri Chriſtiani animum atq; oculos auertere debuiſſent. *Iouius hiſt. l. 23.*

## *SS. Martyrum varia ſupplicia.*

AGite enimuerò teſtes purpurati clariſſimi heroes, fortiſſimi martyres; & paucis, nobis, quantum huic merci pretium dixeritis, indicate. Numquid enim Bartholomæe, etiam tu tibi illam comparaſti? Ego vero illam, pelle mihi tota, per lacerati, laniatique corporis artus abſtracta & ſi mille adhuc mihi corpora ſuperſint, mille corporum exuuias tales impiger impendam. Alius ego lentis, inquit, ignibus amburi; ego candentibus prunis torreri; ego in ahena ſartagine cupij, aſſari; dum de pretio quiſque paciſceremur. Alij prompti, quicquid poſceretur, exoluere: hic caput, & ceruices præbuit; hic ferro cædendos poplites dedit; iſte, cum linguam mercator dentesq; exegiſſet, etiam iugulũ impendit: ille hianti vulnere per patulum pectus animam efflauit: Alius præcipitio eliſus crepuit, alius laqueo peremptus, viam inijs etiam anguſtijs, inuenit; alius in crucem ijt; alius in æquor, & vndas deſilijt: alij alia clade vitam animamque profudere, & venali ſanguine cœlum emere Et requiritis vos, quid etiam nunc ſentiamus? Noſtrum adhuc neminem pœnituit, emiſſe. *P. Bidermanus Delic. l. 3. num. 12.*

# ITINERA PEREGRINATIONES.

## *Iter per loca niuoſa, & aſpera.*

VEntum erat ad iter perpetuis obſitum niuibus, quas frigoris vis gelu adſtrinxerat: locorumq;

ſqualor,

ſqualor, & ſolitudines inuiç[?]fatigatum militem terrebant humanarum rerum terminos ſe videre credentem. Omnia vaſta; atque ſine vllo humani cultus veſtigio attoniti intuebantur: & antequam lux quoq; & cælum ipſos deficerent, reuerti iubebant. Rex caſtigare territos ſuperſedit. cæterùm ipſe equo deſiluit, pedeſque per niuem, & concretam glaciem, ingredi cœpit. Erubuerunt non ſequi primum amici, deinde copiarum duces, ad vltimum milites: primuſque Rex dolabra glaciem perfringens iter ſibi fecit. Exemplum regis cæteri imitati ſunt. Tandem propemodum inuias ſiluas emenſi, humani cultus rara veſtigia, & paſſim errantes pecorum greges reperere. *Q. Curtius lib. 5.*

## *Iter periculoſiſſimum.*

SEd præter inuias rupes, ac prærupta ſaxa veſtigium ſubinde fallentia, nix cumulata vento ingredientes fatigabat: quippe velut in foueas delati hauriebantur, & cum à commilitonibus leuarentur, trahebant magis adiuuantes quam ſequebantur. Nox quoque, & ignota regio, ac dux incertum an ſatis fidus, multiplicabant metum. Ipſe cum armigeris, & ala, quam Agema appellant, ardua ſemita, ſed longius à ſtationibus hoſtium remota, multa cum vexatione proceſſit. Cæterum quà ſe iugum montiū paulatim ad planiora demittit, ingens vorago concurſu cauata torrentium iter ruperat. ab hac arborum rami alius alio implicati, & coeuntes vt perpetuam obiecerant ſepem. Deſperatio igitur ingens, adeo vt vix lacrymis abſtinerent. inceſſerat: præcipuè obſcuritas terrori erat. *Q. Curtius lib. 5.*

Cæterum poſt labores immenſos euictis his littorum *Syrtibus*: cum expectatione meliorum ſuam quiſque patientiam falleremus in viæ mala, longè deteriora, tandem induimur. Stabant innumerabiles inter ipſa maris æſtuaria ſcopuli, ſic vt dexterà quidē Oceanus, ſiniſtrà verò montes inſurgerent, alpeſque propter immanem altitudinem prorſus imperuiæ. Solum igitur, & vnicum reſtabat iter per cautes quaſdam in medio conſtitutas. Sed hæ quidem, &

 ipſæ

ipſæ multùm arduæ, deruptæ, comciſæque: ſic vt naturæ quendam luſum crederes: niſi ſeriæ,tragicæque moleſtiæ tandem enaſcerentur. apparebatque grandem quampiam, & vnam infinitæ latitudinis rupem, in quam plurimas ſciſſam columnas abire; rudes, & infectas,ac ſpatijs inter ſe perquam inæquabilibus diſiunctas. Præbebant iſtæ ( procul intuentibus) ſpeciem quandam editiſſimarum turrium, aut cuiuſmodi Cairus Aegyptia pyramidas, atque cippos erigit latiſſimo campo ſurgentes: immò qualis Peneum ad amnem, in Theſſalis Tempe, dextram quidem ad oram Olympus mons, & Iouis ara ſiniſtra verò ſupra Boebeidem paludem, Oſſa mons alter porrigitur, innumerabilibus conciſus ſcopulis, & tanquam naturæ ſerra fiſſus; quorum iuga verticeſque diſparibus interuallis inter ſe diſſident. Tales erant, nec aliæ, cautes illæ, per quas ſolas tunc via cæteris circumquaque mari ( ſicut dixi ) vel Alpium natura clauſis. *P. Biſſelius Argon. l. 5. num. 11.*

## *Peregrinatio.*

QVid per ſe prodeſſe peregrinatio cuiquam potuit, non cupiditates refrænauit, non iras repreſſit, non indomitos amoris impetus fregit, nulla denique animo mala eduxit, non iudicium dedit, non excuſſit errorem, ſed vt puerum ignota mirantem, ad breue tempus rerum aliqua nouitate detinuit: cæterum incoſtantiam mentis, quæ maximè ægra eſt, laceſſit; mobiliorem leuioremque reddidit ipſa iactatio. Itaque qui petierant cupidiſſimè loca, cupidius deſerunt, & auium modo tranſuolant, citiuſque quam venerant, abeunt. Quandiu quidem neſcieris, quid fugiendum, quid petendum, quid neceſſarium, quid ſuperuacuum, quid iuſtum, quid honeſtum ſit, non erit hoc peregrinari, ſed errare. Nullam tibi opem feret iſte diſcurſus: peregrinaris enim cum affectibus tuis, & mala te tua ſequuntur. Quid ergò animum tot locis fractum, & extortum credis locorum mutatione poſſe ſanari? maius eſt iſtud malum, quam vt geſtatione curetur. nullum enim mihi crede iter eſt, quod te extra cupiditates,

extra

extra iras, extra metus ſiſtat: aut ſi quod eſſet agmi-mine facto, gens illuc humana pergeret. Tamdiu iſta vrgebunt mala macerabuntque per terras, ac maria vagum quamdiu maiorum geſtaris cauſas.

*Seneca epiſt. 105.*

# CONSVETVDO, EXERCITATIO, IMITATIO.

Videtis quam planè, quam dilucidè exercitatio-ni non modò tribuat adeptionem doctrinarum ſed etiam earum progreſſionem, & incrementa concedat. Quid in arte nobiliſſima militari? ficto certamine ligneis glad js exercitatos milites in otio fuiſſe legimus à Scipione. Quò noſtra ætate ſtudia digladiandi ſpectant, vbi futuri aliquando milites diſcunt retuſis armis dimicare? quo ludrica compoſitis vtrimque peditum turmis certamina? quò caſtellorum è ligno ſimulatorum oppugnationes, & defenſiones? quò curſus, & agitationes equorum? quò præliorum equeſtrium ſimulacra luſorijs haſtis inſtituta? quò nauales in lacubus, & ſtagnis ad verarum ſimilitudinem pugnæ? quò denique ferarum immanium venatio; telorum iaculorumque manu ſagittarum arcu, plumbearum grandium ſclopo, ad ſignum deſtinatum iactus, & exploſio?

*P. Nigronius orat. 8.*

## *Imitatio.*

Quid enim in hac rerum vniuerſitate pulcherrima vel efficitur ſine imitatione, vel perficitur? Deus ipſe præpotens rerum omnium mundum hunc ampliſſimum atque ornatiſſimum, tot rerum generibus diſtinctum, tot luminibus illuſtrem, tanta varietate depictum, fabricatus eſt ad eius imitationem, quæ intra ſuos diuinæ mentis theſauros

ſauros archetypum continebat. Cauſæ naturales eiusdem Dei ſingulis in rebus generandis adminiſtræ, quas vno Naturæ nomine ſignamus, in ijs procreandis ideas imitantur, quas in vnoquoque genere maximus, ac ſapientiſſimus Architectus, tanquam exemplaria rerum ſingularum effinxit Vnde multarum artium inuentio, niſi ex imitatione rerum naturalium? Doctrinarum item omnium adeptio, quæ ſimiliores ſunt arti, quam ſcientiæ, diſciplinaq; puerilis vniuerſa, quid eſt aliud, niſi quædam imitatio? Pueruli quæcunque diſcimus, ſiue loqui, ſiue legere, ſiue ſcribere, ſiue canere, ſiue pingere, ſiue quid aliud omnia diſcimus imitando. Ab imitandi ſtudio pariter imitationis delectatio. Cur nos epicturæ ad viuum alicuius effigem, aut prælium, aut incendium aut maris tempeſtatem referentes tantopere delectant; tametſi mortifera vulnera, plagas ſanguine manantes, vulcera fluentia tabo, trucidata cadauera, pueros excarnificatos, cædes atrociſſimas Regum, ſenes viuos flammis exuſtos, illiſas ſcopulis naues obrutos fluctibus natantes, funeſtiſſimosque alios, ac miſerrimos euentus in tabulis exhibent: quos nec ſine nauſea atque horrore, nec ſine lacrymis, ac trepidatione poſſemus oculis intueri?
*P. Nigronius orat.* 15.

# ARIOLI, SIVE ARS PRÆDICENDI.

Finge tamen in eo non errari; deprehendas vtiq; ſtellas quo ſitu quo vigore fuerint, cum illi in quos inquiris, naſcerentur, At vnde tantum ſyderibus in corpora noſtra; imò mentes imperium? Ex ijs ſcilicet expectabo felicitatem, ex ijs vitæ genus, & mortis arbitrium? Num ergo qui prælium ſubeunt, ſimulque extinguuntur, omnes ſub eodem cæli ordine erant nati? Num ſi nauis peritura eſt, nullos rectores accipiet, niſi quos naſcentes aſtra naufra-

gio damnauerint? Imò ſub ſydere omni producti, coeunt in aciem, nauigium onerat, & diſpares ortus vna morte coniunguntur: rurſusque non quotquot eodem nexu aſtroru n lucem aſpiciunt, vno fato aut viuunt, aut pereunt. Regem hic vides. An omnibus illius æqualibus putas Regnum cōtigiſſe: vel aliquas ſaltem opes, quæ indices eſſent beatæ, & opulentæ collationis aſtrorum? imò an omnes ſupereſſe ad hunc diem? Ecce Cleobulum; ecce te. An qui cum illo nati ſunt, cum illo quoque ſapiunt, Regibuſque ſunt accepti; aut qui tecum omnes (ne quid grauius dicam) Matematici ſunt? Quid autem cum in prædonem quis incidit? fatale erat, inquis, vt nunc prædo obtruncaret. Num ergo eadem aſtra, quæ viatorem, dum naſceretur, ferro prædonis mancipabant, ipſi quoque prædoni diù fortaſſe antea nato, mentem vimque dederunt, vt aliquando hunc vellet, & poſſet occidere? certè enim nō minùs dicitis ex aſtris fieri, vt hic interficiat, quam vt iſte mactetur. Cum quis verò ædificij ruina obruitur; an quia erat in aſtris, vt eum ſua domus ſepeliret, afflictus eſt murus? Imò mehercule quia afflictus eſt murus, hunc ſubiectum moles oppreſſit. Eadem de dignitatibus ratio, ad quas per ſuffragia aſcenditur. An enim ſydera quæ alicui naſcenti adfuerunt & (vt vultis) promiſerunt dignitatem, iam potuerunt imperaſſe. qui ſub ijs nati non ſunt, & ex quorum tamen ſuffragijs deſtinatæ dignitatis conſtat effectus?

*Barclaius Argen. lib.* 2.

Quis eſt qui futurorum ſcientiam ſibi vendicet? nouæ oportet ſortis ſit. qui iubente Deo canat, non eodem contentus ſit vtero, quo imprudentes naſcimur: quam iam imaginem Dei præferat, qui iuſſa exhibeat Dei. Si verà ſunt iſta, quid ita non huic ſtudio ſeruit omnis ætas? Cur non ab infantia rerum naturam, deoſque quà licet viſimus? cum pateant nobis ſidera, & intereſſe numinibus liceat, quid tam inutili deſidemus facundia? aut periculoſis atteritur armis manus? an melius alio pignore, quam futuri ſcientia ingenia ſurrexerint? Qui verò in media ſe, vt prædicant, fatorum miſere pignora, natales inquirunt, & prima omnium meliorum annorum habent initia, quo ierint motu ſidera, in quas diſcurrentes

rint partes: contraue Deus ſteterit: an placidus affulſerit Sol: an plenam lucem, initia ſurgentis acceperint: an abdiderit innoctem obſcurum caput luna: Saturnus naſcentem, an ad bella Mars militem, an negotioſum in queſtus Mercurius exceperit: an blanda annuerit naſcenti Venus, an ex humili in ſublime Iupiter tulerit. Exiſtimant tot circa vnum caput tumultuantes Deos. futura nunciant. pleroſque dixere victuros, & nihil metuentes oppreſſit dies: alijs dedere finem propinquum, at illi ſuperfuere. Egentes inutilis animæ felices naſcentibus annos ſpoponderunt: at fortuna in omnem properauit iniuriam: incertæ enim ſortis viuimus: vnicuique iſta pro ingenio finguntur, non ex ſcientiæ vi.
*Seneca lib. Suaſor. Suaſ. 4.*

## *Singaræ mulierculæ vagæ, & coniectrices.*

SIngaras latinè dici poſſe aliter Saganas iſtas Ægyptias incerto lare mulierculas, non tam vaticinijs, quam furacibus manibus queſtuoſas, vt equidem reor. à Sangario nobiliſſimo quondam oppido Meſopotamiæ: quod ad Euphratem adſitum, & latrocinijs infeſtum, Antonino Cæſare deletum à Romanis legionibus fuiſſe traditur. Singario diruto caput gentis exciſum, ſenatus extinctus, primores ciuium ſublati, poſtremæ plebeculæ reliquijs in ſemen, ac nomen generis reſeruatis. Eiecti proinde natali ſolo, proximos fines, Syriam, Palæſtinā, Ægyptumque diuerſi tenuerunt errones, ac vagi, nulla certa ſede, nullo cū cæteris hominibus ſtabili cōmercio: rerum: non communione ſermonis, non cultu legum, ſacrorum ſocietate, nulla neq; verecundia neq; fide: inmanu recentiſſimum furtum, in lucro mendacium impudentiſſimum, eruditio gentis ad ſapientiam. ſummis inſtitutum, idem quod vatis, cōfidentia par, ſimilis audacia, germana fraus: gemella calliditas: incertæ degunt, & vagæ feruntur quolibet, vt dicebam. Vbi nox oppreſſit, hic ſarcinulis, & infantibus depoſitis caſtra figunt: ſicubi patula quercus in ſoli-

tudine relicta, vel deuia ſpelunca nocturnę quieti præbuit opportunum diuerſorium, & latrocinio latebras hoſpitales. Ex hoc igitur hominum genere Singara me puero vagabatur, muliercula loquacitate nobilis, ac procax, vel ad ſubitum, & extemporale carmen ingenio proiecta. nihil eius ingenio promptius toto latio ferebatur futuræ ſortis carmina diuenditans, Romæ vicatim cruſcula radebat ex obuijs vaticinij mercedem: altera manu volam prætereuntium explicabat, in qua præſentionum veſtigia notaret: alteram furto flagrantem in marſupium inſerebat. *P. Stephonius Proſa* 11.

# FAMA.

NAtura famę omnibus nota eſt. Veſtrum eſt.
*Fama malum, quo non aliud velocius vllum.*
cur fama malum? quia velox? quia index? an quia plurimum mendax? quæ ne tunc quidem quum aliquid veri affert ſine mendacij vitio eſt detrahens, adjiciens demutans de veritate. Quid? quod ea illi conditio eſt, vt non niſi quum mentitur, perſeueret, & tamdiu viuit, quamdiu non probat. ſiquidem vbi probauit, ceſſat eſſe, & quaſi officio nunciandi functa, rem tradit: exinde res tenetur, res nominatur. Nec quiſquam dicit: hoc Romæ aiunt factum, aut fama eſt illum prouinciam ſortitum, ſed ſortitus eſt ille prouinciam, & hoc factum eſt Romæ. fama nomen incerti, locum non habet, vbi certum eſt. An verò famæ credat niſi inconſideratus? quia ſapiens non credit incerto. Omnium eſt æſtimare, quātacunque illa ambitione diffuſa ſit, quantacunque afferuatione conſtructa, quod ab vno aliquando principe exorta ſit: neceſſe eſt exinde in traduces linguarum, & aurium ſerpat: & ita modici ſeminis vitium cætera rumoris obſcura: vt nemo recogitet num primum illud os mendacium ſeminauerit, quod ſæpe fit aut ingenio æmulationis, aut arbitrio ſuſpicionis, aut non noua ſed ingenita quibuſdam mentiendi voluptate.
*Tertullianus apol. aduer. gen. c.* 8.

Fama poſt hæc, ſed bona, cælo delapſa, cælo genita, non mala illa terræ filia, quæ principis Poetarū ſtylo deſcripta, non ſuis ipſa magis quotidie ſuſurris quam elegantiſſimo illo carmine ſeme inclaruit. Noſtram hanc cernite magnitudinis non portentoſæ neque enim excedentibus mendacijs bona fama concilianda eſt; oculatis alis pluma aurea; facies venuſta, tuba ex argento, cui hieroglyphica inſculpſit è re nota. Primo ardentem aram cuius baſi media vigil oculus aperitur, media ipſa inter palmam oleamque. ad hæc draco cum Delphino colligatus; tum Aquila metæ inſidens; poſtea diues illud Amaltheæ cornu postremò regia corona.

*P. Bombinus in Veſt. Coll. Rom part. 4.*

# TRANSFORMATIO, HOMINIS IN LIMACEM.

O Prodigioſam, grauiſſimæque noxæ parem in hortorum vaſtatores pœnam! contacta corpora in turpes beſtiolas repente decreſcunt: vtque maneant in recenti forma veteris culpæ indices notæ. Limaci manus pedeſque recedunt, quibus, dum licuit, per inertiam vti noluit: oculi occuluntur, quos in ſomnum occluſerat, cùm fuerat excubandum: ad prætentandum cæcum iter, & bacilli, & oculorum vicaria quadrigemina cornicula protenduntur, & ipſa ignauiſſima, quippe quæ leuiſſimum ad incurſum reſilium: horum ſumma pars nigello puncto, velut oculorum ſimulacro, ac rudimento illuditur; totum tergus infuſcatur, vt ruſtici hominis id fuiſſe intelligas: eadem remanet pigritia in lentiſſimo reptatu, totumque corpus tanquam ipſo in otio laborans frigidum lentorem, hoc eſt ignauiæ ſuccum exudat, ac viam ſordidè ſignat, ne quis turpe veſtigium perſequatur: ipſa duriſſimi capitis penetralis petuicatia dureſcit in oſſiculum, ſeu lapillum cum ad multa, tum præcipue ad alieni obſtinationem ingenij

genlj emolliendam medicatum. Vnum in tanta membrorum mutatione Limacis nomen appoſitè retinet, qui limoſam inertemque indolem non mutauit.
*P. Ferrarius in flora lib. 1 c. 4.*

# MORS.

O Ignaros malorum ſuorum, quibus non mors vt optimum inuentum naturæ laudatur: quæ ſiue felicitatem includit, ſiue calamitatem repellit, ſiue ſatietatem aut laſſitudinem ſenis terminat, ſiue iuuenile æuum, dum meliora ſperantur, in flore deducit, ſiue pueritiam, ante duriores gradus reuocat. omnibus finis multis remedium, quibuſdam votum, de nullis melius merita, quam de his ad quos venit antequam inuocaretur. Hæc ſeruitutem inuito domino remittit, Hæc captiuorum catenas leuat: hæc è carcere educit, quos exire imperium impotens vetuerat. Hæc exulibus in patriam ſemper animum oculoſque tendentibus, oſtendit, nihil intereſſe inter quos quiſque iaceat. Hæc vbi res fortuna male diuiſit & æquo iure genitos alium alij donauit, exæquat omnia. Hæc eſt quæ nihil quicquam alieno fecit arbitrio. Hæc eſt in qua nemo humilitatem ſuam ſenſit. Hæc eſt, quę nulli paruit. Hæc eſt, Martia, quam pater tuus concupiuit. Hæc eſt inquam, quæ efficit, vt naſci non ſit ſupplicium, quæ efficit, vt non concidam aduerſus minas caſuum, vt ſeruare animum ſaluum, ac potentem ſui poſſim.
*Seneca lib. de Conſol. ad Mar. c. 20.*

## Mors piè obita.

INterea Regina ad ſe redijt, reſpirauit interruptis, ac morientibus vocibus, cum filio de neceſſarijs rebus collocuta eſt, ac ſubitò ſe ad Deum conuertens oblita res humanas, cum ſentiret illud tempus aduenisse, quò tempore Deo reddendus eſſet animus, à quo eum accepiſſet, defixit oculos in imaginē Chriſti ſuffixi Cruci, Sanctæ Mariæ Virginis opem, & auxilium

xilium implorauit, quam ſanctiſſimè coluerat in omni vita: quam in morte nuper viderat præſentem. Maria, inquit, mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu me ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe. pronunciauit Symbolum Apoſtolorum, vt fidem ſuam, quam maximè manifeſtam teſtatamque relinqueret, recitauit: tametſi iam eam ſpiritus deficiebat, recitauit tamen, vt potuit, ſolemnes precationes Eccleſiæ, animumque ſuum à corporis ergaſtulo fugientem, auctori, & creatori ſuo commendauit. Obſtupeſcebant magis magiſque ſenſus, hebeſcebat totum corpus, debilitabatur vox, intercludebatur anima, ægrius anhelabat, cum beatiſſimus ille animus ſolutis vinculis emergens è tenebris relinquens concretum & mortale corpus, nactus liberum cælum atque lucem, in illam ſempiternam domum triumphans euolauit.

*P. Perpinianus orat. 3. de S. Eliſab.*

Poſtremò exequiarum occaſione, qua Matri anniuerſarias perſoluerat, noua inceſſit animum cupido (ſi liceret) & ſuas celebrandi: reque communicata cum Ioanne Regula è Hieronymiana familia, qui eius conſcientiam moderabatur: cum is inſolitum quidem illud, & inauditum, pium tamen, ac ſalutare dixiſſet: apparari funus ſibi quamprimum iuſſit. Ergo excitatur in templo tumuli moles, funalibus illuminatur: aſſeri circumſtant famuli, mortale ſacrum mæſto monachorum cantu peragitur. Ipſe funeri ſuperſtes ſuo, ſpectabat in illo imaginario funere veras ſuorum lacrymas: audiebat exequiale carmen placidam ſibi requietem beatas inter ſedes implorantium: eademque ipſe ſibi ſuffragia pſallentibus immiſtus expoſcebat. Donec ſacrificanti propior factus eique tradens quam geſtabat accenſam facem, ſublatis in cælum oculis: Ego te inquit, vitæ ac mortis Arbiter oro quæſoque vt quemadmodum oblatum hunc à me cereum ſacerdos capit, ſic commendatam in manus tuas hanc animam tu quandocunque libuerit tibi in ſinum complexuſque tuos benignè ſuſcipias. Tunc vt erat pulla fluxaque opertus veſte humi procubuit: renouatiſque omnium qui aderant lacrymis, quaſi depoſitus ſuprema lamentatione comploratus eſt. Atque hoc videlicet rudimento Carolus vicinæ iam morti proludebat; namque altero ab exequijs

die

die febri correptus, eaque paulatim exedente conſumptus, Toletano Antiſtite procurante, quæ Chriſtiano ritu luctanti animæ ſuppeditantur adiumenta: religioſiſque qui frequentes è cœnobio circumſtabant, abeunti hoſpiti expeditum iter in cœtus piorum comprecātibus: nocte ante feſtam lucem Euangeliſtæ Matthæi annorum octo, & quinquaginta, ex quibus duos ipſe vixerat, ingenti ſanè ſenſu pietatis, ac religionis exceſſit.

*P. Famianus dec. 1. lib. 1.*

## *Mortis neceſſitas.*

MOrimur omnes, etiam Nobiles, etiam Principes, etiam Reges; Leones catulis, Elephanti formicis, Aquilæ culicibus aggregantur Mors capta eſt auribus, nullum audit: capta eſt oculis, neminem agnoſcit: armata grandi falce omnes demetit: triremes æquat liburnis, turres cauernis, purpuras centonibus; thiaras petaſis, ſceptra ligonibus. Mori commune hominis officium eſt, & ſupplicium, lata, & pronunciata in eum mortis ſententia ab eo Iudice, cui refragari nemo poteſt. fac te eſſe omnium virtutum comitatu viſendum; dic te eſſe doctrina, & eruditione mirabilem; te nobilitate Cæſares, te virtute, & ſanctitate vitæ Apoſtoli, te ſcientia philoſophi ſuperarunt. Aut igitur hominis naturam exue, aut te cum illis aliquando moriturum eſſe pronuncia. *Ex Pal. Eloq exerc. 2. lect. 6. pun. 6.*

# MORS VIOLENTA.

## *Cædes inopinata.*

PRoductus ad populum à magiſtratibus præfectus Romanus, cum Conſulis ea de re ius, ac poteſtatem eſſe, non ſuam, & pleraque eadem, quæ pridie prius dixiſſet: primò ſenſim, ac plures reddere claues, dein iam vna voce id omnes iuberent. cun-

ctantique

ſtantique, ac differenti ferociter minitarentur, ne viderentur vltra vim vltimam dilaturi: tum præfectus toga ſignum, vt conuenerat, dedit, militeſque intenti dudum, ac parati, alij supernè in diuerſam concionem clamore ſublato decurrunt, alij ad exitus theatri conferti obſiſtunt. Cæduntur Ænnenſes cauea incluſi: coaceruanturque non cæde ſolum, ſed etiam fuga, cum alij ſuper aliorum capita ruerent, atque integri ſaucijs, viui mortuis incidentes cumularentur. inde paſſim diſcurritur, & vrbis captæ modo, fugaque, & cædes omnia tenet, nihilo remiſſiore militum ira, quod inermem turbam cædebant, quam ſi periculum par, & ardor certaminis eos irritaret. Ita Ænna, aut malo, aut neceſſario facinore retenta. *T. Liuius dec. 3. lib. 4.*

## *Mors ex incendio.*

IN feſtinatione dum puer faculam incautè verſat, raptimque modò hac, modò illac inclinat, proſilit ſcintilla; quæ vt in herum propter adſtantem incidit, reperto in veſte ſtupea alimento, in haud dubiam flamam violenta prorupit. Ille manu, totoque corpore pugnante, & excuſſa, quam habebat, teſſera, ad flammam reſtinguendam, omnia arma conuertere, pedemque captum ſtudet incendio liberare. Sed peſtis contumacior, dicto citius, manum ipſam auxilio ſubeuntem, pedemque alterum, corpus totum, furenti contagio inuoluit. Tum enimuerò vlulare infelix, & veſtem, quæ corpori tenax adhæſerat, nequicquam reuellere; alij mutato riſu queſtus, ac gemitus ciere; alij opem, & ſuppetias parare; alij aquam fontemque poſcere; omnes omnia agere, nemo proficere. Iam humi abiectus adoleſcens vlulabatur interea, & in luculento rogo, Herculem Oeteum adſtantibus referebat; cum eminus auditi mugientis clamores, mouere ſocios, vt laboranti collegæ, & ipſi auxilium portarent. Aduolant ambo, atque vt erant perſonati, ſeſe inferunt, perque turbam vi penetrant, & manibus iniectis, ſtupeam veſtem à fratre (nam duorum hic germanus erat) dirupere, ignemque laborant defendere. Quo tamen officio, dum impensè funguntur,

non

non modò cladem à ſocio non diuertunt, ſed incautè eodem vterque incendio ſe ipſi inuoluunt. Vix enim manu germanum ij contigerant, cum exſiliens flamma, alterum duorum, alterumque corripuit: & inhærens laciniæ, momento per veſtem reliquam victrix euaſit: quæ veſtis, vt tota floccis pendentibus, villiſque horrebat, pabulum igni, nutrimentumque idoneum miniſtrabat. Ea res vel inuitos coegit fratrem omittere, & de ſuo quemque periculo, vitaque dimicare. Quanquam hoc etiam ipſum ijs ſerum erat cum populante flamma ſepti, tunicam moleſtam vterque iam induiſſent. Poſtremò cum illis, & manuum cutis, & digitorum vngues vndique ambuſti defluerent; reſtabat, vt collapſi per pauimentum volutarentur, ac ibi attritu ſaltem affrictuque flammam eliderent. Verum vt quidquid attigere, confeſtim ignis liquente pice efferatus inflammauit: ipſaque iam domus, ne quà ruinam traheret, ſibi metuebat. Quo factum proinde eſt, vt in tot ſpectatorum oculis, tres nobiliſſimi iuuenes, priuſquam ſubueniri humanitus poſſet, lentis ignibus quaſi per ludum in ſcena, toſti aſſatique conflagrarint.

*P. Bidermanus Acroam. l. 3. acro. 7. à pun. 34.*

## *Mors illata veneno.*

Rapti ſtatim in carcerem; vt veneficij conuictos idoneo ſupplicio cicuta conficeret. Illic triſtis & vltima libertate exercuere ius, quod ita pereuntibus leges indulſerant. Diras igitur dicere Regi; vltorem ciere Lycogenem; venerari Deos manes: et hoſtes ad meliora ſeruati hunc exitum ſibi inuideant. Inter hæc ananc tum poculum aderat; quod prior Olodemus de carnificis manu rapiens, Age inquit, propinemus Meleandro. Nos quidem eximus miſerias, peius hunc noſtro fato oppreſſuri, quam viuentes voluiſſe exiſtimat. His dictis non cunctanter totum hauſit. Denuo impletum cum Eriſtheni porrigeretur, ſupercilium ille duxit, & circumſpiciens, ecquis ait, amicos meos monebit Meleandro quid debeant? Epoto veneno, ambo à carnifice monentur, vt quò facilius virus conciperetur venis minorique cruciatu

occumbe-

occumberent, quantum carceris ſpatia ſinebant, ambulationem vrgerent; donec tibijs grauibus ſentirent, iam ab imo calorem excedere. Cum paruiſſent, frigentibus mox pedibus procumbunt in lectum. Illic veneni nebulis imitantibus ſomnum, languebant ſine ſenſu donec coxis iam exeſtimatis, tanquam ſtimulo icti, prodidere lethalem vim ipſa intrantem vitalia; nec multo poſt extincti ſunt.

*Barclaius Argen. lib. 2.*

## Mors voluntaria.

CAto non interfuit bello: poſitiſque apud Bagradam caſtris, Vticam velut altera Africæ clauſtra ſeruabat. ſed accepta partium clade, nihil cunctatus, vt ſapiente dignum erat mortem lætus acciuit; nam poſtquam filium comiteſque ab amplexu dimiſit, in nocte lecto ad lucernam Platonis libro, qui immortalitatem animæ docet, paululum quieuit. tum circa primam vigiliam ſtricto gladio reuelatum manu pectus ſemel, iterumque percuſſit. auſi poſt hoc virum medici violare fomentis. Ille paſſus, dum abſcederent, reſcidit plagas: ſequutaque vis ſanguinis moribundas manus in ipſo vulnere reliquit.

*L. Florus lib. 4. c. 2.*

Dimiſſo nuncio iam furioſius morti intenta, ſimul properabat, & hærebat, nunc inſanos fremitus auſa, nunc mollioribus ſuſpirijs laceſſens conſtantiam ſuã. Tandem haud dubia omnem deſtinatæ mortis laudem in præcipitatione eſſe, & affore ſtatim à Rege, qui conantem teneret, aperit ciſtulam, in qua breuis gladius iacebat, quem olim filio primum pueritiam ingreſſo dederat pater, & ipſa deinde ſeruauerat, die filij nuptiali Iunoni Lucinæ cum crepundijs ſacrandum: ita tulerat fatum, vt paucos ante dies, detergendæ rubigini eſſet in acumen renouatus. Nec aliud ferrum in muliebri cubiculo erat pectori aperiendo commodius. Illum verò vt ſuſtulit, ſimul coniugis quem amiſerat, filijque quem ignarum deſtituebat memor tot res tamque diuerſas vno mentis obtutu aſpiciens, funebri capulo oſculum dedit, illique loquuta aliquandiu opperientem mortem fruſtrata eſt.

eſt Donec ancilla, quæ timere cæperat ne hæc vera tragedia eſſet, extorquendo ferro erupit, ſimulque exſonuere accurentium ex Regis præcepto veſtigia Tunc anus prohibentium feruore incitata,& manibus adhuc liberis vſa mucronem tam altè viſceribus impreſſit,vt labentes ſubitò vires ſoluerent dexteram & pectore in humum porrecto ipſe capulus non multum emineret ex vulnere. tum flexa ceruice ſupremos oculos verſans ſanguinem, & animam efflauit.

*Barclaius Argen. l.4.*

Quare,vt auſpicaretur aliquando tragædiam,manu læua infantem, dextra cultrum arripit, eumque lactenti iugulo, ſic vt videri poſſet, admonet. Nolim, importunus, hic mihi flagitator inſtet: qui geſtus,& verba,& ſenſus infelicium parentum in hoc ſpectaculo deſiderare ſe dicat. Imitari me Timantem permittite; vt, quod colore narrationis nequeo, velo ſilentij repræſentem. Stat barbarus carnifex, vltroque in iugulum adacto,vagientem puerum lente trucidat,& cum ſanguine adhuc calenti,ſe aſperſiſſet,tremulum corpus è ſumma turri, in ſubiectæ piſcinæ foſſam, crudelis abijcit. Finitam hic lanienam exiſtimatis? Non equidem ego;qui vltimum adhuc actum,nihil à cætera tragædia abludentem expecto. Itanè verò? peruaſtata iam domo:liberis iugulatis, ſaxis cruore natantibus,heriſque barbarè conculcatis,poteſt aliud adhuc in familia malum expectari? Poteſt; nam vt famelici ferè, cum cætera conſumpſére, in proprios artus rabie feruntur: ſic furioſus iam cæde aliena defunctus, ferrum, nequà hebeſceret, in ſe conuertit. Cum enim ſceleris iam ſui,furoriſque veniam,ne à ſe ipſo quidem ſperaret: & dudum famulos, operaſque conglobatim accitas irruere, & ſcalas ferre,& portas moliri vectibus videret; amens,non expectato carnifice, ipſemet ſuo ſibi cultro ius dixit, & conuitijs prius,quæ rabies ſuggeſſerat,effuſis; laudataque vindicta, quam de hero eximiam ſumpſerit; ſe ſe ferro impiè, immaniterque traiecit: deque vltima turri, eandem in piſcinam, præceps ijt: liberum ſe ratus,& heri minantis, & imminentis tormenta ( de æternis parum ſollicitus ) hoc compendio effugiſſet.

*P. Bidermanus lib.2.acroam.3. num.52.*

MVNDI

# MVNDI EXCIDIVM.

IVuat vnius ſæculi fata componere in parte vltima mundi, & inter pauciſſimos geſta: tot ſæcula tot ætatum contextam ſeriem quidquid annorum eſt licet viſere, licet ſurrectura, licet ruitura regna proſpicere, & magnarum vrbium lapſus, & maris nouos curſus. Nam ſi poteſt tibi ſolatio eſſe deſiderijs tuis commune fatum, nihil conſtat loco ſtabili, & nihil quo ſtat loco, ſtabit. Omnia ſternet, abducetque ſecū vetuſtas: nec hominibus ſolum (quota enim fortuitæ potentiæ portio eſt?) ſed locis, ſed regionibus, ſed mundi partibus ludet; tot ſupprimet montes, & alibi rupes in altum nouas exprimet: maria ſorbebit, lumine auertet, & commercio gentium rupto, ſocietatem generis humani cætuſque diſſoluet. Alibi hiatibus vaſtis ſubducet vrbes, tremoribus quatiet, & ex infimo peſtilentiæ halitus mittet, & inundationibus quidquid habitatur obducet; Necabitque omne animal orbe ſubmerſo, & ignibus vaſtis torrebit, incendetque mortalia. Et cum tempus aduenerit, quo ſe mundus renouaturus extinguat, viribus iſta ſe ſuis cædent & ſidera ſideribus incurrent, & omni flagrante materia vno igne quidquid nunc ex diſpoſito lucet ardebit. *Seneca lib. de conſol. ad Mar. c. vlt.*

# EXTREMVM DEI IVDICIVM.

COncipe igitur animo ſi potes, tribunal ſummi Iudicis, & tremendam illius diei maieſtatem, quo cæli columnæ magno fragore fremituq; concuſſæ cum ipſo Angelorum horrore, & metu contremiſcent, quo ſtellæ repentino flammarum tractu decuſſæ, vt frondes arborum decident, quo luna cruentabitur, quo puriſſimæ Solis faces atra fuligine ſe induent. Quale erit hoc forum, cum poſt tumultus ſtrageſque bellorum, poſt morboſam aeris contagionem peſtilentiamque febrium ardores in mortalium cor-

pora debachatos, poſt ferrarum incurſiones, & carnificinas, poſt luctuoſam agrorum vaſtitatem, famemque rabioſam enectis paſtam cadaueribus, poſt terræmotus, poſt aquarum eluuiones, infinitaſque plagas gentium, omnia continenti ardebunt incendio, cum ipſæ æternorum fluminum venæ ſiccabuntur, & quæ nunc cælo minantur operoſiſſimæ ædificiorum molitiones, incruſtatæ marmoribus, auro, & argento micantes inter minuti pulueris, quiſquilias deflagrabunt. Quale illud ſpectaculum, cum cæleſtes tubæ ingenti fremitu perſonabunt, cum tot corpora, tot iam ſæculis caſſa, tot millia, quæ pontus hauſit, ignis abſorbuit, ferrum conſumpſit, ferarum dentes moluerunt, morbus attriuit, mors ad ſommum interemit; tam repente pertextis oſſium commiſſuris, carne veſtita, & ſpiritu animata conſurgent: Quale erit tribunal iudicantis, cum ſuperbiſſimos Reges cunæ terruerunt Infantis, quot tunc ardentium curruum millia circumſtabunt, quot famulabuntur Angeli, quanto improborum terrore præferetur illud ſignum, magnum Crucis ſignum, à conſceleratis toties deſpectum, toties irriſum, toties conculcatum? Quis inceſſus, quæ vox, qui vultus iudicis, quis pauor mentium, quis pallor corporum, quæ omnium trepidatio? Quanta illa ſcena, quam glorioſus conſeſſus futurus eſt. cum illi hominum deſpicatiſſimi, illi verberones, illi ſemaxij toto terrarum orbe, iactati, vexati, infinitis ſupplicijs conſumpti, radiatis fulgore capitibus ſedebunt de Regibus iudicaturi! Quale, & quam inſperatum iudicium, cum ad illam fulminatricem ſententiam tot Barbarorum Principum apices contriti, tot purpuræ, tot faſtus, tot amores terrarum vno agmine detrudentur ad inferos, vt eo igne in æternum ardeant, cuius hic noſter pictura eſt. ò ferales lectos prunis ardentibus contractos, ò funeſta draconum cubilia! ò inextricabiles flammarum laqueos: ò vermem conſcientiæ inexpiabilem! ò pœnas immortales! ò longam æternitatem.

*P. Cauſinus de Eloquen. l. 14. c. 14.*

Laus Deo, B. Virgini Mariæ, & S. Franciſco Xauerio Parmæ Patrono.

# INDEX

## Deſcriptionum.

A

ABſtinentia pag. 523.
Adamas pag. 296.
Adoleſcentia pag. 420.
Adoleſcens mollis, & elegans 421. V. Capillorum cultus.
Adoleſcens depravatis moribus pag. 423.
Aegrotus 428 V. Homo moribundus.
Aer pag. 90.
Aeſtas pag. 83.
Aetas aurea pag. 86.
Aetas ferrea pag. 86. 87.
Aetates humanæ vitæ pag. 419.
Aeternitas pag. 89.
Aetna ignes euomens pag. 287.
Affectus humani pag. 532.
Africa pag. 180.
Agger, & vallum pag. 591.
Agricultura pag. 630.
Agricultor ineptus pag. 631.
Alexi pharmacum, ſeu Theriaca pag. 552.
Alpes pag. 285.
V. montes altiſſimi pag. 293.
Ambra odoramentum pag. 161.
America pag. 182.
Amicitia pag. 533.
Amor pag. 582.
Amoris diuini effecta pag. 96.
Anemone. & eius diſcrimina pag. 451.
Angeli pag. 65.
Angelorum cuſtodum beneficia pag. 67.
Angliæ regnum pag. 190.
Anglorum mores pag. 481.
Animalia pag. 301.
Animalia inſecta volucria pag. 123.

Animalia

Animalia inſecta terreſtria pag. 329.
Animal, quod Pigritiam dicunt pag. 329.
Animus humanus pag. 388.
Apes pag. 123.
Aquarum eluuio pag. 164.
Aquila pag. 155.
Araneus pag. 330.
Arbores, & fructus pag. 267.
Arbor palmæ ſimilis pag. 272.
Architectura pag. 556.
Argentum pag. 299.
Argentum viuum pag. 300.
Aries, & Ouis pag. 319.
Arioli, & ars vaticinandi pag. 656.
Arma, & Armamentarium pag. 580.
Ars equitandi pag. 564.
Vide Equus.
Ars, & peritia militaris pag. 572.
Ars iaculandi pag. 566.
Ars Imperatoria in exercitu regendo pag. 576.
Ars medendi pag. 552.
Ars pingendi pag. 558.
Ars ſtatuaria pag. 562.
Ars texendi pag. 565.
Arx pag. 228.
Arx munitiſſima pag. 591.
Arx portus Genuenſis pag. 229.
Aſia pag. 180.
Aſinus pag. 321.
Aſpis pag. 326.
Aſtronomia pag. 552.
Aſtrologi V. Arioli. 656.
Athos mons pag. 286.
Atlas mons pag. 285.
Auaritia pag. 328.
Auium deſcriptio pag. 114.
Auicula Americana multi color pag. 221.
Auium volatus, & inceſſus multiplex, & varius pag 522.
Aulâ, & Aulici pag. 497.
Aures pag. 862.
Aureum ſæculum V. Aetas aurea.
Aurum pag. 298.

Auri-

Aurifodinæ pag. 299.
Autumnus pag. 81.

B.

BAbilon pag. 201.
Balſami arbor pag. 283.
Baptiſmi Sacramentum pag. 662.
Barba pag. 358.
Baſiliſcus pag. 226.
Beatitudo æterna pag. 77.
Belgium, ſeu Flandria pag. 188.
Belgarum mores pag. 476.
Bellator optimus pag. 577.
Vide Ars militaris.
Bellatori corpus conſentianeum pag. 373.
Bellum V. Pugna
Bezuar lapis V. Ouis Americana.
Bolis incendiaria vulgò Granata pag. 583.
Bombarda pag. 582.
Bombyx pag. 327.
Bos pag. 315.
Braſilia pag. 198.
Britannia, ſeu Anglia pag. 190.

C.

CÆdes inopinata pag. 663.
Cælum pag. 72.
Cæli criſtallina moles pag. 570.
Camelus pag. 308.
Campaniæ regio pag. 185.
Canis pag. 322.
Canis moloſſus pag. 322.
Canis Venaticus pag. 323.
Canis horti cuſtos pag. 324.
Canis pugna cum Elephante pag. 324.
Canibus obiectus ad lanienam pag. 651.
Cantus V. Muſica. & Vox.
Caper, & Capra pag. 321.
Capillamentum pag 355.
Capillorum cultus immodicus pag. 356.
V. Adoleſcens mollis.

Caput humanum pag. 553.
Caritas pag. 587.
Caryophyllus pag. 255.
Caryophylli arbor pag. 280.
Cataphracti equites pag. 587.
Caucaſus mons pag. 286.
Cella clandeſtina, & ſubterranea pag. 220.
Cerebrum pag. 354.
Certamen ſingulare duorum, vel plurium pag. 603.
Ceruus pag. 318.
Chamæleon pag. 309.
Charybdis, & Scylla pag. 542.
Chriſtus pag. 26.
Chriſtus puellus ſpecioſiſſimus pag. 27.
Chriſtus à Iuda venditus, & oſculo proditus p. 28.
Chriſti in horto timor. & ſudor ſanguineus pag. 30.
Chriſtus alapa percuſſus pag. 35.
Chriſtus flagellis cęſus pag. 37.
Chriſtus ſpineo ſerto coronatus pag. 43.
Chriſtus ſub Crucis pondere laborans pag. 46.
Chriſtus cruci affixus, & in ea moriens pag. 48.
Chriſto moriente quæ conſecuta ſint prodigia p. 52.
Cibus, & potus pag. 436.
Cibus ſumptus quo modo coquitur, & diffunditur pag. 446.
Cicindela noctiluca pag. 327.
Cinnamomum pag. 281.
Circinus pag. 571.
Circulatorum ludi pag. 507.
Citri arbor, & pomum pag. 273.
Citrea mala pag. 274.
Citri inſitio, ſeu inoculatio pag. 277.
Clitumnus fons pag. 168.
Clypeus pag. 581.
Collegium Romanum pag. 231.
Cometa pag. 210.
Comici hiſtriones pag. 508.
Conchæ marinæ, & murices pag. 150.
Concionator V. Orator ſacer.
Coniuratio, & proditio pag. 625.
Conſcientia pag. 401.
Conſtantia pag. 521.
Conuiuium pag. 439.

Conuiuiorum luxus pag. 448.
Conuiuium, & mons comedendi apud Iaponios & Sinas pag. 445.
Cor pag. 367.
Coralliurn pag. 342.
Corona imperialis flos. 260.
Corporis humani partes pag. 355.
Corporis humani habitudo, & qualitas varia p. 368.
Corpus extenuatum, ac penè conſumptum pag. 371.
Corporis pulchritudo pag. 380.
Corporis deformitas pag. 383.
Corporis ſtatura celſa, vel humilis pag. 386.
Corporis forma quorumdam Principum pag. 371.
Corpus Bellatori conſentaneum pag. 323.
Crepitaculum papyraceum pag. 571.
Crudelitas pag. 529.
V. Hæreticorum crudelitas
Cryſtallum pag. 397.
Culex pag. 325.
Cuniculi ad expugnationem Vrbis pag. 631.
Curſus Iudæorum Romæ pag. 501.
Curſus Equorum pag. 504.
Cythara tricorpor pag. 555.

D.

DEformitas corporis pag. 383.
Delphinus pag. 144.
Delphin cum puero ludens pag. 145.
Deus pag. 3.
Deus trinus, & vnus pag. 4.
Deus Pater, & Filius pag. 6.
Deus Filius pag. 7.
Dialectica pag. 540.
Diluuium pag. 104.
Direptio Vrbis pag. 617.
Diſciplina militaris pag. 574.
Diuitiæ, & Diuitiarum mala pag. 436.
Dolor pag. 235.
Domus pag. 339.
V. Architectura.
Domus Lauretana B. V. pag. 519.
Domus magnifica pag. 315.
Domus regia pag. 310.

Domus

Domus ampliſſima, & exornatiſſima pag. 216.
Domus aurea Neronis pag. 216.
Domus deformis, & ruinoſa pag. 234.
Draco pag. 337.
Dux. V. Bellator, Ars Imperatoria

E

Ebenus arbor pag. 388.
Ebrietas pag. 330.
Echeneis piſcis, ſeu Remora pag. 498.
Eccleſia Catholica pag. 635.
Eccleſię Sacramenta pag. 662.
Educatio optima pag. 467.
Educatio pia pag. 465.
Elephas pag. 304.
Elephantorum pugna pag. 304.
Eloquentia V. Orator. Rhetorica.
Eluuio aquarum pag. 364.
Epulæ V. Conuiuium pag. 439.
Equites cataphracti pag. 587.
Equus pag. 317.
Vide Equitandi ars pag. 564.
Equi docilitas pag. 316.
Equi inceſſu vario gradientes pag. 314.
Equus bonus, & malus pag. 315.
Equorum curſus pag. 308.
Equitandi ars. pag. 564. V. Equus
Equitum in curſu agilitas pag. 566.
Equulei tormentum pag. 648.
Euchariſtiæ Sacramentum pag. 647.
Europa pag. 281.
Exercitatio, & conſuetudo pag. 655.
Exercitus fame, vel ſiti laborans pag. 431.
Exercitus ſine diſciplina pag. 574.
Expugnatio vrbis pag. 613 & 617.

F.

Fabricæ veterum noſtratibus comparatæ p. 357.
Falarica, teli genus pag. 382.
Fama pag. 650.
Fames extrema pag. 430.
Ferrum pag. 301.

Fides diuina, & humana pag. 515.
Flandria, ſeu Belgium pag. 188.
Flores pag. 281.
Fluuij pag. 156.
Fluuiorum, & fontium vis admirabilis pag. 162.
Flumen ſe ſe alibi occultans, alicubi retegens p. 161.
Fluuij tranſitus periculoſus pag. 160.
Fluuius exundans pag. 163.
Fœminarum ſtudia, & cultus muliebris pag. 424.
Fœminarum vita miſerijs obnoxia pag. 404.
Feminarum in vita coniugali commoda, & incommoda pag. 405.
Fœmina venefica pag. 458.
Forma corporis quorumdam Principum pag. 373.
Fons è ſaxo ſcaturiens pag. 170.
Fons è ſublimi defluens pag. 171.
Fons in ſublime aquam eiaculans pag. 169.
Fons æſtum patiens pag. 169.
Fons fœdus, & limoſus pag. 171.
Formica pag. 329.
Fortitudo pag. 519.
Frigore, & gelu cruciati pag. 650.
Frumentum ſatum, & adultum V. Seges pag. 265.
Fulmen pag. 112.
Funambulus pag. 506.
Funda pag. 582.

G.

Gallia pag. 187.
Gallorum mores pag. 477.
Gallus pag. 320.
Ganges fluuius pag. 156.
Gelſiminum Hiſpanum, & Alexandrinum pag. 257.
Germania pag. 185.
Glacies arte facta per æſtatem pag. 345.
In Glacie poma ſeruata pag. 345.
Gladiatorum certamen pag. 501.
Gladius pag. 580.
Grammaticæ ars ſub allegoria nauis pag. 133.
Granadilla flos pag. 258.
Granata V. Bolis incendiaria.
Grando pag. 107.
Gratia diuina pag. 11.
Grues pag. 291.

Hæreſis

H.

HÆreſis, & Hæreticorum crudelitas pag. 638.
Herbæ,& frutices pag. 265.
Hircus Americanus,ex quo lapis Bezuar pag. 320.
Hiſpania pag. 186.
Hiſpanorum mores pag. 478.
Hiſpaniola inſula pag. 154.
Hiſtoria pag. 391.
Hiſtriones Comici pag. 305.
Homo, & eius partes pag. 345.
Homo mundus paruus pag. 351.
Hominis ſpecies ſeuera pag. 412.
Homo ægrotans pag. 448.
Homo moribundus pag. 452.
Homo tabido morbo putreſcens pag. 458.
Homo ſtatura celſa vel breui pag. 186.
Homo felix pag. 489.
Homo infelix, & miſer. pag. 495.
V. Vitæ humanæ miſeriæ pag. 403.
Homo virtute præſtans pag. 525.
Hominũ mores ex varia habitudine corporis p. 368.
Homo timore,& dolore exanimis pag. 356.
Homo armatus pag. 586.
Homo obiectus canibus ad lanienam pag. 631.
Homo incendio abſumptus pag. 336.
Homo tormentis cruciatus pag. 640.
Hominis transformatio in limacem pag. 660.
Horologium ſolare pag. 367.
Horologium rotis circumactum pag. 368.
Horti, & flores pag. 241.
Hortus herbarum ferax pag. 247.
Hortus voluptatis V. Paradiſus Voluptatis.
Hyacinthus pag. 262.
Hyacinthus indicus tuberoſus pag. 263.
Hyems pag. 584.

I.

IAculandi ars pag. 566.
Iaponia pag 150.
Ignis pag. 332.
Igneus torrens è Veſuuio. 340.

Ignem, vt perderent Aegyptiorum expeditio bellica pag. 543.
Imitationis ſtudium pag. 655.
Incendium pag. 134.
Incendium Veſuuij pag. 139.
Incendio abſumptus pag. 336.
Incendium nauium pag. 338.
Incendiaria nauis pag. 339.
Incendiaria bolis pag. 585.
Indoles bellica pag. 460.
Indoles eximia pag. 458.
Indoles, & educatio pia pag. 465.
Ingenium pag. 394.
Vide mens.
Ingenium hebes, ac plane nullum pag. 410.
Inſerendi ratio pag. 279.
Inſidiæ militares pag. 626.
Inſtitutio, & educatio pag. 461.
Inſulæ natantes pag. 152.
Inſulæ fortunatæ pag. 151.
Inſula Hiſpaniola pag. 154.
Intellectus V. mens pag. 389.
Ira, ſiue homo iratus pag. 534.
Iris pag. 108.
Italia pag. 183.
Italorum mores pag. 480.
Iter periculoſiſſimum pag. 653.
Iter per loca ruinoſa, & aſpera pag. 652.
Iudicium extremum pag. 668.
Iuſtitia pag. 518

L.

Lac pag. 438.
Lapidatio ludus puerorum militaris Romæ pag. 504.
Lauretana domus B. V. 218.
Laurus arbor pag. 282.
Lapis Bezuar V. Ouis Americana
Leo pag. 302.
Lepus pag. 319.
Liberalitas pag. 521.
Lilium pag. 250.
Lilium conuallium pag. 255.
Limax pag. 460.

Limonia mal a pag. 273 & 274.
Limon citratus pag. 276.
Limonis inſitio, ſiue inoculatio pag. 277. & 278.
Lingua pag. 364.
Linum pag. 266.
Loci amœnitas pag. 295.
Locutio, & Vox pag. 365.
Luctatores pag. 501.
Ludi publici pag. 500.
Ludi priuati pag. 509.
Ludicra armatorum pugna pag. 500.
Ludiones Chironomi, & petauriſtæ, vulgò Mattaccini pag. 512.
Ludus funambuli pag. 506.
Ludi Circulatorum pag. 507.
Ludus Pilæ pag. 509.
Ludus puerorum proijcientium lapillos ſuper aquas pag. 511.
Luna pag. 74.
Lupus pag. 817.
Luſcinia pag. 818.
Luxus in conuiuijs pag. 442.
Lychnis Bizantina, vulgò Scarlattea pag. 256.

M.

MAga V. Venefica pag. 458.
Malus medica pag. 272.
Malum medicum, ſiue Aurantium pag. 276.
Manus pag. 376.
Mare pag. 327.
Maris acceſſus, & receſſus pag. 328.
Marinæ belluæ pag. 344.
Maritima oppugnatio pag. 334.
Maria Virgo concepta pag. 58.
Mariæ natiuitas pag. 60.
Maria ab Angelo ſalutata, & Deum vtero concipiens pag. 63.
Maria Virgo lauretana pag. 65.
Maria Reginæ ſpecie pag. 65.
Margaritæ pag. 341.
Marſias fluuius pag. 348.
Martyrum ſupplicia pag. 652.
Mauſoleum pag. 230.

Medicina, Ars medendi pag. 558.
Mediolanum pag. 207.
Melancholici hominis conſtitutio pag. 368.
Memoria pag. 391.
Mens, ſiue ratio pag. 389.
V. Ingenium.
Militaris ars pag. 572. & 574.
Miles glorioſus pag. 580.
Miles armatus pag. 586.
Miſericordia in egenos pag. 522.
Modeſtia, & verecundia pag. 522.
Monoceros pag. 305.
Monomachia, ſiue ſingulare certamen pag. 603.
Montes pag. 285.
Mons Oliueti pag. 287.
Montes qui flammas eiectant pag. 291.
Montes altiſſimi pag. 290.
Vide Alpes.
Morbi pag. 447. & 454.
Morbus comitialis pag. 453.
Mores optimi pag. 466.
Mores partim boni, partim mali pag. 468.
Mores peſſimi pag. 470. & 47.
Mores Principis laudatiſſimi pag. 471.
Mores diuerſi ex diuerſa habitudine corporis p. 368.
Mores nationum pag. 474.
Mores Anglorum pag. 481.
Belgarum pag. 476.
Gallorum pag. 477.
Germanorum pag. 474.
Hiſpanorum pag. 478.
Italorum pag. 480.
Perſarum pag. 482.
Polonorum pag. 486.
Turcarum pag. 482.
Moribundus pag. 451.
Mors pag. 661.
Mortis neceſſitas pag. 663.
Mors violenta pag. 663.
Mors ex incendio pag. 664.
Mors illata veneno pag. 665.
Mors voluntaria pag. 666.
Mors piè obita pag. 661.

Muliebris

Muliebris cultûs nimius pag. 424.
Mulier venefica pag. 458.
Mulierculæ vagæ, & coniectrices. 658.
Mundus pag. 69.
Mundi rotunditas pag. 72.
Mundi excidium pag. 668.
Munitiones bellicæ pag. 587.
Munitio in aquis excitata pag. 589.
Muſcipula pag. 573.
Muſica pag. 551. V. Cantus, Vox.

N.

NArciſus pag. 263.
Narciſus totus flauus polyanthes pag. 264.
Nares, & Naſus pag. 163.
Nauis Prætoria ornatiſſima pag. 131.
Nauis vaſtæ magnitudinis vulgò Galeone pag. 131.
Nauis quinqueremis longior vulgò Galeazza p. 132.
Nauis Braſilica ex vna trabe pag. 133.
Nauis allegorica Grammaticorum pag. 133.
Nauale prælium pag. 136.
Naues incendio abſumptæ pag. 338.
Nauis incendiaria pag. 339.
Naufragium V. Tempeſtas.
Nautilus piſcis pag. 150.
Neapolis pag. 205.
Nebula pag. 93.
Nilus, & eius Cataractæ pag. 157.
Nix pag. 107.
Nubes pag. 92.
Nux myriſtica pag. 289.

O.

OBſidio, & oppugnatio pag. 609.
Oculi pag. 454.
Oppugnatio vrbis, & expugnatio pag. 614.
Oppugnatio irrita pag. 614.
Oppugnatio maritima pag 134.
Opus cælatum è marmore pag. 562.
Oratio, & ſermo pag. 365.
Orator optimus pag. 545.
Oratoris ſacri eloquentia pag. 648.

Oratoris

Oratoris geſtus, & pronunciatio pag. 349.
Orator plauſum ineptè captans pag. 349.
Organum pneumaticum pag. 355.
Oris deſcriptio pag. 359
Ouis, & Aries pag. 319.
Ouis Americana pag. 306.

P.

Padus fluuius pag. 159.
Pæonia pag. 256.
Palma pag. 269.
Palma indica mirabilis pag. 270.
Panis pag. 317.
Pantheon templum Romæ pag. 234.
Panthera pag. 307.
Papia, ſiue Ticinum pag. 206.
Papilio pag. 125.
Papilio diſcolor pag. 126.
Paradiſus in modum loci amœniſſimi pag. 76.
Paradiſus ſub allegoria portus maritimi pag. 77.
Paradiſi beatitudo æterna pag. 77.
Paradiſus terreſtris pag. 78.
Paraſiti ſemper famelici pag. 456.
Pauo pag. 117.
Paupertas pag. 488.
Peſtilentia pag. 454.
Petauriſtę vulgò mattaccini pag. 518.
Pettardum, vel Pylocaſtrum pag. 584.
Philomela V. luſcinia pag. 118.
Philoſophia moralis pag. 537.
Philoſophia naturalis pag. 540.
Phœnix pag. 114.
Pictura V. Ars pingendi pag. 558.
Pigritia bellua Americana pag. 325.
Piperis arbor pag. 281.
Piſces pag. 144.
Piſcis immanis nauim violenter quaſſans pag. 147.
Placenta herbaria Genuenſis pag. 438.
Pluuia pag. 106.
Podagræ morbus pag. 452.
Poeſis, & Poeticus furor pag. 550.
Pœnitentiæ Sacramentum pag. 643.
Pœnæ pietatis cauſa ſuſceptæ pag. 645.
Politica Virginis habitus pag. 318.

Polonorum

Polonorum mores pag. 439.
Polypus piſcis pag. 149.
Pompæ, & ſpectacula publica pag. 509.
Pompilus piſcis, ſeu Nautilus pag. 159.
Pons flumini impoſitus. 166.
Pontifex Max. pag. 498.
Preces ſacræ pag. 633.
Princeps Optimus pag. 473. & 494.
Prodigia Chriſto moriente obſeruata pag. 13.
Prudentia pag. 548.
Pſittacus pag. 146.
Pueritia pag. 419.
Puer ingenio ſtolido pag. 420.
Puerilis indoles pag. 459.
Pugna duorum exercituum pag. 593.
Catilinæ deſcripta à Saluſtio pag. 594.
Cannenſis à T. Liuio pag. 595.
Alexandri cum Dario deſcripta à Q. Curtio 596.
Cæſaris cum filijs Pompeij, à L. Floro pag. 597.
Theodoſij contra rebelles à Latino Pacato. 598.
Ioannis Auſtriaci in Belgio à F. Famiano p. 599.
Luſitanorum in Indijs à P. Maffeio pag. 600.
Heluetiorum ad Nouariam à Iouio pag. 601.
Pugna cum Elephante pag. 597.
Pugna vnius contra multos pag. 598.
Pugna ludrica armatorum pag. 598.
Pugna pugnis pugnata. Ludus Senenſis pag. 595.
Pulchritudo pag. 380.
Pulex pag. 311.

Q.

Quadrupes pag. 391.
Quatuor anni tempeſtates pag. 81.
Quatuor terræ partes pag. 380.

R.

Ranunculus flos pag. 252.
Ratio, ideſt vis animæ, quæ docet rectum pag. 396. V. Mens.
Rebellio, & ſeditio pag. 623.
Regio amœna, & fertilis pag. 19.
Regio deſerta, & horrida pag. 19.
Regio torrida, & arenoſa pag. 18.

Rex

Rex pag. 493.
Religioſa vita pag. 412.
Remora V. Echeneis pag. 148.
Rhetorica, ſeu Eloquentia pag. 541.
Rhetorices forma pag. 544.
Rhinoceros pag. 307.
Rhodus ciuitas pag. 206.
Roma pag. 197.
Roma vetus pag. 199.
Roma heroinæ ſpeciæ pag. 199.
Romæ veteris reliquiæ pag. 202.
Ros pag. 106.
Roſa pag. 248.
Roſa Sinenſis pag. 250.
Rupes aſpera, & inuia pag. 293.
Rupes mobilis ad pompam pag. 295.
Ruſtica vita pag. 417.

S.

SAcerdos Chriſtianus pag. 633.
Sacerdos Hebræorum pag. 632.
Sacræ preces, & ſupplicationes pag. 638.
Sacramentum Baptiſmi pag. 642.
Sacramentum Pœnitentiæ pag. 642.
Sacramentum Euchariſtiæ pag. 643.
Saccharum pag. 459.
Sagitta pag. 581.
Saltatio pag. 511.
Sapientia pag. 536.
Sapientia diuina pag. 8.
Sæculum aureum V. Aetas pag. 86.
Scorpio pag. 328.
Scylla, & Carybdis pag. 143.
Seditio, & rebellio pag. 625.
Seges pag. 265. V. Agricultura.
Senex pag. 425.
Serpentes pag. 326.
Seruitus, & libertas pag. 484.
Seruus ſubdolus pag. 486.
Sicilia inſula pag. 189.
Silua pag. 284.
Simia pag. 317.
Sinarum regio pag. 192.

Sinarum habitus pag. 429.
Sinarum ritus in queſtionibus, & tormentis p. 649.
Singaræ mulierculæ vagæ, & coniectrices pag. 658.
Siti deficiens pag. 435.
Smaragdus pag. 297.
Sol pag. 73.
Speculum pag. 568.
Spelunca pag. 296.
Sphæra Archimedis pag. 570.
Spiritus Sanctus pag. 8.
Spiritus S. repentino ſonitu allapſus pag. 12.
Spiritus S. flatu vehementi adueniens pag. 14.
Spiritus S. diſpertitus in linguas pag. 17.
Spiritus S. in igne ardens pag. 21.
Statuæ V. Ars ſtatuaria pag. 562.
Statura corporis celſa, vel humilis pag. 386.
Stellæ, & earum motus pag. 75.
Stoliditas, & amentia pag. 397.
Supellex, & ornamenta domus pag. 219.
Suplicationes ſacræ pag. 635.
Supplicia varia pag. 647, & 651.
Supplicium atrociſſimum pag. 651.
Sus pag. 318.
Syracuſæ ciuitas pag. 203.

T.

TAntrus pag. 316.
Taurus mons pag. 286.
Temperantia pag. 520.
Tempeſtas pag. 98.
Tempus pag. 83.
Templum, & eius partes pag. 221.
Templum Dianæ Epheſinæ pag. 222.
Templum Pantheon Romæ pag. 222.
Templum S. Petri Romæ pag. 223.
Templum S. Marci Venetijs pag. 224.
Templum B. V. Lauretanum pag. 225.
Templum S. Ianuarij Neapoli pag. 226.
Templum Apollinis Delphici pag. 223.
Terra pag. 172.
Terræ quatuor partes pag. 180.
Terræmotus pag. 174.
Terræmotus in mari pag. 175.

Terre-

Terreſtris Paradiſus pag. 96.
Teſtudo marina pag. 351.
Texendi ars pag. 563.
Theatrum M. Scauri pag. 229.
Theatrum Curionis ligneum pag. 230.
Theologia pag. 537.
Theriaca v. Alexi pharmacum pag. 552.
Tiberis fluuius pag. 159.
Ticinum Vrbs pag. 268.
Tigris fera pag. 306.
Tigris fluuius pag. 156.
Tonor pag. 135.
Tormentum bellicum pag. 582.
Tormenta, & ſupplicia. 41.
Triumphus pag. 426.
Trophæum pag. 630.
Tulipa flos pag. 361.
Turcarum mores pag. 482.
Tyrannus pag. 425.
Tyrus Vrbs pag. 109.

V.

Valetudo pag. 447.
Vaticanum S. Petri templum pag. 223.
Vaticinandi ars pag. 656.
Venatio pag. 514.
Venenum pag. 456.
Veneno illata mors pag. 605.
Veneficium, ſeu Venefica pag. 458.
Veneriæ pag. 304.
Venti pag. 94.
Ventus vehemens pag. 96.
Ventus tempeſtatem in mari commouens pag. 97.
V. Tempeſtas.
Ventus tempeſtatem in terra concitans pag. 97.
Ver pag. 81.
Verecundia V. modeſtia pag. 522.
Veſtes fere omnis generis pag. 428.
Veſtitus, & ornatus corporis pag. 427.
Veſtitus, & ornatus regius pag. 428.
Veſtes ſacræ Sacerdotum pag. 430.
Veſtes Sinarum pag. 429.
Veſtis ex plumis pag. 431.
Veſuuius ignes euomens pag. 285.

Vetula

Vetula pag. 426.
Villæ pag. 232.
Villa amœniſſima pag. 239.
Villæ veterum nobiliores pag. 237.
Villa ſub vrbana pag. 241.
Virtutes pag. 514.
Virtus, quæ conferat bona pag. 516.
Virtute præſtans pag. 515.
Virtutum multarum complexio pag. 524.
Vita humana pag. 402.
Vitæ breuitas pag. 402.
Vitæ humanæ miſeria pag. 403.
Vita fœminarum multis obnoxia miſerijs pag. 404.
Vitæ viciſſitudines pag. 407.
Vita delicijs affluens pag. 407.
V. Adoleſcens mollis pag. 421.
Vita paucis contenta pag. 411.
Vita religioſa pag. 413.
Vita militaris pag. 415. & 460.
Vita ruſtica pag. 417.
Vitiorum tyrannis pag. 527.
Vitis pag. 368.
Vitulus marinus pag. 149.
Voluptates, & deliciæ pag. 492. & 407.
Vox, & locutio pag. 365. V. Lingua.
Vrbes pag. 197.
Vrbs in regno Sinarum egregia pag. 210.
Vrbs ad nutum Abaſſini Regis mobilis pag. 211.
Vrbis obſidio, & oppugnatio pag. 609.
Vrbis expugnatio pag. 613.
Vrbis direptio pag. 617.
Vrbis oppugnatio per Cuniculos pag. 621.
Vrſus pag. 310.
Vrſæ fœtus pag. 311.
Vrus animal ferox pag. 310.
Vrtica piſcis pag. 356.

X.

Xerſis amentia in traijciendo Helleſponto pag. 409.

FINIS.